





NAZIONALE
B. Prov.
coll.
5
122
NAPOLI
BIBLIOTECA
VITT. EM. III


19382
BIBLIOTECA PROVINCIALE
Armadio
Palchetto
Num.° d' ordine



BIBLIOTHECA

CLASSICA LATINA

SIVE

COLLECTIO

AUCTORUM CLASSICORUM LATINORUM

CUM NOTIS ET INDICIBUS

On souscrit, à Paris,

Chez N. E. LEMAIRE, Éditeur, rue des Quatre Fils, n° 16, au Marais.
BARROIS l'aîné, libraire, rue de Seine, n° 10, Faub. St-Germ.
DEBURE frères, libraires du Roi, rue Serpente, n° 7.
TREUTTEL et WURTZ, libraires, rue de Bourbon, n° 17.
F. DIDOT, imprimeur du Roi et de l'Institut, rue Jacob, n° 24.
Ant. Aug. RENOUARD, libraire, rue de Tournon, n° 6.
BOSSANGE père, libraire, rue de Richelieu, n° 60.
BRUNOT-LABBE, libraire de l'Université, quai des Augustins, n° 33.
MONGIE aîné, libraire, boulevard Italien, n° 10.
H. VERDIÈRE, libraire, quai des Augustins, n° 25.
ARTHUS-BERTRAND, libraire, rue Hautefeuille, n° 23.

Et chez tous les Libraires de France et des pays étrangers.

POETÆ LATINI
MINORES
EX RECENSIONE WERNSDORFIANA

EXCUDEBAT FIRMINUS DIDOT,

REGIS ET GALLICARUM ACADEMIARUM TYPOGRAPHUS.

POETÆ LATINI MINORES

RUFI FESTI AVIENI

DESCRIPTIO ORBIS TERRÆ,

ORA MARITIMA,

ET CARMINA MINORA;

EJUSDEM ARATEA PHÆNOMENA ET PROGNOSTICA,

QUÆ NOTIS VETERIBUS AC NOVIS ILLUSTRAVIT

N. E. LEMAIRE

VOLUMEN QUINTUM






PARISIIS
COLLIGEBAT NICOLAUS ELIGIUS LEMAIRE
POESEOS LATINÆ PROFESSOR

MDCCCXXV

POEMATA

QUÆ IN QUINTO HOC VOLUMINE CONTINENTUR.

GEOGRAPHICA.

Rufi Festi Avieni Descriptio Orbis Terræ.
Ora Maritima.
Et Carmina minora.

ASTRONOMICA*.

Arati Phænomena et Prognostica, interprete Avieno.
Ciceronis, et aliorum Epigrammata astronomica.

* Quia eodem hoc volumine R. F. Avieni omnia quæ exstant opera complecti curavimus, non potuit fieri, ut carmina de Re hortensi et villatica huic tomo adjiceremus, quod quidem nota ad pag. 1 tomi IV pollicebamur. Immo Astronomicorum poematum seriem a Wernsdorfio intactam restituentes, his Aratea Avieni præire jussimus, ut tomo sequente cætera Astronomica et Manilii poema absolveremus. Carmina igitur de Re hortensi et villatica septimum (quod et ultimum erit) volumen ordientur. Ed.

DE

RUFO FESTO AVIENO

ET DE EJUS CARMINIBUS

EORUMQUE EDITORIBUS.

Etsi dudum de Festo Avieno non pauca diximus in præfatione ad Iliados Homeri Epitomen, neque nunc alia de eo et diversa ab istis sentimus, videmur tamen, quum ad ejus carmina recensenda accedimus, ad auctoris eorum memoriam plenius atque accuratius exponendam invitari. Et quoniam monumentum illud, quod memoriæ Rufi Festi a filio ejus Placido olim positum, et a pluribus inscriptionum et epigrammatum veterum collectoribus servatum est (1), ad hunc ipsum Avienum, consentientibus viris eruditis, pertinere arbitramur, ob eamque caussam reliquis Avieni carminibus ultimo loco adjungemus, placet nunc illud nostræ commentationi accommodare, et e versibus ejus ordine explicatis res Avieni memorabiles repetere. Quod ut recte fiat, id primum operam dabimus, ut monumentum illud recte ad Avienum, carminum auctorem, referri, ductis ex ipso epigrammate rationibus confirmemus.

Et primum, ubi Rufus Festus primo in versu diverso respectu se *Musoni sobolem* et *prolem Avieni* nominat, et duas voces, quæ origine et significatione nihil differunt, peculiari ratione, ab aliis scriptoribus non usurpata, con-

(1) Partem ejus jam proposuimus nos tomo III, p. 460, seqq. Ed.

jungit, videtur hæc singularis locutio eumdem epigrammatis hujus, ac Phænomenon Arateorum auctorem prodere, qui eas voces *soboles prolesque* similiter conjunctas exhibet versu 370:

.... ipsius autem
Subjectos capiti Geminos tibi cernere fas est,
Spartanam Geminos sobolem, prolemque Tonantis.

Quando idem versu 4 *gemino Proconsulis honore* se auctum profitetur, et Rufius Festus, Proconsul Græciæ, quem inscriptio Athenis reperta laudat apud Gruterum, pag. 464, n. 7, non alienus a Festo Avieno viris doctis, Sponio, Fabretto, Fabricio videtur, ad hunc suum Proconsulatum Græciæ adludere videtur auctor Descriptionis Orb. terræ, quando Phocidem, Parnassum, et Cephissum amnem memorans, addit se præsentem in templo Delphico sæpe Apollinem conspexisse, v. 603:

Illic sæpe Deum conspeximus adridentem,
Inter turicremas hic Phœbum vidimus aras.

Et quasi Periegesin in ipsa Phocide scripsisset, fingit sub initio carminis, Apollinem, ubi penetralia Cirrhæ quatit, sua ipsius pectora intrare, v. 6:

.... Deus, en Deus intrat Apollo
Pectora, fatidicæ quatiens penetralia Cirrhæ.

Carmina multa se scribere gloriatur versu 5. Atque hoc confirmat epigramma, quod sub Avieni nomine exstat, atque ipsum a nobis proponetur, *Ad amicos de agro suo:*

Inde lego, Phœbumque cio, Musamque lacesso.

Confirmat etiam scriptor Arateorum, versu 71:

O mihi nota adyti jam numina Parnassei,
O, per multa operum mea semper cura, Camenæ!
Jam placet in superum visus sustollere cælum.

Quibus verbis non solum ipsum hoc, quod modo adtigimus, testari videtur, se aliquando templum Delphicum vidisse, sed etiam perpetuam sibi curam carminum scribendorum esse prædicat. Etsi enim Cannegieterus in Diss. de Aviano, cap. 6, pag. 253, hanc rationem elevans, per *multa opera* non libros, sed quascumque occupationes vult intelligere, hac ipsa tamen interpretatione admissa adparet, Avienum adfirmare, se inter alia multa, quibus distringatur, negotia assiduo Musarum studio delectari. Non exigui momenti illud est, quod in versu 7 monumenti pronomen *ollis* antiqua forma legitur pro *illis*. Etenim in suis carminibus Avienus quum frequens antiquorum verborum captator adparet, tum inprimis formam illam pronominis, quam diximus, libenter adhibet, et fortasse plurimis locis usurpatam legeremus hodie, nisi librarii subinde mutasse viderentur. Denique filius Placidus in adposita patris ἀποθεώσει, ubi adclamat: *Jupiter æthram Pandit, Feste, tibi*, manifeste patris in principio Arateorum verbis respondet:

........................., auspice terras
Linquo Jove; excelsam reserat dux Jupiter æthram;

adeoque interpretem Arateorum esse eumdem Rufum Festum, qui in epigrammate celebretur, declarat.

Post tot indicia et rationes, quæ Rufum Festum Avienum, poetam, eo carmine loqui significant, errasse omnino Sponium, censendum est, quum Avienum, qui hic pater Rufi Festi nominatur, carminum, quæ habemus, auctorem esse existimat. Facilius in aliam ejusdem sententiam concedimus, quando hunc Festum, cujus est lapis, ex inscriptione Atheniensi, qua Rufius Festus Proconsul Græciæ laudatur, Rufium Festum, non Rufum, adpellandum esse putat. Et adsentitur ei Fabrettus, ac minime novum esse ait, siglam R, quæ hoc lapide Festi nomini præponitur, Rufii nomen significare, ut ipse ad plures inscriptiones se ostendisse profitetur. Propterea equidem non

dubitarem Rufium Festum vocare Avienum, idemque nomen in carminum ejus titulis ponere, nisi crederem, Rufi et Rufii nomina sæpe promiscue ab antiquis librariis usurpata, nec magno in discrimine habita. *Avienium*, non Avienum, editio prima, Veneta, in carminum ejus inscriptione, et Victor Pisanus in præfatione iis præmissa nominavit; item Pithœus, qui primam editionem expressit; sed errorem, typographi fortasse negligentia admissum, agnoverunt posteriores et retractarunt.

Gentem suam et majores indicare Rufus Festus videtur hoc versu:

Festus Musoni soboles, prolesque Avieni.

Etenim adsentire Cannegietero non possum, qui in Diss. Aviani fabulis subjecta, cap. 2, unum hominem, patrem Festi, Musonium Avienum nominari putat; unde consequeretur, auctorem duas voces cumulatas *soboles prolesque* una eademque significatione, pro filio, inaniter et absurde usurpasse, quod contra factum ab eo, versus e Phænomenis adductus demonstrat; ubi Gemini diversa significatione *soboles Spartana* et *proles Tonantis* dicuntur. Itaque Sponii sententiam, quam ille reprehendit, sequi malo, qui voces illas geminatas ita explicat, ut Rufus Festus se *sobolem Musoni* esse, sive ab ejus posteris descendere, et *prolem Avieni*, i. e. filium significet (1); sive, quod idem fere est, maternum genus a Musonio, paternum ab Avieno se ducere jactet. Quum præcipuum inter majores Musonium nominat, virum magnæ celebritatis vult intelligi, cujus genere gloriari possit. Itaque haud alius videtur intelligendus, quam C. Musonius Rufus, Capitonis filius, celeberrimus

(1) Ætate Avieni vocabulum *proles* usitate pro filio filiave positum fuisse, exemplo est inscriptio Aniciæ Faltoniæ Probæ posita apud Grut. pag. 352, n. 6, ubi ea Consulum *proles*, i. e. filia, Consulum mater dicitur. Contra *soboles* ipsi Avieno est *gens* vel *propago*. Vid. Descript. Orb. terræ, v. 524.

sectæ Stoicæ philosophus, Apollonii Tyanæi familiaris, a Nerone in exsilium actus, sed sub Vitellio redux, et a Vespasiano in honore habitus, cujus sæpe Tacitus, Plinius, Gellius, Philostratus, Dio, Macrobius, Suidas meminerunt, res memorabiles luculentius exposuerunt Jo. Jonsius (1), Jac. Bruckerus (2), I. M. Catanæus (3), Gottfr. Olearius (4), et Dan. Wyttenbachius V. C. (5). Quum eum Musonium Tyrrhenum dicat Philostratus (6), Tuscum Tacitus (7), Vulsiniensi adeo civitate oriundum Suidas (8), quæ eadem patria Rufi Festi est, accedatque Rufi cognomen, quod in gente ea propagatum ad Avienum transiit, satis manifesta adesse ratio videtur, ut hunc Musonium inter proavos ab Avieno nominatum putemus (9). Et videtur hic aliam Musonii nominati caussam sequente versu prodere:

Unde tui latices traxerunt, Cæsia, nomen.

Sive enim Festus noster fontem aliquem celebratum, aut aquam salubrem invenit primus, sive coluit maxime et carmine laudavit, ut inde nomen et famam traheret Cæsia; hujus rei videtur præ cæteris mentionem injecisse, ut Musonium philosophum imitatus, similisque suo proavo factus videretur, qui ipse fonti ab se invento nomen atque famam

(1) De Script. Hist. Philos. lib. III, cap. 7.

(2) Hist. crit. Philos. t. II, p. 540.

(3) Ad Plin. Epist. III, 11, 5.

(4) Ad Philostr. de vita Apoll. Tyan. lib. IV, cap. 35.

(5) In Dissert. de Musonio Rufo, philosopho Stoico, ad publicam disceptationem proposita Amstel. 1783.

(6) Vita Apollonii, lib. VII, cap. 16.

(7) Annal. XIV, 60.

(8) In Μουσώνιος.

(9) Cujus memoria etiam apud posteros ita conservata videtur, ut quidam ejus gentis Musoniani dicerentur. Musonianum quemdam, amicum et familiarem suum, nominat Symmachus, Epist. III, 53.

dedit. Nam ut de eo memorat Philostratus (1), quum relegatus a Nerone esset in insulam, cui nomen Gyara, quæ aquis ante destituta credebatur, Musonius in ea fontem invenit, qui tantam ejus gratia celebritatem nactus est, ut non modo Græcorum plurimi ejus lustrandi caussa adnavigarent, sed nonnulli etiam carmine celebrarent perinde, ac Hippocrenen Heliconis. Cæterum quem fontem, et quos latices hic intelligat Festus, quodque ei nomen conciliatum dicat, id in magna obscuritate versatur; et, qui hanc inscriptionem protulerunt, ejusque cætera explicarunt, hunc versum prudenter omnes præterierunt. Dubium est, utrum Cæsia sit aquæ nomen, quod a Festi majoribus accepit, an vero oppidi, vel regionis, cui vicini sunt isti latices. Neque hoc liquet, utrum nomen ipsum inde accepisse Cæsia dicatur, an vero famam tantum et celebritatem. Si Cæsia nomen fontis est, a Festo Avieno, vel a quodam e majoribus ejus tractum, necesse est, Festus ille fuerit e Cæsia gente. At in gente Cæsiorum, quorum omnium memorias eruit, et magno volumine explicavit Jo. Bapt. Fonteius (2), et Julius Jacobonius in Append. ad Fonteium, non ea adparent cognomina, quæ majores Festi Avieni doceant inter Cæsios fuisse. Una est CÆSIA FESTA apud Fonteium, pag. 186, et apud Gruter. pag. 674, n. 1, 675, n. 5, quæ huc referri possit, neque tamen ad rem confirmandam sufficit, quum præsertim ætas ejus ignoretur. Et versus monumenti hoc significare videtur, Aquam Cæsiam aliud et singulare nomen a Festo, vel Avieno accepisse. Enimvero fontis alicujus vel Aquæ Cæsiæ, antiquitus celebratæ, indicium facit Martialis, lib. IX, epigr. 59, qui Cæsium Sabinum memorat fonti, seu Nymphæ fontis, templum consecrasse in municipio Umbriæ Sarsina :

Nympha sacri regina lacus, cui grata Sabinus,
Et mansura pio munere templa dedit;

(1) Vita Apoll. lib. VII, cap. 16.
(2) De prisca Cæsiorum gente. Bonon. 1583, fol.

Sic montana tuos semper colat Umbria fontes,
Nec tua Baianas Sarsina malit aquas;
Excipe sollicitos placide, mea dona, libellos;
Tu fueris Musis Pegasis unda meis, etc.

Cæsium Sabinum hunc esse, plenius indicat idem, lib. VII, epigr. 97, quo pariter, ut hic, libellum epigrammatum Sabino mittit et commendat:

Nosti si bene Cæsium, libelle,
Montanæ decus Umbriæ Sabinum,
Auli municipem mei Pudentis;
Illi tu dabis hæc, vel occupato, etc.

Ut hujus fontis magnam gratiam et celebritatem apud Umbros fuisse, ex ipso epigrammate adparet, ita et Cæsium Sabinum, qui ejus fornicem exstruxit, multis meritis in municipes suos, et insigni fama existimationeque hominum floruisse, idem Martialis docet, qui *decus Umbriæ* vocat, tum monumenta plura C. Cæsio Sabino inscripta et Sassinæ reperta, quæ a Fonteio describuntur, et nonnulli Plinii junioris loci, qui plures ad eum epistolas dedit. Pro ea igitur celebritate, qua et fons publice dedicatus a Cæsio, et ipse ejus conditor in Umbria florebat, dubitari vix potest, quin etiam auctoris nomine dictus et celebratus sit, ut Aqua Cæsia vocaretur, siquidem plures loci in Etruria, ut Aquæ Passeris, Balneum Regis, a conditoribus suis, scilicet Petronio Passere, et Martio Rege, nomen accepisse videntur. Et *Ruffina Aqua*, domini nomine dicta, singulari epigrammate laudatur, quod Petr. Burmannus in Addendis ad tom. I, Anthol. Lat. pag. 740, edidit:

Rupe sub hac vaga lympha fui sine nomine, sed nunc
Ruffina e domini nomine lympha vocor.
Ille etenim sparsos latices collegit, et undas
Auxit, et exstructo fornice clausit aquas.

Quod Martialis adfirmat, aquam Cæsii Sabini, propter auctoris et præsidis eruditionem, suis Musis loco undæ Pegasi-

dis futuram, idem fere hoc est, ac quod de Musonii fonte in Gyara insula narratur, eum docti inventoris caussa instar fontis caballini habitum, et multorum carminibus celebratum esse. Quando igitur in monumento Rufi Festi lego, Aquam Cæsiam a prole Musonii et Avieni nomen traxisse, in eam sententiam adducor, ut credam, eamdem celebritatem Cæsiæ significari, quæ fuerit Musonianæ, nempe vel celebratam esse carminibus Avieni, vel, quod ab eo recens deducta, munita et exornata esset, novum nomen, h. e. novam famam et celebritatem accepisse. Fontibus olim consuevisse carmina dicari, et parietibus ædis adfigi, notavimus supra ad Rutilii Itinerar. I, 270, et Rutilius eo loco testatur, Aquas Taurianas carmine Messalæ cum Pieriis comparatas esse, perinde ut cum Musoniana et Cæsia factum est. Neque de Avieno dubitari potest, eum subinde Cæsium fontem carmine laudasse, quum alia ejus carmina minora, ruris delicias spectantia, ut de agro suo, et de malis Punicis, etiamnum exstent, et loca, in quibus Avienus, aut ejus majores, prædia habuisse videntur, in ipsa Umbria, ubi Aqua Cæsia, aut ei vicina fuerint. Nam Ameria, hodie Amelia, ubi plurimi lapides, Avienorum mentionem facientes, reperti sunt (ut Gruteriani pag. 1144, n. 4, et Fabretti pag. 57, n. 323, et 744, n. 522), urbs est Umbriæ, nec Vulsinii, ubi natus Avienus, multum distant. Alia vero versus illius, de quo agimus, interpretatio restat, alteri fere præferenda, qua statuamus, Cæsiam aquam hic dici recentius aliquod nomen traxisse ab iis, qui ante nominantur, Musonio vel Festo Avieno, ut fortasse Musonia vel Festa Aviena diceretur, propterea quod ab his vel instaurata antiqua Cæsia, vel aquæductus quidam Cæsiæ noviter instructus et munitus ad usum publicum esset. Nam fontes, balnea, thermas ab iis, qui exstruxissent, aut renovassent, nomina accepisse, multis veterum scriptorum testimoniis, ut et monimentorum inscriptionibus probatur. Etsi vero locus aliquis scriptorum veterum difficile reperitur, quo Aquæ Avie-

næ vel Musonianæ nomen diserte memoretur, reperio tamen locum, in quo ejus nominis occulta quidem, sed non prorsus vana significatio inesse videtur. Intelligo epigramma vetus, quod Petrus Burman. Anthol. Lat. lib. III, ep. 43, pag. 486 protulit :

FAVsta novum domini condens Fortuna lavacrum
  Invitat fessos huc properare viros.
Laude operis fundi capiet sua gaudia præsul,
  Hospes dulciflua dum recreatur aqua.
Condentis monstrant versus primordia nomen,
  Auctoremque facit litera prima legi.
Lustrent pontivagi Cumani litoris antra,
  Indigenæ placeant plus mihi deliciæ.

Inscriptio hæc est fontis, vel balnei publici, ad significandum nomen conditoris proposita. Quoniam versu quinto dicitur, *versus primordia nomen condentis monstrare*, et initium epigrammatis est *Fausta novum*, hinc Burmannus conjicit, forte FAUSTUM vocatum esse conditorem. Ego non integrum verbum initii, sed tantummodo literas ejus primas respiciendas arbitror, quia versus sextus pronuntiat, *literam primam* significare *auctorem*. Hic vero literis tribus prioribus FAV expressum video nomen Festi Avieni, ita quidem, ut mihi facile persuadeam, epigrammate hoc celebrari Aquam Cæsiam, quæ ab Avieno reparata et denuo publicis usibus dedicata, atque Festa Aviena vocata sit. Juvat hanc conjecturam, quod versu primo *Fausta domini Fortuna* prædicatur, quæ eadem est Nortia, cui se devotum fatetur Festus Avienus in monimento. Nec fortasse hoc prætereundum, lavacrum Festi Avieni hic æque cum Baianis vel Cumanis aquis comparari, ac Cæsii Sabini fontem in Martialis epigr. cit. Sed desino plura de Aqua Cæsia, et versu secundo monimenti, dicere, cujus interpretationem fateor nonnihil negotii mihi objecisse. Pergo ad versum tertium monimenti:

Nortia, te veneror, lare cretus Vulsiniensi.

Nortiæ se religiosum cultorem profitetur, quod ea Dea Etruscorum fere communis erat, et Vulsiniis, ubi ipse ortus erat, peculiare templum habebat, testantibus Livio (1) et Tertulliano (2). Eam pro Fortuna, ΤΥΧΗ, seu Nemesi habitam, monet Gorius ad Inscr. Don. (3) et propterea veneratur Festus, quod munificam erga se plurimis vitæ suæ rebus prosperis, quas deinceps commemorat, expertus sit. Hac professione religionis et patriæ Avienus abunde refutat opinionem eorum, qui eum Christianis addictum sacris, et Hispanum natione, credere, et persuadere aliis voluerunt. In quibus maxime sunt Nic. Antonius (4), Petrus *Melian* (5), et Ramiresius de Prado (6), sed his antiquiores etiam pro Hispano eum habuisse, testantur Crinitus et Gyraldus. (Vid. Test.) Atque ut primum de religione Avieni Christiana dicam, Nic. Antonius l. c. profitetur *avidissime se credere Avienum poetam Christianum fuisse, aut Christianorum dogmatum gnarum et amantem*. Sed hoc argumentis admodum levibus, ut Fabricius judicat (7), probare conatur. Primo profert locum ex Arat. Phænom. v. 17 seqq.

Inseruit rite hunc primum, medium, atque secundum.
Vox secreta canit sibi: nam permixtus utrimque,
Et fultus sese geminum latus, unus et idem est
Auctor agendorum, propriique patrator amoris, etc.

Hæc non alio respicere ait, nisi ad Trinum Deum. Profert alterum locum Arateorum, v. 32 seq. quem nos alio tem-

(1) Lib. VII, cap. 3.

(2) Apolog. cap. 24.

(3) Class. I, n. 149. Inter Veteres probat Martianus Capella, lib. I, pag. 21, Grot. « Quam alii Sortem adserunt, Nemesimque nonnulli, Tychenque quam plures, aut Nortiam ».

(4) Biblioth. vet. Hispaniæ, lib. II, cap. 9, p. 158.

(5) In Epist. prosphonetica ad Festi Rufi Avieni opera, edit. Madrit.

(6) Ad Luitprandi Advers. pag. 492.

(7) Bibl. Lat. III, 2, 1.

pore pari in caussa adduximus (1), quo Solis et Lunæ munus describitur verbis fere ad orationem Mosis expressis. Et Antonius adfirmat, nihil se unquam sermonis legisse, quod propius ad Christianum accederet. Denique vero provocat ad locum eum Descriptionis Orb. terræ, v. 781 seqq. ubi de immanitate balænarum circa Taprobanen insulam natantium loquitur, atque subjicit:

> Ah! ne quis rapidi subvectus gurgitis unda
> Hæc in terga salis lembum contorqueat unquam:
> Ah! ne monstrigenis, hostem licet, inferat æstus
> Fluctibus, etc.

Nam eo loco Dionysium ethnico more hostibus imprecari, ut tam immanibus belluis occurrant; Avienum contra, quod in auctore suo ethnicum erat, Christiane et evangelice expressisse, et deprecari vererique, ne quis hostis periculum ab iis incurrentibus adeat. Citat deinde plura scriptorum veterum loca, quibus doceant, solennem hunc ethnicorum morem fuisse, et in proverbium adeo abiisse, ut quæ quisque sibi adversa et calamitosa extimesceret, ea hostibus suis imprecaretur; Christianorum vero singulare hoc et veluti characteristicum esse, ut mala inimicis optare nolint. Sed qui Avieni verba recte expendat, atque cum aliis ejus moribus et sententiis conferat, is profecto abhorrentem ab animo ethnicorum clementiam Avieno tribuere non audebit. Qui sane hac ipsa ethnicorum sententia ad augendam periculi, a balænarum incursu metuendi, magnitudinem abutitur, poetico more, et dicit, tantam esse harum belluarum immanitatem, ut tam horrendum spectaculum, hominis a balæna devorati, ne in hostibus quidem sibi evenire velit, quamvis his dira quæque et atrocia imprecari mos sit. Et quis lenem erga inimicos animum tam proprium solis Christianis dicat, ut, si quam levem ejus significationem

(1) Huj. op. tom. III, pag. 467. Ed.

legat, statim hominem Christianum loqui opinetur? Quis tot præclaras sententias philosophorum veterum de humanitate et fide etiam hostibus exhibenda nescit? quis exempla virorum illustrium, qui se placabiles et beneficos adeo suis inimicis præbuerunt? Fuse hoc nuper docuit J. C. Chr. Fischerus, Diss. *Quid de offic. et amore erga inim. Græcis et Rom. placuerit.* Halæ Sax. 1789. Quod ad reliqua Avieni loca, ad quæ Antonius provocat, adtinet, etiamsi hæc sententiam doctrinæ Christianæ similem habere videantur, ad summum tamen aliquam librorum sacrorum notitiam, qualem multi alii scriptores ethnici habuerunt, produnt, non Christianismum Avieni. Neque vero Antonius plane adserere audet, Avienum professione Christianum fuisse, sed saltem, quod optat, credit, fuisse Christianorum dogmatum gnarum et amantem. Alii arrogantiores sunt, atque ut Avienum Christo addictum probent, utuntur testimoniis Luitprandi in Adversariis, et Marci Maximi in Chronico, quos libros confictos in gratiam Hispanorum et suppositos esse, dudum cordatiores viri, in iisque ipse Nic. Antonius, agnoverunt. Fundum ejus opinionis esse errorem in nomine, et fortasse Christianum hominem eumdemque Hispanum, qui simili nomine uteretur, confusum esse cum Avieno poeta, subinde judicavi, sed parum refert, in rationibus absurdæ sententiæ indagandis laborare. Qui, quæ scripta ab Avieno sunt, atque vel supersunt hodie, vel perierunt, consideret, næ is plane ineptus et Christianæ antiquitatis ignarus sit, oportet, qui auctorem eorum Christi religione imbutum putet. Non solebant scriptores, præsertim poetæ, qui se Christo addixerant, in ejusmodi argumentis Musam exercere, in quibus totus assiduusque laboravit Avienus. Qui se jactabat assidue carmina scribere, Christianus factus haud dubie se ad sanctius argumentum, ex historia vel doctrina sacra petitum, ut tot alii poetæ fecerunt, adplicuisset, non transferendis poetarum gentilium carminibus, eorumque fabulis et superstitionibus explicandis inhæsisset.

Carmina ejus majora, quæ hodie exstant, cultum Deorum ubique spirant. Qui in Arateis carminis auspicium a Jove petit, et per astrorum enarrationem nil nisi mythos gentilium poetarum et superstitiones Deorum exponit; qui in Periegesi Apollinis et Musarum auxilium toties invocat, et in terrarum urbiumque descriptione sacra et templa Deorum diversosque ritus inprimis sectatur et laudat; hunc auctorem pro Christiano habere ineptum est. In aliis quidem scriptorum ejus reliquiis quædam Christianismi vestigia docti viri observare sibi visi sunt, et Cannegieterus l. c. id colligere, quum ex verbis epigrammatis *de agro suo ad amicos*, voluit: *Mane Deum exoro;* tum ex loco a Servio citato, quo de cometa Augusti tempore adparente verba Lucæ II, 10, usurpasse videtur. Sed quod ad epigrammation adtinet, dudum monui (1), bonos codices ibi rectius legere *Luce Deos oro*, et quæ subinde verba in priscis scriptoribus reperiuntur, dictis sacrorum librorum similia, non ea vis eorum esse debet, ut suspicionem adeo Christianismi moveant. Persequutus sum alio loco hanc materiam uberius (2), et e conditione temporum eorum, quibus Christi religio vulgata per gentes est, illustribus quibusdam exemplis ostendi, sacros Christianorum libros ita notos lectosque scriptoribus, cætera ethnicis, fuisse, ut subinde res, et dicta, et historias inde repetitas usurparent. Nominavi Chalcidium, qui ejusdem stellæ, de qua Avienus Servii loquutus videtur, exortum, et Avienum Macrobii, qui pueros ab Herode rege intra bimatum occisos, ex historia evangelica refert. Ipsum denique Avienum, Arati interpretem, quem Cannegieterus non negat ethnicum fuisse, ostendi, quod etiam Nic. Antonius volebat, verba quædam ex Mosis Genesi desumpsisse. Nunc his exemplis placet alium et memorabilem locum illustris poetæ addere. Clau-

(1) In proœmio ad Epit. Hom., huj. op. t. III, pag. 460. Ed.
(2) Tomo III, pag. 466 et seqq. Ed.

dianus aliquando Barbaros, inopinato Stilichonis adventu perculsos, comparat cum servis domus, quos, domino peregre absente, falsus de morte ejus rumor in luxuriam et licentiam effrenem resolverat, sed herus improviso rediens in horrorem et metum conjiciebat. Operæ pretium est, ipsos Claudiani versus adducere (1):

Ac veluti famuli, mendax quos mortis herilis
Nuntius in luxum falso rumore resolvit,
Dum marcent epulis, atque inter vina chorosque
Persultat vacuis effrena licentia tectis,
Si reducem dominum fors improvisa revexit,
Hærent attoniti, libertatemque perosus
Conscia servilis præcordia concutit horror:
Sic ducis adspectu cuncti stupuere rebelles.

Quis hæc legens et cum Servatoris apologo conferens, quo servum nequam, herilis absentiæ fiducia insolescentem, et subito ejus adventu perculsum describit (2), non suspicetur, Claudianum aliquando hoc ex sacris Christianorum libris repetitum audivisse? neque tamen hoc sufficere videbitur, ut propterea ipse pro Christiano habeatur. Itaque Cannegietero, qui Avienum Servii putat similia dicto sacri scriptoris verba usurpasse, non concedimus, ut propterea Christianum, et diversum ab Arati et Dionysii interprete, pronuntiet. Morem etiam mane fungendi precibus, quem Avienus in epigrammate profitetur, a Christianis, quibus maxime proprius et perpetuus fuit, accipere ille et imitari potuit, nec tamen idem alienus a consuetudine paganorum fuit, qui ipsi matutinum tempus sacris et precibus peragendis aptissimum putabant. Sic Ovidius fatetur (3):

His ego do toties cum ture precantia verba,
Eoo quoties surgit ab orbe dies.

(1) De Bell. Get. v. 366 seqq.

(2) Matth. XXIV, 48 seqq. Luc. XII, 45 seqq.

(3) Ex Pont. IV, 9, 111.

Et de Imp. Alexandro Severo Lampridius (1) memorat, eum *matutinis horis in larario suo rem divinam fecisse*. Alia loca rem confirmantia dabit Brouerius *de Niedeck* (2).

Non meliore nituntur fundamento, quæ de patria Avieni Hispania prodiderunt viri, maxime ex Hispanis, eruditi, qui, nescio quo errore, quave ambitione inducti, civem sibi Avienum vindicare omni studio conati sunt, et præter Nic. Antonium a Francisco Bivario in Commentariis ad M. Maximum, item a Ramiresio de Prado ad Luitprandi Adversaria, p. 492, nominantur. Argumenta opinionis suæ præcipue petunt ex Avieni libello de Ora maritima, in quo quia Hispaniam et Hispanorum gentem maxime ornat laudibus (3), in eamque rem Punicos Himilconis annales citat, hoc eum patriæ suæ honori dedisse existimant. Sed illi non vident, aut satis expendere noluerunt, si quis honos Hispaniæ ab auctore habeatur, non illum adfectu ejus in patriam expressum, sed a loco et occasione materiæ oblatum esse (4). Etenim non opus integrum est, quod habemus, sed fragmentum descriptionis oræ maritimæ, a Gadibus ad Massiliam usque procedens, quod solam fere oram Hispaniæ continet, atque huic adeo pro subjecta materia plurimum laudis impertit. At non sola hujus caussa susceptum ab auctore opus, sed propositum ei fuisse, ut totum maris

(1) In Alex. Sev. cap. 29.

(2) De Vet. Adorat. cap. 9, pag. 99.

(3) Nic. Antonius, Bibl. Hisp. II, 9, pag. 157, præcipue huc refert, quod Avienus *magnanimos Iberos*, contra autem *truces Gallos* vocet in Descr. Orb. terræ, v. 415 et 422.

(4) Pari ratione quidam docti Hispani Claudianum poetam Hispaniæ patriæ vindicare ausi sunt, atque hoc inde comprobare, quod Hispaniæ laudes sæpius recurrentes legantur. Id vero Hispanis Imperatoribus, Theodosio et Honorio, Augustæque familiæ, urbane et obnoxie, immo adulatorie datum esse, verius judicat Nic. Antonius, Bibl. vet. Hisp. lib. III, cap. 5; cujus verba citat Fabricius, Bibl. Lat. lib. III, cap. 15.

mediterranei ambitum a freto Gaditano ad usque Pontum Euxinum et mare Scythicum edissereret, ipse in principio libelli clare profitetur, v. 68:

> Laboris autem terminus nostri hic erit,
> Scythicum ut profundum, et æquor Euxini sali,
> Et si quæ in illo marmore insulæ tument,
> Edisserantur.

Quod subinde Pœnum Himilconem citat, et ex Punicis annalibus nonnulla, mare Atlanticum et oram Hispaniæ spectantia, refert vs. 117, 412, 414, id non video, quomodo valere ad probandam patriam Avieni possit. Neque enim Hispanis magis, quam Romanis aliis noti et usurpati Pœnorum libri erant. Himilconis pariter ac Hannonis Carthaginiensis libros citant Geographi Romani (1), et Columella memorat (2), Magonis Carthaginiensis octo et viginti volumina de rusticatione ex Senatus consulto in latinum sermonem conversa esse. Immo vero, quod Himilconem non solum Pœnum, sed et Græcos antiquos, aliosque exteros scriptores in subsidium describendæ oræ Hispanæ vocat, id satis arguit, non patriam Avieni Hispaniam fuisse. Nam indigena et civis Hispaniæ notiora omnia et suis temporibus aptiora tradere potuisset, nec exterorum scriptorum subsidio usus obsoleta multa et ætate sua plane immutata memorasset. Aliud indicium patriæ Avieni Ramiresius, cum Petro *Melian* (3), esse putat, quod ille soleat *suum mare* adpellare, quo Hispana ora adluitur, ut versu 83:

> .... ut gurges hic nostri maris
> Longe explicetur, est Atlanticus sinus, etc.

Et v. 180:

> .... si quis ad nostrum mare
> Malacæque portum semitam tetenderit.

(1) Plinius, lib. II, cap. 67; Mela, lib. III, 9, 32.
(2) De Re rustica, lib. I, cap. 1, 13.
(3) In Epist. dedic. operum Avieni ad Ramiresium.

Sed indigna profecto hæc opinatio docto viro est, qui ignoret, ab omnibus Romanis scriptoribus mediterraneum mare, et quodcumque provinciis Romani imperii ambitur, *nostrum mare* dici, atque adeo, quod oram Hispanam adluit, mare sic nuncupari ab homine, qui in Italia scripsit, potuisse. Nolo ejus rei firmandæ caussa historicorum veterum, qui perpetuo sic nominant, loca cumulare, sed uno Pomponii Melæ, qui diserte docet, contentus ero. Qui postquam terram ambiri Oceano, quatuorque ex eo maria recipere dixit, quartumque ex his, ab occasu receptum, id est, mediterraneum, descripsit, mox subjicit: *Id omne qua venit, quaque dispergitur, uno vocabulo nostrum mare dispergitur* (1). Et sic Avienus in Descriptione Orbis nominat, v. 169:

Issicus immodico donec sinus ore patescit,
Æquoris et nostri fit terminus.

Nic. Antonius hac de re candidius judicat (2), et arenæ ædificare eos dicit, qui tali ratione probare patriam Avieni Hispaniam velint. Fuisse eum quidem aliquando in Hispania, et nonnulla ejus terræ loca obiisse, ipse innuere videtur Oræ marit. v. 273, ubi de Gadibus:

Nos hoc locorum, præter Herculaneam
Solennitatem, vidimus miri nihil.

Sed hæc videre et observare potuit in itinere, forte in Hispaniam per occasionem facto ex Africa, ubi videtur Proconsulatum gessisse. Natum esse in Hispania et habitasse, inde minime conjicias. Cæterum his omnibus nugis et ineptiis opinionum de patria et religione Avieni, vix credo quemquam futurum fuisse, qui indulgeret, si quidem cognitum et usurpatum fuisset monimentum, quod nunc

(1) Lib. I, cap. 1, 30.

(2) Bibl. Hisp. lib. II, cap. 9, pag. 157.

pertractamus, Avieno poetæ a filio positum, e quo certiora omnia doceri possunt.

Proconsulatuum gestorum meminit versu sequente :

Romam habitans, gemino Proconsulis auctus honore.

Quarum autem provinciarum Proconsul fuerit Festus Avienus, non nisi incerta conjectura potest erui. Multi enim Festi, multi Avieni inter magistratus eorum temporum, quibus vixisse nostrum probabile est, memorantur, e quibus difficile est suos nostro honores et magistratus adsignare. Festum quemdam sub Valentis imperio circa annum 370 e Consulari Syriæ Proconsulem Asiæ factum, Ammianus Marcell., Zosimus, aliique memorant (1); sed eumdem perhibent multis immanitatis et sævitiæ exemplis editis infamem fuisse, Ammianus præterea *Tridentinum ultimi sanguinis et ignoti* adpellat. Unde pro Festo Avieno nostro haberi non potest, qui et splendido genere natus fuit, et virtutis suæ sibi conscius in monumento de se prædicat: *vitam insons, integer ævum* (2). Valesius tamen opinatur (3) eum esse Rufum Festum V. Cl. qui Breviarium scripsit ad Valentem Aug. quem respicere existimat clausulam præfationis : *Ut ad hanc ingentem de Gothis etiam Babylonicæ tibi palma pacis accedat*, licet vulgatæ editiones Valentinianum præscribant. Supra jam mentionem fecimus monumenti Græci, quod Rufio Festo, Proconsuli Græciæ et Areopagitæ, populus Atheniensis ob benevolentiam erga se et bene merita posuit, exhibetque Gruterus (4), et Jo. Meur-

(1) Amm. Marcell. lib. XXIX, cap. 2, pag. 612; Zosimus, lib. IV, cap. 15; Eunapius in vita Maximi; Libanius in vita sua; Suidas in Φῆστος. Et conf. Gothofr. in Prosopogr. Cod. Th.

(2) Igitur desero sententiam, quam (hujus op. t. III, pag. 465. Ed.) dixi, Festum Aviennm eumdem videri cum Proconsule Asiæ.

(3) In not. ad Ammiani l. c.

(4) Pag. 464, n. 7.

sius (1). Hunc Proconsulem Græciæ esse Festum Avienum poetam, opinantur Sponius, Fabrettus, et Fabricius in Bibl. Lat. et verisimile reddit studium Græcarum literarum, quod Avienus quum poetis Græcis carmine latino reddendis, tum multis Græcis scriptoribus usurpatis et in Ora maritima adlegatis, abunde prodidit. Nempe hoc ipsum Græcorum studium in caussa fuisse videtur, ut et Proconsulatum Græciæ adiret, et inter Græcos diu commorari vellet, singularique erga populum Atheniensem, qui hanc ipsam in monumento prædicat, benevolentia uteretur. Quin hujus Proconsulatus indicia nos supra ex ipsa Avieni Periegesi produximus, nonnullis versibus adlatis, e quibus, Avienum aliquamdiu vixisse in Græcia, ibidemque Periegesin scripsisse, haud temere colligatur. Hunc igitur unum e duobus ab Avieno gestis Proconsulatum esse existimamus: alterum suspicamur, quod historia non alium suppeditat, in Africa gestum. Nempe Jac. Gothofredus in Prosopogr. Cod. Theod. Festum aliquem Proconsulem Africæ in annis 366 et 367 sub Valente fuisse, e duabus legibus Codicis Justin. adnotat. Certum quidem de eo magistratu Avieni proferre non licet, videtur tamen ætas ejus, quatenus eam definire possumus, in annos, quibus Festus ille provinciam Africæ administrasse dicitur, sic satis convenire. Et quod supra e versu aliquo Oræ maritimæ conjecimus, Avienum aliquando Gades in extrema Hispania lustrasse, id probabile est fecisse eum propinquitate loci invitatum, quum Proconsul Africæ vicinam provinciam regeret.

Ut de ætate, qua Festus Avienus vixit, nonnihil subjiciamus, certa non quidem testimonia, sed indicia tamen nonnulla adsunt, e quibus eam colligere et definire liceat. Justo antiquiorem Petrus Crinitus facit, qui temporibus Diocletiani adsignat (2). Nam Hieronymus, ad cujus testi-

(1) In Areopago, cap. 5, p. 30.

(2) Vossius adeo memorat de Hist. Lat. p. 203, Genebrardum in

monium ille provocat, quum ejus ut nuperi scriptoris meminit, remotiorem Diocletiani ætatem significare non potest, sed suis annis propiorem. Decessit autem Hieronymus A. C. 420. Longius ejus ætatem protrahit, et certis adeo finibus describit auctor libri Adversariorum Luitprando suppositi, qui temere adfirmat, eodem anno et die, quo sanctus Augustinus ascendit in cælos, obiisse; et hic obiit A. C. 430. Sed ut hoc graviore Hieronymi testimonio refutatur, ita aliis rebus Avieni suadentibus statuimus, quod dudum Vossio, Reinesio (1), aliisque visum est, Avienum temporibus Valentiniani, Valentis, Gratiani, fortasse et maturius sub Constantio et Juliano, floruisse, neque videri initia quinti sæculi vivendo attigisse. Hoc ut sentiam, inprimis me movet, quod Symmachus, qui epistolas plerasque sub Theodosio majore et ejus filiis scripsit, atque ipse, ut Gothofredo in vita Symmachi videtur, circa annum quartum sæculi V obiisse videtur, nullam tamen aut mentionem fecisse Avieni nostri, aut epistolam ad eum dedisse reperitur, etsi huic, ut credere par est, bene cognitus et cognatione junctus fuit (2), et ad alios, quos Avieni cognatos fuisse novimus, ut Flavianum et Probum, scripsit. Avienus quidem videri potest plane æqualis Symmachi fuisse, si is ipse est, ut vulgo existimatur, quem Macrobius in Saturnalibus una loquentem cum Symmacho inducit. Sed quia Macrobius Avienum suum tum

Chron. in Aniceto, et Thevetum, lib. II, de Vir. illustr. cap. 41, Avieni ætatem ad secundum a nato Christo sæculum retulisse; et in indice bibliothecæ Vaticanæ referri ad sæculum X. Utrumque Vossius pronuntiat esse ejusmodi, ut nec unius assis censeri mereatur. Vossio adsentitur Nic. Anton. l. c. pag. 158.

(1) In Epist. ad Rup. p. 625.

(2) Cognationem aliquam Symmachi et Avieni indicare videtur nomen patris ejus L. Aurelius Avianus Symmachus, cui dicatum elogium exstat apud Gruter. pag. 370, n. 3. Et Flavianum Probumque, ad quos scribit Symmachus, pariter Avieno conjunctos sanguine fuisse, alibi docebimus.

admodum adolescentem fuisse prodit (1), et, quod unum alterumque ex his, quos in cœtum cogit, ætate minorem cæteris interposuerit, ipse sub initium libri excusat (2), hinc ratio satis idonea adesse videtur, ut Avienum Macrobii pro filio nostri, certe pro juniore et diverso habeamus. Cannegieterus (3) ex eadem adolescentia Macrobiani Avieni probare contendit, hunc etiam diversum fuisse ab Avieno, quem Servius in commentariis ad Virgil. citat, nititurque maxime iis locis Macrobii, quibus Avieno, quasi discipuli, Servio doctoris ac præceptoris partes tribuit, Serviumque ab aliis confabulantibus, ut Eustathio et Symmacho, *doctorum maximum, et priscos præceptores doctrina præstantem* adpellari facit (4). Unde ille quum hoc adparere putat, Avienum ut doctrina, ita ætate longe minorem fuisse Servio, tum illud etiam, alium esse a Servio in commentariis laudatum, qui eum non tamquam æqualem, sed se priorem et antiquiorem citet. Sed quamquam hoc ultro adsentimur Cannegietero, Avienum, quem Servius citet, ipso priorem et antiquiorem esse, illud tamen minus recte facit, quod Avienum Macrobii, ob reverentiam Servio, ut doctori magno, exhibitam, putat eo minorem junioremque a Macrobio declarari. Eadem doctrinæ elogia, eamdemque auctoritatem, quam Avienus adolescens, seniores amici, Symmachus, Flavianus, ipseque rex convivii Vettius Prætextatus, vir admodum illustris et Symmachi æqualis, Servio tribuunt, et quod ætatem adtinet, eadem, quæ Avieno, adolescentia et modestia tribuitur Servio (5), ut certe pro

(1) Saturn. lib. VI, cap. 7, et VII, cap. 3.

(2) Saturn. lib. I, cap. 1.

(3) Diss. de ætate et stylo Aviani, cap. 2.

(4) Lib. VI, cap. 7; lib. I, cap. 24.

(5) Expendantur verba hæc Macrobii, lib. VII, cap. 11, initio: « His dictis, quum ad interrogandum ordo Servium jam vocaret, naturali pressus ille verecundia usque ad proditionem coloris erubuit. Et Disa-

æquali Avieni habendus sit. Quoniam igitur e sententia Cannegieteri Avienus ille, quem Servius in commentariis citat, non est ille, quocum apud Macrobium colloquitur, sed antiquior, et nos paullo ante docuimus, Festum Avienum, carminum auctorem, antiquiorem esse Macrobiano, hinc nos, ipsa Cannegieteri ratione ducti, recte existimare videmur, pro nostro Avieno habendum esse, quem Servius citat, quamquam nec hoc Cannegieterus concedere vult, propterea quod Festum Avienum religione gentilem, Servianum Christo addictum fuisse suspicatur. Quam suspicionem quoniam ipsi jam supra diluimus, satis firmatam, quoad fieri in tali materia potest, sententiam nostram de ætate Avieni putamus, qua statuimus, antiquiorem Avieno cæterisque convivis Macrobianis esse, eumdemque in Servii commentariis citatum, et circa medium quarti post Christum sæculi floruisse (1). Plures ad hanc ætatem Avieni confirmandam rationes suppeditabunt tempora amicorum Avieni, Probi et Flaviani, de quibus deinceps agendum erit.

Versus quintus monimenti Avieno positi de carminibus ejus loquitur, sed quoniam de his extremo loco aptius agitur, nunc de ejus conjugio et familia ad versum sextum dicemus :

> Conjugio lætus Placidæ, numeroque frequenti
> Natorum exsultans.

Placidam nominat uxorem suam, quæ qua gente et domo prognata fuerit, liquido declarare nequeo. In veteribus

rius : Age, Servi, non solum adolescentium, qui tibi æquævi sunt, sed senum omnium doctissime, etc. » Et lib. I, cap. 2 : « Hus Servius, inter Grammaticos doctorem recens professus, juxta doctrinam mirabilis, et amabilis verecundiæ, terram intuens, et velut latenti similis, sequebatur ».

(1) Quo pacto seriora justo tempora ei adtribuere videtur Fabricius in Bibl. Lat. qui eum Theodosii junioris, Marciani et Leonis Thracis temporibus claruisse scribit.

inscriptionibus Placidi cognomine insigniti reperiuntur Annæi, Acilii, Aurelii, Valerii, Furii; e quibus si qua optio mihi concedatur, Placidam e gente Furia dicam fuisse. Plures enim ex ea gente Placidi circa tempora Avieni leguntur vixisse, iis etiam familiis innexi, quibuscum aliqua cognatio Avieno videtur intercessisse. T. Annæus Placidus temporibus Constantini Magni fuit (1). Furius Placidus Consul imperante Aureliano memoratur a Vopisco (2): tum M. Mæcius Memmius Furius Placidus, istius forte nepos, Consul cum Pisidio Romulo A. C. 343, qui pro patre Placidæ haberi potest, siquidem et ætas convenit, et Furiorum nomen inter alios Avieni æquales et cognatos haud rarum. Furius Albinus inter collocutores Saturnaliorum est apud Macrobium (3). Furia, Gaudentii Comitis filia, et uni ex Aniciis Probis nupta, ut viri docti colligunt ex epistola Hieronymi ad Furiam scripta. Probus, cognatus Avieni, cui Ora maritima dedicatur, haud dubie ad Anicios pertinet, sicut Flavianus, ejusdem familiaris, ad Clodios, quos etiam adfines Avienis fuisse, hic lapis apud Fabrettum (4) testari potest, Ameriæ inventus:

CLODIAE. L. F

AVIENI

MATRONAE MUNICIPES.

A matre Placida filius Avieni, qui patri monumentum posuit, Placidi nomen accepit. Præter hunc frequenti liberorum numero gavisum esse, ipsum monumentum prodit. Quorum edere nomina in tanta multitudine Avienorum, Festorum, Rufiorum, qui passim in monumentis memorantur,

(1) Grut. p. 282, n. 3.

(2) In Aurel. c. 15.

(3) Saturn. lib. I, 2.

(4) Inscript. ant. cap. 10, n. 521, pag. 744.

et subinde corruptius enuntiari nomine Abieni, Anieni, Aviani et Aniani videntur, admodum difficile est. Et plerumque Avienorum genus tam numerosum fuit, ut plures familias et cognationes complecteretur, siquidem de Gennadio Avieno, qui A. C. 450, cum Imp. Placidio Valentiniano Consul fuit, Sidonius Apollinaris scribit (1): *Avienus si quid poterat, in filiis, generis, fratribus provehendis moliebatur.* Macrobii Avienum pro filio vel nepote nostri habere par est. Fabricius in Bibl. Lat. seu potius Ernestus in altera editione hujus libri, Nicomachum Avienum a Macrobio adpellari dicit; ego vero in Macrobio ipso nondum inveni, neque Fabricium ipsum in prima editione sic scripsisse video. Quod si probari posset, hoc nomen Avieno fuisse, Clodiæ genti cognatum ostenderet, e qua Virius Nicomachus Flavianus fuit, ut docet Reinesius (2). Notior e cognatis Avieni Probus est, quem ipse sanguine sibi junctum, et filii instar a se diligi ait in principio libelli de Ora maritima. E tot numero Probis, quos vetera monumenta indicant, vix licet eligere et designare, quem pro Avieni cognato habeas. Fabricio videtur esse Sextus Petronius Probus, qui multis altissimisque honoribus illustris inde ab A. C. 351, per viginti annos continuos in diversis Præfecturis Præt. Italiæ, Illyrici, Africæ, Galliarum, vixit, ut in veteribus inscriptionibus videre est (3), atque adeo, ut Reinesio videtur (4), decennio ante has Præfecturas Vicaria et Proconsulatu Africæ functus est, quemque Ausonius, scripta ad eum epistola XVI egregio elogio con-

(1) Lib. I, epist. 9.

(2) Epist. ad Rup. 69, p. 624.

(3) Grut. pag. 450, n. 1, 2, 3.

(4) Epist. LXIX ad Rup. pag. 637, et in Syntagm. Inscript. Class. I, 39, p. 68, ubi totam Aniciorum genealogiam describit. Similiter Lipenius in Stren. civ. hist. cap. 2, pag. 71.

decorat (1). Quod si Petronius Probus tam mature, et quidem circa annum 340 publicos honores exorsus est, Avienus sane, qui libellum de Ora maritima doctrinæ institutionisque caussa Probo adolescenti mittit, necesse est, eum circa idem tempus scripserit, et quia Ora maritima extremum Avieni opus, certe Periegesi posterius est, hinc ille ante jam florere cœperit sub Constantini et filiorum imperio. Et quæ de moribus Probi Avienus pariter ac Ausonius scribunt, fere conveniunt in unam personam. Quo pertinet, quod uterque, laudare ejus virtutem cupiens, ad nomen Probi adludit. Avienus, v. 2: « Probe, animo atque sensu ». Ausonius latius, v. 44: « Utrumne mores hoc tui Nomen dedere; an nomen hoc Sequuta morum regula? An ille venturi sciens, Mundi supremus arbiter, Qualem creavit moribus, Jussit vocari nomine? » Uterque etiam singularem in Probo studiorum et literarum amorem prædicat: Avienus quidem rogatus ab eo, ut situm maris Mæotici et omnem oram maritimam describeret; Ausonius autem, ut Titiani apologos et Nepotis Chronica descripta ad juvandam filiorum institutionem mitteret. Gyraldus et ex eo Vossius (2) Probum esse illum virum Consularem existimat, ad quem Claudianus scripsit. Iis vero verbis non alium videtur intelligere, quam ipsum illum, de quo hactenus, Petronium Probum. Etsi enim carmen Claudiani re ipsa scriptum est in Consulatum Probini (non Probi) et Olybrii, fratrum, qui erant filii Petronii Probi; quædam tamen exemplaria Claudiani, quæ fortasse respexit Gyraldus, in carminis inscriptione Probi, Probini et Olybrii nomina conjungunt, adeoque Probi patris, Consularis viri, honorem in filiorum Consulatu quasi continuatum indicant. Et in ipso carmine tam crebra Probi patris laus occurrit, ut ad

(1) Ejusdem opes, dignitates, et mores, sed minus indulgenter, describit Ammianus Marcell. lib. XXVII, 11.

(2) De Histor. Lat. cap. 9, p. 202.

ipsum patrem scriptum videri possit. Quando vero Funccius scribit (1), Probum virum consularem versu primo Oræ maritimæ, et sæpius sequentibus indicari, in eo plane falsus est. Neque enim Probus ibi aliter, quam adolescens et cognatus Avieni compellatur. Nulla honorum ejus mentio. Itaque alter Petronii Probi filius, Anicius Probus, qui A. C. 406 cum Arcadio Imp. Consul fuit, vel alius ejus familiæ posset existimari hoc literarium munus ab Avieno accepisse, si quidem argumenta in promptu essent, quæ pro hoc potius, quam Petronio Probo, quem diximus, militare viderentur. Cognatis Avieni porro accensendus videtur *Flavianus Myrmecius*, ad quem poemation de malis Punicis scripsit. Reinesius certum putat (2), eum ad Clodios, quorum gentem descripsit, pertinere, quibus usitatum Flaviani cognomen fuit; sed ad quemnam ex istis referendus sit, et unde nomen Myrmecii sit indeptus, non ita expeditum esse. Adfert tamen duos interpretandi modos, et cognomen Murmecii derivandum censet vel a Myrmece, regionis Pentapolitanæ in mari Libyco insula, vel a Μυρμηκίῳ, oppido Tauricæ peninsulæ, circa Bosporum Cimmerium, seu ostium paludis Mæotidis. Memorant Scylax in Periplo, Strabo (3), Pomp. Mela (4), et Stephanus, qui gentile nomen ejus diserte perhibet esse Μυρμήκιος. Utraque cognominis ratio videtur in ipso poematio ad Myrmecium scripto significari. A Myrmece Africæ insula potuit Avienus nomen Myrmecii Flaviano addere, quod in carmine mala sibi mitti petit ex agello ejus *Libyca rate* advecta:

Si jam forte tuus Libyca rate misit agellus
Punica mala tibi, Tyrrhenum vecta per æquor;

(1) De veg. Lat. Ling. senect. cap. 3, pag. 223.

(2) Epist. ad Rup. pag. 625, et ad Inscript. vet. Class. I, p. 79 et 80.

(3) Lib. VII, p. 310.

(4) Lib II, cap. 1.

ubi agellum, vel prædium, Flaviano in Africa esse innuit. Sed quum idem paullo post dicat, aliam navem Flaviano venire de Corintho per Adriacum mare, *quam suis opibus cumularit Iberia dives*, atque hic non alia, quam Orientalis Iberia intelligi possit, quæ iisdem regionibus orbis, quibus Taurica peninsula et Myrmecium oppidum, continetur, potuit cognomen Myrmecii ad utramque terram respicere, et Flaviano inditum esse, quod aut ipse, vel unus majorum ejus, in alterutra natus esset, aut in utraque possessiones, agros et prædia haberet. Et posterior ratio mihi videtur probabilior altera. Nempe Clodiorum et Aniciorum, qui amplissima prædia per totum orbem Romanum dispersa habuisse dicuntur (1), hic mos fuit, ut a regnis et possessionibus suis cognomina adsciscerent. Sic e Clodiis nonnulli Pontici sunt adpellati et Olybrii, quod illi in Ponti tractibus, hi ad Olybriam, quæ et Selybria et Selymbria, post Eudoxiopolis Impp. Honorio et Theodos. II, dicta est (ut patet ex lege 61 Cod. Theod. de hæret.), oppidum Thraciæ, prædia et clientelas amplissimas tenebant (2). At regionem Murmecii in Taurica peninsula, quam Geographi tradunt ubere gleba et maxime frumenti feracem fuisse, ita ut, qui eam inco-

(1) Amm. Marcell. de Anicio Petronio Probo, lib. XXVII, cap. 11: « Ad regendam Præfecturam Prætorianam ab urbe Probus accitus, claritudine generis et potentia, et opum amplitudine cognitus orbi Romano, per quem universum pæne patrimonia sparsa possedit ». Et de Anicio Juliano, Præside Hispaniæ Tarraconensis A. C. 316, qui fuit avus Probi, Symmachus in epigrammate ejus imagini adposito, Epist. I, 2: « Cujus opes, aut nobilitas, aut tanta potestas, Cedenti cui non præluxit Anicius unus? »

(2) In iis prædiis maxime equorum generosorum greges, Imperatorum usibus bellicis, circi voluptatibus, cursui publico inservituros alebant. Qui equi Thraces Hermogeniani dicti sunt ab Hermogene Pontico Præf. Pr. Orientis A. C. 358, ejusque filio vel nepote, Clodio Hermogeniano Olybrio, et laudati in Cod. Theod. leg. 1 de equis curul. et l. un. de grege dominico.

lebant, proprie γεωργοὶ dicerentur (1), valde credibile est proceres Romanos, et inprimis Clodios vel Flavianos, insedisse, villis, colonis, armentis et pecudibus instruxisse, ut nonnulli etiam, majores ibi copias habentes, inde Myrmecii nomen adsumerent. Sed quia nomen hoc aliis in monumentis vix occurrit, quinam ex Flavianis sit ille hoc nomine ab Avieno insignitus, amplius quærendum est. Certo illum familiarem Avieni designare audet auctor Adversariorum Luitprandi: « Vir doctissimus, inquit, Flavianus, ad quem scripsit Symmachus, et cui inscripsit Festus Rufus Avienus librum de Stellis, floret sub Theodosio ». Quem librum Avieni hic intelligat, Flaviano dedicatum, et unde hoc hauserit, aut confinxerit, alio loco disquiremus. Flaviani ipsius personam et ætatem satis definivit Reinesius (2), qui eum dicit Q. Clodii Flaviani, Procons. Africæ A. C. 357, filium, epistolis Symmachi, quæ nonaginta ad eum scriptæ sunt, et librum secundum complent, valde celebratum, fuisse Vicarium Africæ, et sub Theodosio I Præfectum Præt. Illyrici et Italiæ per annos fere XII, Eugenio Anti-Cæsari addictum, et Symmacho, quod idolorum propugnator esset, extispiciis auguriisque deditus et vaticiniorum aliis generibus, maxime admirabilem, fratrem, sodalem, a Macrobio, Saturn. I, c. 1, inter Romanæ nobilitatis summates numeratum. Integro nomine Virium Nicomachum Flavianum nuncupat e monumento, a Symmacho juniore, qui prosocerum suum adpellat, posito, quoque ei præter alia honorum et munerum elogia etiam *Historici disertissimi* tribui-

(1) Strabo, lib. VII, p. 311. Et de iis Amm. Marcell. XXII, 8, p. 341: « Mæotidos lateri lævo Cherronesus est propinqua, coloniarum plena Græcarum. Unde quieti sunt homines et sedati, adhibentes vomeri curam, et proventibus fructuariis victitantes ». Conf. quæ de coloniis et populis Chersonesi Tauricæ nuper disputavit Heynius V. C. Opusc. Acad. t. III, p. 392 seq.

(2) Epist. 69 ad Rup. p. 623.

tur (1). Quod Avienus Flaviano librum de Stellis dedicasse dicitur, id Ramiresius de Prado (2) aptum putat ejus palato fuisse, qui siderum observator futura prædicere sit solitus, testemque adfert Sozomenum, e quo hæc refert (3). Putabat Eugenius, se id quod conabatur absque impedimento consequuturum, inductus quorumdam verbis, qui se futura prædicturos pollicebantur ex victimarum immolatione, ex viscerum inspectione, ex observatione siderum. Harum rerum studiosi tunc erant, quum alii multi apud Romanos in dignitate constituti viri, tum etiam Flavianus, tunc temporis Præfectus Præt. vir eximius, et in rebus politicis prudens habitus, quique insuper ex omnis generis divinationis scientia exacte præscire futura credebatur. Convenit cum his, quod apud Macrobium (4), in disputatione de Virgilii virtutibus, Flavianus partes suscipit ostendendi in Virgilio scientiam juris auguralis. Ex his quidem satis accurate cognoscimus personam et indolem illius Flaviani, quem amicum Avieni titulus carminis de malis Punicis indicat, et cur eidem Murmecii nomen sit additum, ex ipso carmine, ut supra ostendimus, potest colligi. Apud Symmachum quum lego (5), Hyperecium quemdam fratrem ab eo adpellari, venio in suspicionem, vitio scripturæ forte id nominis positum pro Myrmecio, et Flavianum Myrmecium intelligendum esse, quem toties fratrem adpellat.

Deveniendum nunc est ad scripta Avieni recensenda, quorum nos admonent verba inscriptionis antiquæ:

Carmina multa serens.

(1) Integram inscriptionem proposuit Reinesius in Syntagm. Class. VI, n. 92.

(2) Ad Luitprandi Advers. p. 491.

(3) Hist. eccles. lib. VII, cap. 22.

(4) Saturn. I, 24.

(5) Epist. lib. III, 51.

Quæ quum facile persuadent nobis, ut præter exstantia hodie carmina Avieni satis longa, etiam illa deperdita, a Servio memorata, Virgilii fabulas et Livii historias iambis expressas, merito ei tribui censeamus, tum vero vetant alios libellos, prosa oratione sub Sexti Rufi, vel Rufi Festi nomine scriptos, huic nostro, ut nonnulli fecerunt, adscribere.

I. Primo loco eorum, quæ hodie supersunt, operum Avieni merito ponimus *Metaphrasin Phænomenon Arati*, quæ præcipuam apud Veteres gratiam et celebritatem habuisse videtur, quippe jam Hieronymo memorata, et, nisi fallimur, a Prisciano vel tacite Avieno Periegeseos auctori tributa, quod, qui Dionysium Periegetam latino carmine verterat, idem Epitomen Phænomenon, ex Arato haustam, quasi Avienum imitaturus conscripsit. Quamquam hoc opus pro dignitate argumenti merito haberi pro primario Avieni potest, pro ætate tamen et tempore scriptionis fortasse extremum, aut cæteris, quæ habemus, posterius judicandum est. Nempe haud ægre sententiæ Nic. Antonii accedo, qui putat (1), Avienum duo Geographica opera prius, quam ad Aratum accederet, a se edita, his versibus indicare (2):

> O mihi nota adyti jam numina Parnassei,
> O, per multa operum mea semper cura, Camenæ!
> Jam placet in superum visus sustollere cælum.

Et Avienum Phænomena pariter, ac carmina Geographica scripsisse, quum styli plures adfinitates, tum maxime phrasium utrimque adhibitarum manifesta similitudo declarat, cujus hic unum tantum exemplum e multis aliis ponimus. Avienus in Phænom. Arati, v. 76, canit:

> Major agit mentem solito Deus, ampla patescit
> Cirrha mihi, et totis se Helicon inspirat ab antris.

(1) Bibl. vet. Hisp. II, 9, p. 160.
(2) In Phænom. v. 71 seq.

Idem in Descr. Orb. v. 818:

> .... incute doctam,
> Phœbe, chelyn! totis Helicon adspiret ab antris.

Conferri etiam potest initio Descript. terræ, vs. 6, seq. Neque igitur dubitandum est, esse opus Phænomenon ejusdem auctoris, cujus est Orbis terræ et Oræ maritimæ descriptio, licet de hoc subdubitet Henr. Cannegieter. (1). Qui quo magis vincat, fabulas 42, quæ hodie habentur, non esse Avieni, cui Gyraldus et Vossius tribuant, hoc præstruere et confirmare laborat, plures Avienos fuisse scriptis claros, et frustra unius omnia censeri, quæ hodie ejus nomine circumferantur, seque adeo carminum Geographicorum quidem unum auctorem Avienum admittere, de reliquis operibus ambigere. Sed si Cannegieterus paullo post agnoscit, in carmine ad Deam Nortiam Festum Φαινομένων auctorem loqui, atque hic ibidem profitetur *multa se carmina sevisse*, iniquius sane judicat ille, quando auctori ei unum saltem hoc carmen tribuit, cætera eidem tributa abjudicat. Alio vetustioris ætatis testimonio Avienus auctor confirmaretur, si quidem fides habenda esset Pseudo-Luitprando in Advers. qui Rufum Festum Avienum scribit librum de Stellis Flaviano inscripsisse. Ramiresius in notis pro certo adfirmat librum de Stellis esse Phænomena Arati, ab Avieno in latinum sermonem traducta, cæterum an huic libro conveniat, quod ait ille, Flaviano dedicatum esse, id quærere negligit. Enimvero hodie habemus Aratea Phænomena Avieni; dedicationis Flaviano factæ, neque in titulo, neque alio libri loco vestigium reperimus. Sed nimirum hinc insignis fallacia pariter atque inscita temeritas falsarii scriptoris adparet. Fraudem esse interpretor, quod Avieni librum de Stellis potius, quam Arati Phænomena adpellare voluit, eoque præ se ferre, quasi aliud et diversum a vulgatis Avieni opus, aliis incognitum, nunc primus proferat. Cujus commenti

(1) Diss. de ætate et stylo Fl. Aviani, cap. 2.

aliquod præsidium videtur e verbis Servii Grammatici petiisse, qui ad Virg. Æn. X, 272 adnotat, Avienum nomina et adfectus quarumdam stellarum memorasse. Quod autem idem opus Flaviano dedicatum esse dicitur, id per summam imprudentiam fit, qua scriptor ipse ut recens et spurius arguitur, et tamquam sorex indicio suo perit. Nam manifestum est, eam dedicationem ex male intellecta inscriptione operum Avieni, quæ in vetustis exemplaribus est, confictam esse. In prima Avieni editione Ven. an. 1488, post præfationem Victoris Pisani textus operum Avieni in summa pagina hac cum epigraphe incipit: *Rufus Festus Avienus V. C. Flaviano Myrmecio V. C. suo salutem*, et subjicitur notum epistolium ad Flav. Myrm. de malis Punicis, versibus 31 constans. In ima pagina sequitur: *Rufi Festi Avienii V. C. Arati Phænomenon liber incipit.* Hinc ultro adparet, carmen Flaviano inscriptum, præmissumque Avieni Phænomenis Arati, ab inepto lectore pro dedicatione metaphrasis Arati ad Flavianum esse habitum. Similiter Phil. Labbeus (1) tradit, in quibusdam editionibus antiquis metaphrasin Arateorum inscribi *Rufi Festi Avieni carmen de Astris*, parum apte. Sed hinc intelligitur, Pseudo-Luitprandum, qui Avieno librum de Stellis adscribit, hunc titulum ex ejusmodi exemplis Avieni sumpsisse, neque iis antiquiorem esse. Cæterum quia propositum est nobis, Aratum Avieni a cæterorum ejus carminum editione nunc excludere, atque alio tempore classi astronomicorum carminum inserere, quandoquidem idem a prioribus editoribus factum est, qui fere semper separatum a reliquis operibus auctoris vulgarunt, hinc etiam, quæ de ejus poematis consilio, virtutibus, usu forte dici possunt, in illud tempus differimus, ubi ipsum contextum ejus lectori proponemus (2).

(1) In Nova Biblioth. Msptorum lib. Paris. 1653, p. 355.

(2) Hoc carmen nunquam a Wernsd. editum, quia moriens opus suum imperfectum reliquit, nos prodire jubebimus ad calc. operum Avieni. Ed.

II. *Metaphrasis Periegeseos Dionysii*, quæ in antiquioribus quibusdam libris *Situs Orbis*, vel *Ambitus Orbis*, in recentioribus plerumque inscribitur *Descriptio Orbis terræ*. Dodwellus putat (1), quum Avienus græcam vocem Περιήγησις non repetere in fronte libri, sed interpretari propria inscriptione, et suum nomen, non Dionysii, adponere voluerit, hoc eo fine fecisse, ut se auctorem magis poematis, quam interpretem exhiberet. Et fere consentiunt in eo eruditi alii, ut Barthius, Vossius, Ramiresius, non esse carmen illud meram interpretationem Dionysii, sed proprium Avieni opus, quod ille, materia maximam partem a Dionysio sumpta, suo impendio atque instrumento exstruxerit, quamvis non defuerint alii, qui versionem Dionysii esse imprudenter dicerent. Etenim non pauca Dionysii suo lubitu abjicit atque omittit, alia multa adjicit ex aliis forte scriptoribus hausta, omnia vero stylo liberrimo, et oratione tam luculenta ornataque exponit, ut legentes poetam, suo ingenio excitatum, eminenti quodam spiritu ferri videamus. In quo sane plurimum differt a Prisciano, qui ubique strictior et religiosior in interpretando est, non poetam, sed Grammaticum professus; quamquam et hic multa libertate usus est, ut ad ejus Periegesin (in præcedenti vol. Ed.) monuimus. Descriptionem Orbis terræ ante Oram maritimam esse compositam, ipse Avienus memorat, atque istam citat in Or. mar. v. 71 seq. Sed qui hanc Descriptionem primum omnium Avieni operum fuisse, eoque tirocinii rudimentum ab eo positum existimat, Cannegieterus (2), haud dubie fallitur, et verba, e quibus hoc colligit, initio Descriptionis orbis posita, falso interpretatur:

.... Oceanumque
Carminis auspicium, primum memorate, Camenæ.

(1) In Diss. de ætate Dionysii.
(2) Dissert. cit. cap. 7.

Quippe *auspicium* Avienus non omnium carminum, quæ unquam scripturus est, sed illius, quod nunc ingreditur, initium dicit Oceanum futurum, hoc est, primo loco et prima parte Descriptionis suæ se acturum esse pronuntiat de Oceano, qui totam terram ambit; quæ ipsa sententia Dionysii est, ab Avieno expressa. Sed hoc nimirum arripit Cannegieter. ut sententiæ suæ velificetur, qua quum omnium carminum, quæ uni Avieno tribui solent, auctores dirimere conatur, tum hoc inprimis contendit, ut fabularum auctorem, qui hoc primum opus suum profitetur, ab auctore Descriptionis orbis distinguat, sicut ab eodem paullo ante Arateorum auctorem discerni voluit. Sed qui Phænomenon et geographicorum carminum non unum auctorem velit agnoscere, nescio qua ratione eum et quibus argumentis duci oporteat, quum non solum omnium codicum tituli, in uno auctoris nomine consentientes, sed et interiora utriusque libelli, unus idemque genius auctoris, par et simile institutum, idem stylus ornatus, figuris, verbis antiquis, et constructione græca insignis, unicuique, qui gustum et scientiam earum rerum habet, persuadere debeant, unum Avienum eorum auctorem esse. Neque ineptum est credere, fuisse hoc institutum Avieni, ut cæli pariter atque orbis terræ descriptione facta, morem atque munus Geographorum plane exsequeretur, qui ubi partes terræ referre et definire ad cæli regiones solent, utriusque descriptionem amant conjungere. Qua in re præivisse sibi poetam Varronem Atacinum haud dubie noverat, cujus e fragmentis Chorographiæ hodie exstantibus adparet, eum de cæli pariter ac terrarum regionibus loquutum esse. Itaque hac ratione ductum Avienum, credimus, post Dionysii Periegesin latino carmine expressam, voluisse cæli et astrorum descriptionem ex Arato reddere. Cætera, quæ de Avieni Descriptione Orbis terræ forte moneri possent, quia pleraque jampridem ad Prisciani Periegesin dicta sunt, nunc taciti præterimus.

III. Quod *Ora maritima* inscribitur carmen, versibus

iambicis scriptum, non integrum, sed fragmentum operis est, quo omnem oram maris mediterranei, cum Ponto Euxino et Mæotide, ad mare usque Scythicum describere voluit. Hoc ipse auctor declarat a versu 53 ad 71, et videtur innuere inscriptio libelli, quam prima editio Ven. præfert, ac Pithœus, P. *Melian* in ed. Madrit. et Hudsonus reddiderunt, *Oræ maritimæ liber primus.* Nam si hæc inscriptio e vetusto codice est, omnino significat vastum opus fuisse, quod totam marium interiorum oram describeret pluribus libris; quorum primus forte a Gadibus ad Ligusticum mare pertinuit. Nunc parte majore ejus operis perdita, initium tantum restat, longum id quidem, sed tamen et nonnullis lacunis hians, quod a freto Herculeo ad Massiliam usque procedit. Hoc opus, nescio, qui intactum Latinis ingeniis dicere Crinitus potuerit, quum Varronis Oræ maritimæ et Litoralia laudentur a Veteribus. Et Jo. Baleum illud magno errore non Avieno, sed Rufino cuidam, poetæ Britanno, tribuisse, sup. in Proœmio ad Rutil. (t. IV, init. Ed.) memoravimus. Ad Probum, virum Consularem, scriptum esse, idque versu primo indicari, Vossius et ex eo Funccius notant. Quod quidem hactenus verum esse non abnuo, ut Probus intelligatur, qui aliquando honoribus Consularibus floruit, sed id ab Avieno hoc loco significari nego. Probum enim nudo nomine adloquitur, neque alium, quam amoris et benevolentiæ honorem habet, sanguine sibi junctum, et liberorum loco esse significans, cæterum tum, quum scriberet, adolescentem admodum, cujus docilitati et discendi cupidini gratificari ea descriptione Oræ maritimæ cupit. Nempe, ut ex versu carminis 1 et 32 patet, interrogaverat Probus, nobilis juvenis, Avienum, quis Ponti Euxini et maris Mæotici situs esset; cui desiderato quo benignius accuratiusque respondeat, omnem maris mediterranei ambitum edocendum suscipit, ut inde Mæotici situm maris, quod pars extrema et terminus illius est, hoc melius intelligeret. Hoc loco non intempestivum, nec ad

declarandum operis de Ora maritima scopum inutile sit, quærere, quæ caussa fuerit, cur et Probus juvenis de situ maris Mæotici tam curiose quæreret, et Avienus, qui parentis in hoc officium se præstare ait, tam operose et diligenter, quippe longo carmine elaborato, respondendum putaret. Et, nisi plane fallor, hæc caussa fuit. Erat Probus juvenis, qui quibus honoribus et divitiis eluxerit postea, superiore loco docuimus, ex ea gente, quæ Aniciis, Clodiis, Flavianis, Hermogenianis, Olybriis ipsisque Avienis innexa, ingentes divitias et amplissima patrimonia per omnes fere Romani imperii provincias, mari mediterraneo circumjacentes, possidebat, et sine dubio tot Præfecturis Pr. Orientis, Italiæ, Illyrici continuo gestis adquisiverat. In Ponti tractibus ampla habuisse prædia, Pontici nomen declarat, Hermogeni, Præfecto Pr. Orientis, a quo Hermogeniani nominati, tributum; in Thracia, Olybrii (1). Anicios fere solos maximas opes possidere scribit Zosimus (2), et *Casas*, villam Aniciorum in Africæ regione Syrtica memorat Itinerarium Anton. Flavianum Myrmecium agros et prædia in Taurica habuisse, cognomen ostendit; in Africa et Iberia, Avienus noster in carmine testatur. Musoniano, quem ipsum Avieni nostri cognatum puto, agros in Asia fuisse, innuit Symmachus (3). Denique de ipso, qui hæc juvenis quæsivit, Petronio Probo, Præf. Pr., Amm. Marcellinus tradit (4), sparsa per universum orbem Romanum patrimonia habuisse. Jam puer nobilis, qui tot regnorum et villarum dominus futurus erat, qui prædiorum multorum, quæ gentiles sui per diversas et longinquas orbis Romani terras tenebant, vix nomina tenere, nedum regiones et sitûs poterat, hic, mirum non est, si de regionibus

(1) Vid. Reinesius, Epist. ad Rup. pag. 641.
(2) Lib. VI, cap. 7.
(3) Epist. lib. III, 53.
(4) Lib. XXVII, cap. 11.

prædiorum, præsertim longinquis, curiosius quæsivit, atque hinc situm maris extremi, Mæotici, præcipue cognoscere voluit (1), cujus in terris adjacentibus plurimas ejus gentis possessiones fuisse diximus. Avienum vero negotio eo suscipiendo, credibile est, inservire, non modo studiis, sed et gloriæ gentis illius, cui scribebat, voluisse, operamque dedisse, ut Probo per occasionem eam plurima, si non omnia, gentis suæ prædia per insulas et ambitum maris mediterranei ostenderet, neque dubium est, quin ille per totum opus regna nobilium Romanorum diligenter adnotaverit, modo illud integrum, nec parte maxima truncatum, ad nos pervenisset. In ipso mari Mæotico describendo præcipuum sibi auctorem fuisse Sallustium profitetur, *ad cujus inclytam descriptionem multa* se dicit *junxisse*, quæ ex Græcorum commentariis sumpsisset. Unde totius Oræ maritimæ descriptio enata videtur. Atque ex hoc loco Avieni colligo, Sallustium descriptionem Ponti Euxini singulari libro dedisse, quem miror a viris doctis, qui de Romanis scriptoribus egerunt, inter deperdita Sallustii scripta non memorari. Etsi videri potest Sallustius, ut quidam existimant, hanc descriptionem libro IV Historiarum, ubi de bello Mithridatico egit, inseruisse, idemque fecit Amm. Marcellinus, lib. XXII, cap. 8, qui, per occasionem profectionis Juliani in Orientem, situm Pontici sinus et regiones populosque per eum tractum monstrare suscipit; tamen, quum ea descriptio toties sub peculiari titulo citari a Grammaticis soleat, id satis caussæ esse videtur, ut pro libro Sallustii singulari habeamus. Nonius Marcellus (2) *Sallu-*

(1) Non est mirum, inquam, Probum juvenem prædivitem hæc quæsivisse, siquidem Ammian. Marcellinus, lib. XIV, cap. 6, pag. 26, scribit, eam suo tempore adrogantiam et vanitatem nobilium et Senatorum Romanorum esse, ut « patrimonia sua in immensum extollant, cultorum utpote feracium multiplicantes annuos fructus, quæ a primo ad ultimum solem se abunde jactitant possidere ».

(2) Pag. 524 edit. Paris. in v. *Proximum*.

stium in Situ Ponti adlegat: commentator Horatii (1) *de situ Pontico:* Servius (2) *Sallustium de Ponto.* Alia fragmenta, in quibus de Ponto et ejus populis agitur, si nudum auctoris nomen, nec ejus libri titulum adpositum habent (3), propterea ad alium Sallustii librum referri non debent. Si omnia fragmenta libri IV Historiarum, ad quem pertinuisse descriptionem Ponti putant, relegimus, nullum in iis reperimus, quod ad Pontum ejusque gentes spectet. Quæ igitur ad hunc spectant, et nunquam ad Historiarum aliquem, sed aliquando ad proprii tituli librum referuntur, hæc probabiliter indicant, librum Sallustii de Situ Ponti sejunctum ab ejus Historiis fuisse. Cæterum mirum videri potest, quum olim M. Terentii Varronis liber *de Ora maritima* exstiterit, a Servio aliquoties citatus, hunc ab Avieno non usurpatum, nec juxta Sallustium inter fontes materiæ suæ memoratum esse. Sed fortasse Varronis liber non similis Avieni proposito fuit, nec maris mediterranei ambitum complexus est, siquidem e Servii loco ad Æn. I, 112, potest colligi, eum solummodo, vel præcipue, de ora maritima Italiæ egisse. Illud magis mirari licet, Avienum in exponenda Ora maritima commentariis vetustissimorum Græcorum, quos ipse versu 42 seqq. nominat, plurimum usum esse, atque notitiam locorum et gentium antiquis temporibus magis, quam suis, accommodasse. Unde de ea parte Descriptionis, quæ hodie superest, et Hispaniæ maxime oram continet, Petrus *de Marca* observavit (4), Avienum antiquata gentium nomina usurpare solere, eaque omittere, quæ tum in usu erant, quum ipse scriberet. Sed videtur eum amor et copia lectionis antiquæ et literarum

(1) Ad Carm. lib. I, od. 17, 18.

(2) Ad Æn. III, 533.

(3) Ut in Servio ad Æn. II, 312, XII, 143; Macrob. Saturn. VII, 2; Scholiast. Juvenal. XV, 115.

(4) Locum vide inter testimonia.

Græcarum permovisse, ut hoc consilio uteretur, et fortasse ad dignitatem nobilis et prædivitis juvenis putabat pertinere, ut per occasionem hanc uberiore doctrina imbueretur, atque e præsenti gentium locorumque statu in memoriam vetustiorum temporum adduceretur. Neque tamen in recensendis locis omisit plane, quæ nova et suis temporibus nota essent, ut e pluribus locis fragmenti, quod superest, adparet.

IV. *Fabulæ Æsopi XLII*, elegis scriptæ, et Theodosio cuidam dedicatæ, licet a plerisque eruditis, atque olim a Joanne Sarisberiensi (1), similitudine nominis inductis, Avieno nostro adtributæ sint, mihi tamen nunquam huic auctori deberi visæ sunt, sed juniori, ejusdem forte familiæ et nominis. Quamquam enim de diversa scriptura nominis, quod in nonnullis codicibus Anianus, Avianus, Abienus, Abidnus scribi dicitur, non multum laboro, quippe eadem in antiquis monumentis sæpe variata vel confusa arbitror, in nullis tamen, quantum mihi rescire licuit, integrum nomen Rufi Festi Avieni inventum est. Et stylus Aviani fabulatoris plane diversus, simplex, incomptus, languidus, molestus sæpe et impeditus, nonnunquam barbarus, rudis ingenii et inexercitati scriptoris experimentum præbet, quod ad vim et elegantiam Avieni nostri minime accedat. Addo etiam, quod hunc auctorem Christianorum sacris addictum fuisse e fabula XXIII et fabula ultima haud obscure adparet, ubi idolorum cultum explosisse, et martyrium probasse videtur, a quibus tamen Avienum nostrum alienum fuisse docuimus (2). Quo magis igitur Cannegie-

(1) Polycrat. lib. VII, 24, pag. 438.

(2) Casp. Barthius, Adv. XLVI, cap. 16, in fine, censet, nihil minus, quam Avieno fabulas adjudicari debere, « quum ad hujus spiritum et nervosissimam dictionem collatæ eæ fabulæ sint vix trama figuræ ». Idem, lib. XIX, cap. 24, XXVII, 3, et lib. L, cap. 7, alias rationes

teri rationes probamus, quibus, fabulas non esse Avieni, demonstravit, hoc minus adsentire ejus sententiæ possumus, qua Flavium Avianum, fabularum auctorem, ad ævum usque Antoninorum evehere, ejusque stylum a labe serioris latinitatis vindicare conatur. Quod licet multa industria et magno doctrinæ adparatu agat, nunquam tamen mihi persuadere potui, ut eam sententiam solidis argumentis confirmatam, quæque ei obstare videntur tam multa et gravia, feliciter ab eo refutata arbitrarer. Non est hujus vel loci, vel otii mei, singulas ejus vel plures rationes excutere; primarium tamen ejus argumentum, quo tamquam fundamento tota hæc disputatio innititur, facere non possum, quin paullo accuratius explorem. Avianus in præfatione ad Theodosium materiæ, quam sumpsit sibi, ducem Æsopum laudat, ejusque fabulas dicit Babrium Græcis iambis repetiisse, et Phædrum inter Latinos partem earum aliquam quinque in libellos resolvisse. Cannegieterus vero alium auctorem, qui fabulas Æsopias post Phædrum scripserit, producit, Julium Titianum, ab Ausonio, Epistola XVI, ad Probum, laudatum, quem probat Principibus Caracalla, Macrino atque Elagabalo vixisse (1). Quum igitur inter Phædrum et suum sæculum Avianus nullum auctorem fabularum ponat, Titianus autem proximus ætate Phædro sit, isque ab Aviano non memoretur, hinc colligit Cannegieterus, Avianum ut Phædro minorem ætate, ita majorem prioremque Titiano fuisse, atque adeo sub Antonino Pio et M. Aurelio floruisse. Enimvero hæc disputatio fundamento admodum infirmo nititur, idque duobus ma-

pro sua sententia adducit, præsertim, quod fabularum auctor Christianum se prodat. Quæ quidem Nic. Antonius, Bibl. Hisp. vet. II, 9, pag. 160, non per omnia probat, subjicit tamen : « Nec ideo tamen Barthii judicium nos audacter improbamus, aut fabularum scriptorem nostrum omnino volumus Avienum ».

(1) Hoc agit in dissertatione de ætate Aviani, cap. 10, 11 et 12.

xime vitiis laborat: primo quidem, quod Cannegieterus Avianum existimat in præfatione seriem omnium fabularum auctorum ad sua usque tempora recensere voluisse; deinde quod præteritum ab Aviano Titianum falsæ adsignat caussæ. Avianus ut materiam fabularum a se susceptam commendet, ducis et auctoris ejus Æsopi famam et auctoritatem prædicat, quem ait et Apollinis Delphici monitu ad fabulas scribendas excitatum, et a sapientibus viris maximi factum esse, quorum alii fabulas illius pro exemplo adduxerint in sermonibus suis, alii adeo versibus expresserint. In istis nominat Socratem et Flaccum, in his Babrium et Phædrum. Vides, non seriem et ordinem antiquiorum auctorum, qui apologos Æsopios scripserint, recenseri, qui profecto aliter et plenius fuisset constituendus, si id quidem voluisset Avianus; neque Socratem et Horatium pro fabularum Æsopiarum scriptoribus aut collectoribus ab Aviano haberi, sed pro iis, qui fabulas doctrinæ caussa subinde adhibuerint pro exemplo. Proinde ab his distinguit, quos deinceps laudat, Babrium et Phædrum, quos dicit fabulas Æsopias non tantum laudasse et usurpasse, sed repetitas, et quidem versibus iambicis, in aliquot volumina collegisse. Laudat autem eos solum fabularum collectores, qui versibus scripserunt, quod eorum exemplo suum ipsius consilium, qui elegis scribat, vult commendatum; sed hinc adparet etiam, cur Titianum, quamvis se priorem, his auctoribus accensere noluerit. Hunc enim Ausonius l. c. testatur Æsopi apologos, versibus iambicis trimetris a quopiam veterum poetarum græce conscriptos, oratione pedestri et soluta Latinos fecisse:

Apologos, en, misit tibi,
Æsopiam trimetriam:
Quam vertit exili stylo,
Pedestre concinnans opus,
Fandi Titianus artifex.

Apologi Æsopii trimetri, quos Titianum vertisse Ausonius

scribit, haud dubie sunt ipsius Babrii, quem Avianus nominat; idque agnoscit Cannegieterus (1). Quippe hodienum tetrasticha trimetra de fabellis Æsopiis sub Gabriæ vel Fabrii nomine exstant. Quod igitur Titianus nihil aliud, quam Babrium Græcum vertit latine, et quidem prosa, neque adeo novas confecit fabulas (2), plane nulla caussa fuit, cur Avianus Babrio jam nominato Titianum subjiceret, quem eumdem ac Babrium esse sciebat, atque inter diversos apologorum auctores referre nec poterat, nec debebat (3). Hoc pacto vera omissi ab Aviano Titiani caussa

(1) Dissert. cit. cap. 11, pag. 275.

(2) Quum Th. Tyrwhittius, in Diss. de Babrio, p. 37, edit. ab Harlesio curatæ, adseveret, « sequioribus sæculis, quum non modo numerorum metricorum suavitas, sed etiam omnis orationis elegantia neglecta jaceret, cœpisse homines male feriatos Babrii fabulas in prosam reducere », miror eum ex loco Ausonii non observasse, Titianum inter Latinos forte primum fuisse, qui hoc auderet.

(3) Quoniam Julius Titianus, de quo hactenus egimus, idem est ac ille, quem Jul. Capitolinus *provinciarum libros pulcherrimos*, et Servius *Chorographiam* scripsisse testatur, et nos supra in Proœmio ad Rut. (t. IV, init. En.), inter veteres Geographos retulimus, liceat jam de libro geographico Titiani nonnihil observare, quod ipsa Cannegieteri disputatio subjicit. Hic scilicet, Dissert. cit. cap. 11, opinatur, Julium Titianum esse Cosmographum illum, quem Cassiodorus, de Divin. lect. cap. 25, Julium oratorem, omisso Titiani nomine, nuncuparit. Sic enim hic: « Libellum Julii oratoris, quem vobis reliqui, studiose legere festinetis: qui maria, insulas, montes famosos, provincias, civitates, flumina, gentes, ita quadrifaria distinctione complexus est, ut pæne nihil libro illi desit, quod ad Cosmographi notitiam cognoscitur pertinere ». Sed si hic Julius orator esset Titianus, opusculum geographicum, vel Cosmographiam, quæ hodie exstat, et a plerisque sub Æthici, a Gronovio sub Julii Honorii nomine edita est, necesse esset Julii Titiani nomine inscribi. Nam plane idem est opus, quod describit Cassiodorus. *Quadrifariam distinctionem* habet, quum omnem terræ orbem in quatuor partes describit, Oceani orientalis, occidentalis, septemtrionalis et meridiani, et in singulis eodem ordine, quo Cassiodorus perhibet, *maria*, *insulas*, *montes famosos*, *provincias*, *civitates* sive oppida, *flumina et gentes* recenset. Contra in Cosmographia non leguntur, quæ Servius

aperta et manifesta est, ex ipsaque Aviani oratione et mente declarata; atque adeo fundamentum illud, cui superstruere Cannegieterus antiquam ætatem Aviani voluit, plane corruit. Taceo alia, quæ sententiæ illius obstant,

ad Æn. IV, 42, et XI, 651, e Titiani Chorographia memorat, et omnino luculentius et copiosius fuisse videtur illud Titiani, quam hoc Julii oratoris, quod hodie exstat, monogrammon opus. Unde nec Vossius, qui de Julio Titiano luculenter egit, de Histor. Lat. lib. II, p. 172, illud inter scripta ejus referre ausus est. Igitur Julius orator Cassiodori diversus a Titiano, qui Chorographiam scripsit, eoque multo recentior est, recte autem ab eruditis auctor Cosmographiæ, quam habemus, existimatur, quia in vetusto ejus codice *Julii oratoris utriusque artis*, in alio *Julii Honorii, magistri periti*, nomen exaratum fuit, ut refert Vossius, de Philolog. cap. 11, num. 16, p. 59. Interim non plane abnuerim, esse forsitan Cosmographiæ, quæ exstat, adfinitatem aliquam cum antiqua illa Titiani, et Julium Honorium libellum suum ex antiqua et copiosiore Titiani excerptum, et in brevius contractum dedisse, pro more serioris ætatis, qua Honorius vixit, quæ copiosas disciplinarum institutiones refugiebat, et difficiles ad intellectum reputabat, ut de ipsius Titiani rhetorica innuit Isidorus, Orig. lib. II, cap. 2. Suspicionis meæ ratio hæc est, quod teste Vossio l. c. in codice Thuaneo hæc ad calcem operis sunt adjecta : « Hæc omnia in descriptione recta Orthographiæ transtulit, publicæ rei consulens, Julius Honorius, magister peritus, etc. » et in alio codice, quem Gronovius edidit, hæc subjiciuntur : « Excerptorum excerpta explicita orthographiæ a Julio oratore utriusque artis feliciter ». Nescio quid sibi vox orthographiæ in his verbis velit, nisi vitiose pro Chorographia posita est, quæ erat Titiani, adeo verbosa, ut Julio Honorio pro captu sæculi sui excerpenda videretur. Honorius, qui excerpsit, fortasse ille Scholasticus sæculi VI est, cujus carmen ad Jordanem Episcopum Ravennensem edidit Jo. Mabillonius, tomu I Analect. vett. p. 364 (et nos inter testimonia de Lucilio Juniore huj. op. t. III, p. 67, retulimus. Ed.) Alius Honorius, Augustodunensis Presbyter, sæculo XII Cosmographicum opus reliquit, quod *de Imagine mundi*, sive *dispositione orbis* inscriptum, non solum descriptionem orbis terræ, sed et temporum rerumque gestarum persequitur, et in Biblioth. Patrum Maximæ, Lugdunensis, tomo XX, inter opera Honorii Augustodunensis legitur. Liber primus ejus operis agit de mundo supero et infero, sive Sphæra; secundus, de temporum differentiis; tertius, de temporum volubilitate, seu Chronologia.

impedimenta sat gravia, quæ ille multis molitionibus ægre amovere potuit. Flavii nomen, Aviano additum, quod ipse Cannegieterus fatetur non nisi sero e gentili prænomen factum, neque ante Constantini tempora inter privatos frequentatum; item Theodosii, cui inscripta præfatio Aviani est, nomen Græcum, neque facile inter Romanos ante tempora Theodosii Magni reperiundum; hæc, inquam, nomina, quæ quodammodo signum et characterem efficiunt ætatis ejus, qua Avianum vixisse merito putamus, quis non videat summopere repugnare, quo minus in tempora Antoninorum transferatur? Et qui ad vindicandam illi ævo latinitatem Aviani, nævosque styli varios et multiplices eluendos, insumptus est labor, licet ille egregias observationes et magnas eruditionis opes ubique conferat; tamen ita comparatus est, ut plerisque in locis collocatus in vanum, et suo effectu destitui videatur, relectoque post tot vindicias textu Aviani, nihilo minus infantia et balbuties auctoris, meliore ævo indigna, lectori vel invito adpareat. Ego quidem veritatem ultro se offerentem amplectens, et, quid alii operose quærant, incuriosus, omni adsensu dignam reperio sententiam, a plerisque receptam, quæ Flavium Avianum Theodosiani ævi scriptorem, nec eumdem cum Festo Avieno, sed huic ætate supparem, existimat (1), Theodosium autem, cui dedicatæ sunt fabulæ, non alium, quam Macrobium Theodosium, Grammaticum, Saturnaliorum auctorem, arbitratur (2). Quod auctor Ma-

(1) Etiam hoc fortasse junior est Lætus Avianus, cujus epigramma in opus Martiani Capellæ ex veteri codice produxit Barthius, Advers. XVIII, cap. ult. et ex eo Burm. in Add. ad tom. I Anthol. Lat. p. 738. Alium Avianum viri docti in antiquo cod. Mspto fabularum Hygini invenerunt, qui testetur, se epitomen fabularum earum fecisse, quæ hodie sub Hygini nomine exstant. Vid. Barth. Adv. VI, 22; Th. Galeus in Diss. de scriptoribus mythologicis, p. 40, et Th. Munkerus in Diss. de auctore Mythol. Hygini.

(2) Quod inprimis probavit Paul. Colomesius, Opusc. cap. 38, p. 90,

crobium, quem dignitate Præfecturæ sacri cubiculi evectum dicunt, familiarius adloqui videtur, *Theodosi optime,* id mirum videri nemini debet, siquidem Avianus ipse, cujus statum et munera ignoramus, forte non inferior dignitate fuerit, atque etiamsi fuerit, hoc loco tamen Theodosium, seposita ejus dignitate, ut virum doctum et sibi familiarem spectat. Nam in præfatione satis aperte profitetur, velle se oblato fabularum libello gratum facere homini erudito; et plane in Macrobium Grammaticum convenit, quod ille judicium de suo Theodosio inserit: « Quis tecum de oratione, quis de poemate loquatur? Quum in utroque literarum genere et Atticos Græca eruditione superes, et latinitate Romanos ». Non aliter se Ausonius gerit, quando ad Probum Præfectum Præt. de re aliqua literaria scribit. Quasi immemor summæ ejus dignitatis, æque familiariter eum adloquitur: *Probe, vir optime.* Cæterum si auctorem fabularum recogito familiarem Macrobii fuisse, subit animum suspicio, fortasse eum vero nomine Flavianum esse vocandum, quia sic adpellatur unus e confabulatoribus Saturnalitiis Macrobii, atque id in codicibus antiquis fabularum repertum perperam in duo nomina Flavii Aviani distractum est.

V. Ad carmina Rufi Festi Avieni hodie exstantia porro referenda sunt tria poematia minora, quæ pro instituto meo, quo poetam unumquemque, quoad licet, integrum et plenum suo loco proponere studeo, carminibus geographicis, quamvis diversi argumenti, subjunxi. 1° *Breve carmen ad Flavianum Murmecium V. C.* quo malogranata sibi mitti rogat, fellito oris sapore adfectus. Hoc Rufi Festi Avieni nomen diserte præfixum in codicibus gerit. In antiqua

ostendens, plurium nominum Macrobii præcipuum, quo plerumque ab antiquis Grammaticis adpelletur, esse Theodosium. Accedit huic sententiæ cum pluribus Nic. Anton. Bibl. Hisp. II, 9, p. 160.

editione Veneta, per Victorem Pisanum curata a. 1488, qua Phænomena Arati, Descriptio Orbis terræ, et Ora maritima, cum Germanici Arato et aliis nonnullis continentur, hoc poemation initio præfigitur, eaque auctoritate certius vindicari Avieno, quam reliqua duo epigrammata, potest. Exstat præterea in editione operum Avieni Madritensi, in Pithœi epigramm. vet. lib. IV, p. 186, edit. Paris. et p. 157, edit. Lugd., in Andr. Rivini collect. carm. de Re hortensi, post Palladium de Insitione, et Sept. Sereni fragmenta; denique in Petri Burmanni Anthol. Lat. lib. III, epigr. 58, unde traductum editor Collectionis Pisaur. una cum altero *Ad amicos de Agro*, repetiit tomo IV, et adjunctæ Anth. Lat. classe VIII, pag. 484. Casp. Barthius, Advers. lib. L, cap. 7, post hunc J. A. Fabricius et J. N. Funccius adserunt, falsum esse Petrum Crinitum, qui hoc carmine Oram maritimam Murmecio nuncupari adfirmaverit. Sed ipsi hi docti viri falsi sunt, et perperam intellexerunt verba Criniti, qui quidem Probo dedicatum volumen de Maritimis diserte adfirmat, sed illi nomen Probi pro adjectivo habentes perperam traxerunt ad Murmecium, qui ante Probum nominatur. Verba ipsa Criniti legi possunt inter testimonia. Barthius præterea loco cit. falso adfirmat, epigramma, quo mala Punica poscuntur ab amico, in vetustissima editione ab se inspecta præfigi iambis, quibus oram maritimam describit Avienus. Nam ut ego, ipsa hac editione inspecta, certo adfirmare possum, hoc epigramma ibi primo loco positum, et cæteris omnibus Avieni poematibus, quorum ultimum est Ora maritima, præmissum legitur. Hinc ab aliis pro dedicatione Arateorum, quæ proxime sequuntur, habitum esse, alio loco monuimus. 2° Carmen *Sirenum Allegoria* inscriptum, quod Avieno haud indignum poemation vocat Fabricius. Præter memoratam Avieni editionem Madritensem, sub titulo *Festi Avieni* illud edidit Pithœus, epigr. vett. lib. IV, p. 152, edit. Paris. et p. 127, Lugd. et Andr. Rivinus libro superius nominato; sed Jos. Scaliger in Catal. Virg.

pag. 173, sub nomine Juliani, quod etiam margini Pithœi adscriptum est, et, monente Burmanno, qui idem Anthol. Lat. lib. I, ep. 69, edidit, in codice Petaviano exstat. In Thuaneo legebatur DE SIRENIS EVF. id est, Euforbii, sub cujus nomine alia in Catalectis epigrammata exstant. In veteri MS Vossiano simpliciter inscribitur DE SIRENIS, ut et in codice antiquo chartaceo Biblioth. Ambrosianæ, quem contulit Heinsius. DE CANTU SIRENUM Aldus et ed. Ven. 1480; item Jod. Willichius inter Virgilii Maronis epigrammata ethica, pag. 49. Et mihi sane aptius videtur *de cantu Sirenum* hoc carmen inscribi, quam *Sirenum allegoria*, quoniam non allegorica interpretatio est fabulæ de Sirenibus, uti quidem Palladii Allegoria Orphei, quam supra (huj. op. tom. III, p. 451. Ed.) dedimus, sed mera narratio fabulæ. Et si certa est inscriptio, quæ Festo Avieno tribuit hoc carmen, putaverim equidem partem esse *Virgilii fabularum*, quas ab Avieno scriptas esse Servius memorat, ad explicandum locum Æn. V, 864, compositam. Etsi enim iambis eas scriptas fuisse Servius dicit, id de plurimis intelligendum videtur, non de omnibus; et variatione aliqua metrorum delectare in iis Avienum voluisse, credibile est. 3° Carmen *ad Amicos de agro* iisdem libris et locis editum est, quibus superius poematium ad Flavianum, excepta tantum edit. Veneta. Cætera de eo referam verbis Petri Burmanni in adnotatione ad hoc carmen, tom. I Anthol. Lat. pag. 496: « Christianismum sapere hoc epigrammation notavit cl. Canneg. in Diss. ad Avian. cap. 2, in fine: et ex codice Leidensis bibliothecæ, in quo Catoni inter alia tribuebatur, adfert in Rescript. Boxhorn. de Distich. Caton. c. 24. Male in nonnullis Martialis editionibus refertur inter ejus epigrammata ad lib. IV, epigr. 90; sed recte Scriverius, ut poeta suo indignissimum, rejecit in Appendicem, pag. 309, sive inter spuria, et quæ falso Martiali adtribuuntur, cum titulo DE RUSTICATIONE. Vide illic ejus præfationem, ubi nec in optimo Palatino, aut aliis melioribus libris conspici, sed in

veteri scheda inscribi AVIENO V. C. testatur ». Apud Pithœum duo extremi versus desiderantur, qui tamen in Scriverii et aliis Martialis editionibus subjunguntur, et a Burmanno in codice Vossiano ab Heinsio collato, Wittiano, et duobus aliis Vossianis reperti sunt. 4° His brevibus carminibus quarto loco monumentum Festo Avieno a filio Placido positum, et versibus scriptum, subjungendum putavi. Quum enim priore illius parte ipse loquatur Avienus, ut possit pro ipsius carmine haberi, atque nobis jam plures ejus versus hac in præfatione excitandi explicandique fuerint, referri sane ad carmina Avieni merebatur, atque exstare alicubi integrum in nostra collectione debebat.

VI. Ex libris Avieni deperditis memorandæ sunt *Virgilii fabulæ*, et *Livii historiæ* iambis expressæ ab Avieno, ut prodit Servius ad Virg. Æn. X, vs. 272 et 388. Fabricius in Biblioth. Lat. solum Livium iambis scriptum agnoscit, non æque Virgilium, et in loco Servii Æn. X, 388, verba *Virgilium et* spuria esse putat. Sed alterum locum Servii non consideraverat vir summus, ubi Virgilii fabulæ iambis scriptæ diserte memorantur. Metaphrases fuisse Livii et Virgilii, ut sunt Arati et Dionysii, plerique judicare eruditi videntur, sed falli eos facile concedet, qui cogitet, quam inconditus et vastus, quam vero etiam inutilis et vanus labor hic futurus fuisset, si quidem Virgilium et Livium totum, at quantos libros! non aliter, quam iambis conversos reddere et describere voluisset. Igitur fecisse mihi Avienus in iis libris videtur, quod multi Grammatici vel poetæ scholastici solebant, qui themata Virgiliana ex certis locis poetæ seligebant, atque ex iis majore versuum numero expositis singularia carmina efficiebant. Hinc Avienus non continuum opus poeticum e perpetuo Virgilii et Livii textu in iambos converso confecit, sed summa rerum capita, exstantia facta, historias et fabulas selectas seorsum exposuit, et de suo ornavit, ordine tamen librorum servato. Hoc nisi tenea-

mus, difficile ad intellectum est, quomodo, quod Servius utroque loco ait, Avienus potuerit in Virgilianis fabulis nomina et adfectus cometarum memorare, aut fabulam, quam Virgilius ipse non tradidit, suis iambis exponere (1).

VII. Septimo loco scripta nonnulla hodie exstantia memorabimus, quæ ob similia auctorum nomina, paremque ætatem, aut ob simile institutum ingeniumque auctoris, ad Avienum nostrum subinde relata sunt. 1° Crinitus Avienum quemdam, poetam Græcum, nominat, cujus epigrammata legantur. Eum autem videtur intelligere, qui in Anthologia Græca Ἀββιάνος dicitur, quinque circiter epigrammatum auctor, quæ primo et secundo libro exstant. Abbianum quidem græce dictum esse pro Aviano vel Avieno, nemo abnuerit, qui et Abienum, Abeienum, Abianum meminerit in Latinis inscriptionibus corrupte positum; neque Græca epigrammata male conveniunt Avieno nostro, quem novimus græce doctissimum fuisse, ut Proconsulem Græciæ diu inter Græcos versatum, et in carminibus suis dictionis et constructionis Græcæ summopere studiosum esse; sed tamen alia desunt argumenta, quibus Avienum epigrammatum Græcorum auctorem certius cognoscamus. 2° Fuerunt etiam qui *Breviarium de victoriis ac provinciis populi Romani ad Valentinianum Aug.* prosa scriptum, et jam sub Sexti Rufi, jam sub Rufi Festi nomine vulgatum, ad Avienum nostrum pertinere suspicati sint. Fabricius cum Nic. Anto-

(1) Quamvis mirum nonnullis videri possit consilium illud Avieni, quo integrum Virgilii poema alio versuum genere, nimirum iambico, exprimere studuit, notari tamen meretur, eumdem morem a Græcis hominibus, in Græcisque poetis, subinde usurpatum esse. *Marianum* quemdam, Patricii honore sub Anastasio Imp. functum, Suidas memorat, plurium Græcorum poetarum, ut Theocriti, Apollonii, Callimachi, Arati, Nicandri metaphrasin iambia scripsisse. Quo sane exercitationum genere talem se Marianus scriptorem inter Græcos, qualem Avienus inter Latinos, præbuit.

nio (1), ætatem non convenire putat, quod, qui sub Valentiniani I imperio senem se ævoque graviorem profiteatur, idem sub Theodosio, quum Macrobius scriberet Saturnalia, juvenis esse non potuerit. Nos qui supra Festum Avienum antiquiorem, quam hactenus existimatum est, pronuntiavimus, et Avienum Macrobii alium ab eo et juniorem putamus, per ætatem quidem Rufum Festum, Breviarii auctorem, concedimus non sejunctum ab Festo Avieno esse, sed tamen eumdem esse hanc maxime ob caussam negamus, quod Festus Avienus ubique ut versificator et plurimorum auctor carminum, nullo autem scripto prosaico clarus, perhibetur. Et Festum historicum rectius pro eo Festo habemus, quem post Syriam administratam et Magisterium memoriæ gestum a Valente Imp. ad regendam Proconsulari potestate Asiam promotum, sed multis prave factis insignem fuisse, Amm. Marcellinus (2) cum aliis memorat, et cujus supra jam mentionem fecimus. Vidit hoc et probavit H. Valesius, in adnot. ad dictum locum Marcellini, eumque Christ. Cellarius in secunda Sexti Rufi editione, Hal. 1698, sequutus est. Præter ætatem plane congruentem juvat inprimis Valesii sententiam, quod in Msptis antiquissimis *Festi Dictatoris Breviarium* exaratum est, ut in notis ad Victoris Epitomen testatus est Andr. Schottus. Quod enim Marcellinus dicit Festum Magisterium memoriæ ante Proconsulatum gessisse, id non aliud officium est, quam Dictatoris, qui alias *dictare ad memoriam* et græce ἀντιγραφεὺς dicitur (3).

(1) In Bibl. vet. Hisp. lib. II, cap. 9, pag. 161.

(2) Lib. XXIX, cap. 2, pag. 612.

(3) Qui editionem *Breviarii rerum gestarum populi Rom.* a Fabricio memoratam, curavit, quæ sub titulo *Sexti*, sive *Festi Rufi*, V. C. *Dictatoris Magistri militum* prodidit Brugis, ex offic. Hub. Goltzii, 1565, in-8, is haud dubie Dictatoris titulum e Msplo, quod diximus, petiit, simulque ad Marcellini locum, qui Magisterium Festo tribuit, respexit; sed quum, quale hoc esset, non intelligeret, mirum inde officium Dictatoris Magistri militum excudit, quod certe a Festi ætate alienissimum fuit.

Et Rufum Festum non ad Valentinianum, ut vulgo editur, sed ad Valentem, qui Orientem regebat, scripsisse, idem Valesius monet. 3° Post Breviarium Rufi Festi Fabricius eodem capite *Sexti Rufi* opusculum *de regionibus Urbis Romæ* nominat, quod cum P. Victoris libello ejusdem argumenti Onuphrius et alii ediderunt. Is scriptor, etiamsi forte idem sit, ac Breviarii auctor, sicut et *libellum provinciarum Romanarum*, quem post Schonhovium Cellarius ad Festi Breviarium edidit, ei haud gravate adscribere velim, multo minus tamen, quam ille, cum Festo Avieno miscendus est. 4° Ob alias rationes, et maxime ob ingenium consiliumque simile, quod in *Epitome Iliados Homeri* adparet, hunc libellum olim ad Rufum Festum Avienum retuli, neque me hucdum sententiæ illius pœnituit; quoniam tamen tota hæc disputatio, quam (huj. op. t. III, p. 457 seqq. Ed.) de auctore ejus carminis institui, ab epigrammate ibi prolato, tamquam a principio, pendet, quo auctor perhibet, se Iliadem in villa sua maritima scripsisse, equidem, si alius certior ejus epigrammatis auctor, quam Avienus, proferri posset, non repugnarem, quominus huic Epitome Homerica tribueretur. Sunt certe nonnulli alii ejus ætatis præstantes viri, qui, et honoribus et fama poetæ florentes, istius poematis probabiles auctores haberi possint; ut Fl. Valerius Messala, cujus carmen Rutilius Numat. (1) laudat, et Afranius Syagrius, Consul et Præfectus Pr. Italiæ A. C. 381, qui poeta insignis est habitus, amicus Ausonii et Symmachi; denique ipse Symmachus P. U. qui villam maritimam habebat Baulis, ubi se jucundum agere otium, ubi *alte turbis quiesci, et fruendis feriis nullum esse modum* ait, atque etiam versibus subinde scribendis se vacare testatur (2). Sed nimirum alia deficiunt indicia, e quibus auctores esse ejus operis colligamus.

(1) Itin. I, vs. 268.

(2) Epist. lib. I, 1 et 8.

4.

VIII. Plane spurium et recentius in Hispania confictum, suppositumque Avieno, opus *de urbibus Hispaniæ mediterraneis* Nic. Antonius memorat (1), et tria ejus fragmenta recitat, ab Hieronymo *de Higuera*, et Petro *de Roxas*, Mauræ Comite, in *Historia Toletana*, tum ab Alphonso Tellio Menesio in *Historia Orbis* producta, quæ partim hexametris versibus, partim iambis, de Carpetanorum nomine a carpentis et equis curulibus ducendo, tum de urbis Toleti origine ab Hercule repetenda, agunt; sed a Nic. Antonio pessimæ fraudis et ineptissimæ inscitiæ variis ex rationibus arguuntur, et Hieronymi Romani ab Higuera, Jesuitæ Toletani et famosi falsarii, suspectis mercibus accensentur. Nos ex his pariter, atque aliis Hispanorum commentis supra memoratis, oppido intelligimus, quanto molimine illi suum facere Avienum, atque ex nomine ejus aliquam gloriam suæ patriæ adstruere laboraverint, quæ Nic. Antonius multo facilius refutare, atque uno veluti ictu profligare potuisset, si quidem falsissimam, cui ista superstructa sunt, opinionem de patria Avieni Hispania ipse non temere admisisset, aut melius de ea ex antiquo monumento Avieni; quod ipsi excussimus, edoctus fuisset.

Revertor nunc ad carmina Avieni, quæ hoc volumine proponuntur, geographica, ut quid hactenus, a quibusque viris, in iis castigandis edendisque elaboratum sit, et quid ipse, quibusque subsidiis instructus, præstiterim, ostendam. Editiones eorum non admodum frequentes esse, e catalogo, quem subjungimus, adparet. Qui selecta eorum loca, aut casu oblata separatis in libris correxerint et explicuerint, haud multi inveniuntur: qui totum textum recensere adnisus sit, et castigationes in eum collegerit, fortasse unus Hudsonus est; sed qui perpetua adnotatione emendandum pariter ac illustrandum sumpserit, hactenus inveni neminem.

(1) Bibl. vet. Hisp. lib. II, cap. 9, p. 162 seq.

Primus omnium Avieni opera per orbem eruditum typis vulganda prodidit Georgius Valla, curante Victore Pisano, Venetiis, an. 1488. Quam editionem quum sollicitissime quæsivissem, in tribus Saxoniæ bibliothecis exstare cognovi, et diligentissime excutiens suo loco destinavi accurate descriptam dare, unaque errores et dubias super ea opiniones, quæ adhuc inter eruditos obtinuerunt, discutere aut componere. Textum primæ editionis admodum mendosum emaculare et corrigere adgressi sunt Triumviri ætatis suæ eruditissimi, atque una viventes Viennæ, Jo. Cuspinianus, Jo. Camers, et Joach. Vadianus, qui uti de universa Geographia (1), ita de poeta geographo Avieno, quasi certatim et communicata inter se opera, bene mereri studuerunt. Cuspinianus *Dionysii Situm orbis interprete Avieno* edidit Viennæ, an. 1508, et in dedicatione ad Stanislaum, Episcopum Olomucensem, indicat, se hoc opus *non lacerum modo ac singulis pæne carminibus depravatum, sed integris quoque chartis inversum (quod nemo animadverterat), emunctum ac castigatum, prodire in lucem jussisse*, adjutum etiam esse humanitate Aldi Manutii, qui eum *græco Dionysii venerandæ vetustatis exemplari* donaverit. Meminit præterea *adnotationum suarum, descriptarum in commentariolum*, quas propediem se missurum promittit. Sed an istæ in Avieni Periegesin adnotationes umquam lucem viderint, mihi non compertum est. Non multo post Cuspinianum

(1) De universa Geographia hi Triumviri bene mereri studuerunt: Cuspinianus non solum Avieno primum emaculando, sed etiam Prisciani interpretatione Dionysii emendatius edenda, quæ Viennæ in-4 prodiit, nullo anno notato: Camers, præter commentarium in Periegesin Prisciani, eoque correctum Avienum, etiam commentario in Solinum, qui prodiit Viennæ an. 1520, in-fol. et valde laudatur a Salmasio: Vadianus præter emendatum Avienum, edidit Pomp. Melam cum adnotationibus, Viennæ 1518, Basil. 1522, Paris. 1530, fol. denique singulare opus, *Epitomen trium terræ partium, Asiæ, Africæ et Europæ, compendiariam locorum descriptionem continentem.* Tiguri, 1534 et 1548, in-8.

tempore, nempe an. 1512, Joannes Camers Viennæ edidit *Dionysium de situ Orbis Prisciano interprete*, cum amplo commentario, in quo simul operam commodat Avieno, eumque permultis locis emendat, exemplari eodem usus, quod paullo ante Cuspinianus dederat. Hunc non modo in commentario ad vs. 887 memorat, sæpe secum de quibusdam Avieni locis disseruisse, sed et in epilogo commentarii gratus prædicat, quod sibi græci Dionysii venerandæ vetustatis copiam fecerit. Eodem loco testatur, *Magistrum Joachimum Vadianum, et Magistrum Adrianum Wolfhardum Transylvanum, ob eorum ingenuos mores ac non vulgarem eruditionem charitate sibi junctissimos*, in scribendo edendoque commentario adfuisse. Præterea memorat, *in manibus sibi esse Solinianas adnotationes, quibus latius prosequatur, hic in Prisciano omissa.* Et commentarium Camertis in Solinum prodiisse scimus Viennæ an. 1520, fol. Sequutus est Vadianus, qui itidem Viennæ Periegesin Avieni an. 1515 emendatiorem edidit. Quæ editio sane mihi cum aliqua vel æmulatione, vel reprehensione Cuspiniani facta videtur, siquidem vix probabile est, scriptorem aliquem tam brevi tempore post alteram editionem in eadem urbe recudi, nisi desiderata sint in priore, quæ cito alia editione corrigenda videantur. Et verba, quibus Vadianus in titulo utitur, hanc suspicionem movent. Dicit se *pleraque loca, quæ antehac vitiosissime impressa erant, restituisse, observata clausularum carminumque exacta distinctione.* Hæc ipsa maxime neglecta est in Cuspiniani editione, quæ nulla fere interpunctione utitur; literas majores nullas, neque ad initia sententiarum, neque ad nomina propria discernenda usurpat. Et sicut Cuspinianus ad calcem libri subjecit: *Cuspinianus nevos et verrucas sustulit*, sic Vadianus, quasi hoc negans, subscribit: *Vadianus tandem nevos et verrucas pro virili sustulit.* Et posthæc ortæ sunt inter hos tres viros, quos nominavi, ob similia, quæ æmulabantur, studia, graves offensiones et simultates, quas si quis

propius cognoscere velit, legat epistolam Cuspiniani ad Vadianum, a Goldasto in Centuria Philologicarum epistol. num. XXXI, p. 125, editam, qua in Camertem et Vadianum acerbe invehitur; tum Joach. Vadiani *locorum aliquot ex suis in Melam commentariis explanationem*, ad Joannem Fabrum missam, et Vadiani in Pomp. Melam commentariis adjectam, qua Joannem Camertem, in suis ad Julium Solinum enarrationibus, multas in iis commentariis sententias maligne carpsisse queritur, seque contra eum, ut præceptorem suum, modeste et reverenter defendit. Multum præstitisse Cuspinianum editione sua, et plurimas mendas sustulisse, collata cum eo exemplari prima Veneta facile docet, cæterum et hoc adparet, mendosum adhuc multis locis esse, tum nulla distinctione verborum, sententiarum, et versuum elucidatum. Sed Vadiani magnum studium in castigando Avieno fuisse, facile intellexi, quum primum ejus exempli perlustrandi, et cum Pithœano conferendi, facultas fuit. Adeo correctum esse deprehendi, ut mirifice gauderem, ejus mihi copiam ab Heynio V. C. e thesauris bibliothecæ Goettingensis factam esse, vehementerque mirarer, tam parum cognitum tractatumque viris eruditis fuisse, ut præter Is. Vossium vix alius occurreret, qui ejus notitiam habuisse videretur. Quamvis enim viderim a C. Barthio, N. Heinsio, Jo. Schradero emendationes Avieni elegantes haud paucas esse repertas, quæ exacte cum texto Vadiani conveniunt, nolim tamen adfirmare, eas a Vadiano, nomine ejus suppresso, acceptas esse. Illud tantum dolendum est, quum nullas texto poetæ notulas addiderit Vadianus, dubium relinqui lectoribus, quænam emendationes solo ejus ingenio, quæque codicibus et auctoritatibus nitantur. Nam in frontispicio libelli scribit, *pleraque se loca partim aliorum judicio, partim suo studio et diligentia, restituisse; addit vero, perlegisse* simul *et contulisse proba exemplaria.* Parte tamen aliqua hujus sollicitudinis liberavit me superior Cuspiniani editio, quam ad manus habebam, et conferre

poteram; in qua, quæ cum Vadiani lectione videbam convenire, credere poteram e veteribus libris esse; quæ discrepabant, a Vadiano emendata. Duobus tantum illustrioribus locis Avieni hic ostendam, quantum adjumenti utraque editio Viennensis conferre ad textum Avieni recte constituendum possit. Versus 140-143 Descriptionis orbis sic leguntur in vulgatis :

> In Boream Zephyrumque dehinc deflexa parumper.
> Hinc sinus Ionius curvatur litoris acta,
> Alta petunt rauco penitus repentia fluctu,
> Cespitis et gemini tellus irrumpitur alto.
> Nam qua cæruleis, etc.

Viderunt interpretes, inprimisque Schraderus, vitiose turbatum esse ordinem horum versuum, nec facilem sensum fundere, nec cum Dionysio convenire. Vidit, inquam, Schraderus loco eo multum versato, transponendos esse versus 141 et 142. Sed quod ille ingenio et meditatione vix reperit, hoc dudum præstantissima exemplaria Cuspiniani et Vadiani obtulerunt, qui versus illos ordinant, uti nos edidimus : « ..... Zephyrumque dehinc deflexa parumper Alta petunt... Hic sinus Ionius... Cespitis et gemini... Nam quæ cæruleis ». Versus 1015 in vulgaribus exemplis corruptissimus exstat, neque criticorum cura satis adhuc restitui potuit :

> * Priscas idæ fomes calidis adoletur in aris
> Sæpe Dionææ Veneri.

Salmasius quidem (1) commodam emendationem reperisse videtur, quam et Hudsonus recepit :

> Prisca Side : sus hic calidis adoletur in aris.

Sed Græca Dionysii demonstrant, hic Aspendum urbem nominandam fuisse, et utraque Viennensis editio duos ver-

(1) Ad Solin. pag. 549.

sus hoc loco exhibet, Græcis Dionysii perfecte respondentes, ex iisque errore librarii unum conflatum esse docet:

> Piscosi Aspendum flumen secus Eurymedontis,
> Sus ubi deformis calidis adoletur in aris
> Sæpe Dionææ Veneri.

Manifesta adparent corruptarum vocum *Priscas idæ fomes* vestigia in duorum versuum initiis, prioris quidem verbis *Piscosi Aspendum*, et alterius *Sus ubi deformis*, ita ut integer versus, quem vulgares editiones ignorant, per duas Viennenses redditus Avieno reperiatur. Talia plura in Vadiani exemplo inveni, hic non enarranda, quæ desperatissimis locis Avieni medelam, a criticis et interpretibus ægre quæsitam, expeditissime adferunt. Nec tantum in emendandis corruptis lectionibus felix Vadiani opera adparet, sed maxime in distinctione versuum et sententiarum accurata, quæ prioribus in editionibus aut vitiosa, aut nulla erat, unde sensus poetæ sæpe mirifice adjutus et illustratus est. Valde omnino Avieno fraudi fuit, quod Vadiani editio præ Pithœana, quæ jam insequuta est, negligi plane cœpit et oblivioni data est. Nam quum Pithœus, Vadiani editionem ignorans, Avieni Descriptionem orbis inter Epigrammata et Poematia vetera ederet, hic liber, ob collectionem tot aliorum carminum rariorum gratus inprimis et utilis, et diversis annis ac locis, Parisiis, Lugduni, Genevæ, ter repetitus et recusus, eruditorum manus et musea occupavit, et Vadiani adeo exemplaria expulit, quamvis ille nihil omnino præstitit Avieno, textumque mendosissimum edidit. Adfirmat quidem Christ. Daumius (1), editionem Pithœanam e prima Veneta anni 1488 maxima ex parte expressam esse, nec diffiteor, in lectionis vitiis, et mendis et lacunis plurimum utramque convenire; sed inveni tamen Venetam

(1) Ad Paulin. Petroc. pag. 348, et de caussis amissarum Ling. Lat. rad. pag. 129.

nonnunquam lectiones satis bonas et integras repræsentare, ubi Pithœus deteriores, immo lacunas habet. Conferantur, si placet, versus 5, 78, 97, 253, 607, 1193, 1342. Unde haud inique colligo, Pithœum ad describenda Avieni poemata libro scripto, vel excuso, ab edit. Veneta diverso, eodemque multis locis vitiosiore usum esse. Quoniam præterea Veneta editio inter alia magna vitia duas paginas 84 et 85 transpositas et inversas habet, quod vitium Cuspinianus se in antiquis exemplaribus animadvertisse dicit, neque tamen in Pithœi exemplo similis trajectio commissa reperitur, hanc etiam ob rationem non videtur illud e Veneto expressum esse. Editores Pithœum sequuti, Trognæsius in duplici editione, Antverpiæ 1608, et Duaci 1632, Petrus *Melian* in Madritensi, 1634, Hudsonus denique tomo IV Script. Geogr. Græc. min. omnes Pithœi textum amplexi sunt, antiquas Cuspiniani et Vadiani recensiones ignorarunt, quamvis Hudsonus nonnulla ex observationibus eruditorum castigavit, subinde etiam editionem Madritensem citavit, nullo tamen ejus merito. Nam quæ ista a texto Pithœano diversa habet, præter paucissimas levissimasque correctiones, subinde in margine notatas, non alia sunt, nisi errata typographi, vel ipsius editoris. Qui in Corpore poetarum Lat. omnium Avieni poemata repetierunt, Maittairius et editor Pisaurensis, non aliam, quam Pithœi recensionem sequuti sunt. Ipse Jo. Schraderus, qui recentissime Avieno recensendo curam criticam, eamque singularem, adhibere aggressus est, quantum ex notis ejus manuscriptis intelligere potui, Venetam quidem editionem primam habuit et consuluit, non Viennenses antiquas. Quapropter summopere lætatus sum, quod mihi tam præclaræ editiones, perperam adhuc neglectæ, ad recensendum felicius Avienum, contigerint, quas multo emendatiores esse, et melioribus e fontibus fluxisse, quam Pithœanam ejusque sequaces, manifestum est. Ex utraque editione usum percipere singularem licebit. Ut multa Va-

dianus in texto Avieni egregie constituit, quibus intellectus ejus et recensio emendatior juvetur, ita videtur subinde, nimio omnia mendosa loca resarciendi et emendandi studio abreptus, suo indulsisse ingenio, phrasesque et constructiones nonnullas, quas Avienus amat et peculiares babet, Græcas et insolentiores, ad usitatam loquendi formulam accommodare, quod et Camers subinde facit in commentario ad Priscianum. Has observare et adserere licebit e Cuspiniani exemplo, qui multo pauciora mutavit, et vetustarum lectionum, quas in codice suo inveniebat, retinentior fuisse videtnr.

Eorum scriptorum, qui seorsum diversisque in libris castigando et illustrando Avieno operam dederunt, primus sine dubio est, quem supra nominavimus, Jo. Camers in commentario ad Prisciani Periegesin, quem propterea (huj. op. t. præc. Ed.) reddendum curavimus, ut conferri a nostris lectoribus posset. Proximus huic est Cœlius Calcagninus, qui Avieni, qnem perpetuo Ruffum vocat, plura loca obiter emendavit in Adnotatiunculis, seu glossematis ad Dionysium, quæ e libro Cœlii excerpta Dionysio, ejusque interpreti Rhemnio, subjunxit Valentinns Curio in editione Basileensi, anni 1522, in-8. Guil. Morellius in notis ad Dionysium, edit. Paris. 1559, subinde ad interpretationem Avieni provocavit; isque exemplo Vadiani usus videtur, quod, qunm librum Morellii ipse non viderim, e quadam adnotatione Schraderi ad Descr. Orbis, v. 267, collegi. Bernardus *Aldrete,* Hispanus, in Antiquitatibus Hispanicis et Africanis, quæ Antverpiæ an. 1614 prodierunt, plura Avieni loca pro testimonio, vel illustrationis caussa, adduxit. Casp. Barthius in Adversariis Descriptionem Orbis illustravit lib. XXIV, cap. 9, XXVIII, cap. 16, XLVI, 16, XLIX, 13; Oram maritimam, lib. XXVIII, cap. 12 et 14. In Comment. ad Statium aliquoties, ut tom. II, p. 443, 909; III, 986, 1326. In Ablegmin. lib. IV, cap. 6, 7, 9, 11, 13, 14, Oram maritimam; cap. 16 et 19 Descriptionem orbis. Utrumque opus Sal-

masius in Exercitt. Plin. ad Solin. multis locis; item Is. Vossius in Observ. ad Pomp. Melam, et ad Scylacis Caryand. Periplum; Nic. Heinsius in Advers.; Auctor non nominatus, sed quem Jos. Wassium esse, Christoph. Saxius in Onomast. liter. part. I, p. 479, prodit, in Miscell. Observ. vol. I, tom. II, p. 273 seqq. et Fr. Oudendorpius, ibid. vol.V, t. I, p. 64 seqq. et tom. II, p. 165 seqq.; seorsum Oram maritimam emendarunt Mart. Opitius, Var. Lect. cap. 7 et 11; Lud. Nonius in Hispania aliquoties, Petrus *de Marca*, Marcæ Hispanicæ pluribus locis, denique Jo. Schraderus in libro Observationum. Taceo, quæ alii poetarum nobiliores interpretes, ut Nic. Heinsius ad Ovidium, Brouckhusius ad Tibullum, Petr. Burmannus ad Anthol. Lat. de nonnullis Avieni locis subinde monuerunt. Sed nescio, quod iniquum fatum hunc poetam, quamvis nobilem, et jucundum lectu, et a multis egregie laudatum, pressit, ut multi quidem consilium illius perpetua commentatione illustrandi edendique ceperint, nemo tamen ad hoc nsque tempus perfecerit. Jac. Bongarsius in Epist. CLII ad I Camerarium, scripta Argentinæ an. 1597, huic Camerario et Rittershusio edenda Avieni Opuscula Aratea et Geographica commendat, et, si quis ea in re elaborare velit, collaturum se promittit tum Varias Lectiones ad Avieni Oram maritimam, quam habeat ad manuscriptum exemplar emendatam, tum Germanici Cæsaris Aratum aliquot centenis versibus auctiorem, atque alias emendatiorem. Neque vero a Camerario aut Rittershusio quidquam tentatum esse constat. Josepho Scaligero constitutum fuisse, Avienum recensere, et una cum suis commentariis edere, Casp. Barthius in Advers. et in Ablegm. et Fabricius in Bibl. Lat. memorant. Casp. Barthius, Advers. lib. XLIX, 13, novam Avieni editionem promisit. Jo. Pricæus, ut ipse ad Apul. Metam. p. 95, prodit, notis satis copiosis illustratum editionique paratum in scriniis habuit, sed non emisit. Alii multi hic illic observationes in Avienum delibarunt, ad plenam poetæ exornationem non de-

scenderunt. Nam quod Jo. Hudsonus, tomo IV Geograph. minorum, plurimas eruditorum emendationes ad textum Avieni collegit, tantum abest, ut ipse plena perpetuaque castigatione ejus defungi voluerit, ut multa intacta et ab aliis accuratius excutienda reliquerit. Nostra denique ætate Jo. Schraderus, humaniorum literarum in Academia Franequerana professor eximius, quum alios poetas minores, fere hodie neglectos et parum tractatos, critico lustrare ingenio et expurgare consuevit, tum maxime Avienum sibi expoliendum sumpsit, plurimasque animadversiones in hunc poetam, doctas sane et laboriosas, conscripsit, sed easdem fato suo præventus, aut aliis impeditus occupationibus, reliquit imperfectas. Notarum quidem Schraderi delibatos quosdam flores doctiss. Friesemannus in novissima editione Descriptionis Orbis terræ dedit, in quibus tamen sunt, quæ Heinsio potius, quam Schradero, debentur; sed locupletiores multo in utrumque Avieni opus geographicum ab eo relictas esse, quum ab auctoribus Bibliothecæ Criticæ, quæ Amstelodami prodit, obitum Schraderi parte VIII, p. 143, nuntiantibus, didicissem, adnitentibus viris clarissimis mihi amicissimis, Laurentio Santenio, et Ev. Wassenberghio, ut ornando abs me Avieno concederentur, impetravi. Quibus quidem traditis et inspectis compertum est, liberalius de eo opere famam esse loquutam; nam nec in totam Periegesin Avieni integræ et plane elaboratæ animadversiones, nec in Oram maritimam, nisi paucæ admodum et tenues conjecturæ repertæ sunt; sed erudita humanissimi Wassenberghii cura accessit, qui commentarios Schraderi nondum exasciatos, et pericula adnotationum relegit, atque accuratius digesta et concinnata meis usibus aptavit. Hujus igitur diligentiæ et favori debetur, quod commentationes Schraderi, alias forte oblivioni et tenebris mandandæ, jam in lucem vindicantur, et mihi facultas data est, adnotationibus tam doctis Avienum felicius illustrandi. Ego vero referendis iis operam dedi, ut lucutem senten-

tiamque Schraderi ubique, quanta possem fide et accuratione, redderem, et quum ille adnotationes suas per singulos carminis versus continuarit, accurateque et copiose omnia persequutus sit, ita ut priorum etiam interpretum sententias recenseret, hinc sæpe aliorum notis diserte repetendis supersedere potui, raro etiam meas ipsius addere necesse habui, nisi ubi aut dissentiendum modeste, aut aliud uberius declarandum videretur. Textum geographicorum opusculorum ad exemplum Jo. Hudsoni t. IV Geograph. Græc. min. recensui, et cum antiquioribus editionibus contuli, variantesque lectiones cum conjecturis eruditorum ab eodem collectas non repetii solum, sed et locupletavi et ponderavi, quamque ipse amplecterer, vel probavi subjecta adnotatione, vel sola ejus usurpatione in contexto auctoris indicavi. Quamquam haud gravate fateor, non ita felicem ubique meam in emendando vel illustrando operam fuisse, ut quibusvis lectorum desideriis satisfactum videri possit, id tamen spero abs me præstitum, quod subjecta operis materies, quod labor haud perfunctorius, et præsentia rei gerendæ subsidia permittebant.

Quum vero mihi ad Avienum commentanti variæ adfuerint animadversiones et conjecturæ doctorum virorum, quas vel editas et vulgatas variorum auctorum libri typis impressi suppeditarunt, vel ineditas, et manu viri docti alicubi notatas, benevolentia amicorum submisit, jam reliquum esse videtur, ut quænam fuerint singulæ, quibusque notis literarum eas in adnotationibus insigniverim, lectoribus meis aperiam :

1. *Schraderi* in Avienum notas plurium generum habui. 1° Quas voculis *Schrad. in sched.* notavi, sunt subitariæ et brevissimæ adnotationes ad varios poetas, et in his ad Descript. Orb. et Oram mar. Avieni, in schedis singularibus scriptæ a Schradero, forte adhuc juvene. 2° *Ad marg. Trogn.* sunt breves animadversiones ad marginem

editionis Antverp. apud Trognæsium, 1608, notatæ, quas J. H. *Hœufft*, vir eruditus, descripsit, atque una cum superioribus ad me misit Laur. Santenius. Dubitavi subinde, an omnes essent Schraderi; immo procedente opera intelligere mihi visus sum, esse eas, certe plerasque, Withofii, a Schradero enotatas; quippe non solum ipse plures ei tribuit in notis, sed etiam in præfatione ad Emend. p. 56, profitetur, habuisse se Withofii correctiones in ora libri, qui cum plurimis aliis ad se pervenerit. 3° *Apud Fries.* quas H. Friesemannus texto Avieni ab se edito subjecit, et partim in præfatione ad eum librum protulit. 4° *In not.* his voculis intelliguntur notæ uberiores, quas Wassenberghius e commentariis Schraderi descripsit, ego singulis Avieni versibus adposui, ad usque v. 1162, in quo deficiunt.

2. *Gronovii*, quæ repertæ sunt in margine Avieni ex edit. Paris. Pithœi, an. 1590, in-8, quæ fuit in bibliotheca Gronovii; cujus? non compertum est mihi. Pleræque sunt ductæ et notatæ ex aliis scriptoribus, Barthii Ablegm. et Advers. Salmasio ad Sol. Opitii Lect. Var.

3. *Font.* Petri Fonteinii aliquot adnotationes, quas Friesemannus privatim secum communicatas in præf. ad Avienum protulit, passim etiam Schraderus memoravit in notis suis.

4. *Cam.* Jo. Camertis in comment. ad Prisciani Periegesin.

5. *Cœl.* adnotatiunculæ excerptæ ex libris Cœlii Calcagnini, subjunctæ editioni Dionysii, Basil. 522, in-8.

6. *Barth.* Casp. Barthii in Adversariis et in Ablegm.

7. *Salm.* Cl. Salmasii in Exercitt. Plin. ad Solin.

8. *Heins.* Nic. Heinsii in Adversariis, aut in notis ad Ovidium.

9. *Obs. misc.* Auctor anonym. vel Fr. Oudendorpius in Ob-

servationibus Miscellaneis, vol. I, t. II, pag. 273 seq. et t. III, p. 373, et in Oram maritimam, pag. 385, et vol. V, t. I, pag. 64.

10. *Huds.* Jo. Hudsoni, cujus notæ textui subjectæ sunt (1).

11. *Odd.* Oddii, Angli, cujus conjecturas Hudsonus dedit in Addendis.

Codicum manuscriptorum Avieni tres fere in adnotationibus doctorum virorum memorari vidi: unum, qui olim Ortelii fuisse dicitur; cujus collatio manu Abr. Ortelii scripta, cum adscriptis quibusdam Andr. Schotti et Petr. Scriverii adnotatiunculis vel conjecturis, inter schedas Schraderianas reperta est: alterum Ambrosianum, vel Mediolanensem, quem Nic. Heinsius et alii adlegarunt, et Schraderus sibi visum ait: tertium Vossianum, quem item Schraderus in notis citat, fortasse in bibliotheca Leidensi reperiundum.

(1) Nos item Schraderi et aliorum notas, a Wernsdorfio ad calcem Descript. Orb. coacervatim rejectas, meliori, ut videtur, consilio, singulis textus versibus, quoad fieri poterit, subjiciemus; longiores vero Excursuum nomine distinctas ad calcem, ut consuevimus, edendas reservabimus. Ed.

EDITIONES OPERUM

RUFI FESTI AVIENI

PRÆSERTIM GEOGRAPHICORUM.

(Quæ sola Aratea Avieni exhibent, hac in serie omittuntur. — Et ad ipsa Aratea nos hæc enumerabimus et describemus. Ed.)

I. Prima omnium editio quodam consensu literatorum perhibetur Veneta, anni 1488, quæ omnia Avieni opuscula, astronomica et geographica, præmisso carmine ad Flavianum Myrmecium de malis Punicis, continet, adjunctis Arati Phænomenis, per Germanicum et per Ciceronem latine conversis, et Q. Sereni Samonici libello de Medicina.

Christ. Daumius, de caussis amissarum Linguæ Lat. rad. p. 129, et ad Paul. Petroc. p. 348, hanc editionem esse Georgii Vallæ, per Victorem Pisanum anno 1488 procuratam, dicit: Fabricius et alii aliam ejusdem anni Venetiis factam memorant per Antonium *de Strata* Cremonensem; editor Collectionis Pisaur. poem. et carm. Lat. tomo IV, proleg. p. 31, has quasi duas editiones distinguit ita, ut metaphrasin Arati, cum Geographicis Avieni, apud Antonium *de Strata*, metaphrasin Dionysii per Victorem Pisanum prodiisse dicat; et Nic. Antonius in Bibl. vet. Hisp. lib. II, cap. 9, pag. 161, adfirmat se vidisse editam eodem anno Venetiis a *Thoma de Blavis de Alexandria*. Ad conciliandam hanc sententiarum diversitatem David *Clement* (*Bibliothèque curieuse, historique et critique, tome I, p.* 286) suspicatur, duas partes Veneti

exempli, plura poemata complexi, diversos habuisse impressores, et unam apud Thomam *de Blavis*, alteram apud Antonium *de Strata* excusam esse. Nos hanc controversiam dirimere studuimus, inspectis atque collatis tribus ejus editionis exemplaribus, quæ publicæ nobis bibliothecæ obtulerunt (1). Ex his cognovimus, Georgium Vallam esse auctorem editionis, eumque manuscriptos eorum carminum libellos, quos apud se habebat, concessisse typographo imprimendos; Victorem Pisanum, ejus discipulum, qui præfatus est (2), impressionis atque editionis curam gessisse; typographum et redemptorem libri fuisse Antonium *de Strata* (3). Hoc amplius docebimus ordine et serie rerum, quæ eo volumine continentur, memoranda. Post primum folium nullo titulo notatum sequitur præfatio hac epigraphe: *Victor Pisanus magni-*

(1) Uuum ejus exemplum, indulgentia amplissimi Senatus eivitatis Lipsiensis, ex ejus hibliotheca accepi, præbente C. A. Thiemio A. M. seholæ Thomanæ conrectore bene merito, quod tamen altera parte destitutum sola Avieui carmina repræseutabat. Alterum integrum, bibliothecæ Zwickaviensis, beuevole suppeditavit mihi Jo. Gottlob Clausius, V. C. regendo Lyceo ejus urbis præfectus, idque ipsum exemplum est, quo olim usus fuit Christ. Daumius. Tertium in bibliotheca ecclesiæ Capitularis Magdeburgensis exstat, cujus lueulentam accuratamque descriptionem mecum offieiosissime communicavit Rev. J. F. A. Kinderlingius, pastor ecclesiæ Calbensis meritiss. quam per omnia convenire cum altero exemplo vidi. Codex ille forma ea, quam quartam dicimus, impressus est foliis octuplicatis, quæ in infima pagina notantur; et paginæ, quamvis ipsæ nullis numeris notatæ, numerantur 244, quarum 238 impressæ sunt, quia nonnullæ in principio et in medio eodicis vacuæ literis sunt.

(2) Hunc Victorem Pisanum, Patrieium Venetum, lego etiam commentarium in Ciceronis Oratorem edidisse Paris. ex officina Rob. Stephani, 1533, in-4. Ubi in præfatione ad Antonium Piciamanum, Venetum Patricium, scribit, se hunc commentarium ex ore Georgii Vallæ, præceptoris sui, excepisse. *Maittaire*, Ann. typogr. t. II, p. 789.

(3) Qui etiam opera Georgii Vallæ eodem anno Venetiis edidisse dicitur in Fabricii Bibl. Lat. med. et inf. æt.

fico ac singularis prudentiæ viro, Paulo Pisano, Senatori Veneto S. P. D. Hujus præfationis partem eam hic describemus, quæ narrationem de occasione et auctoribus ejus editionis habet.

« Quum proximis diebus apud eximium, et qui de omnibus artibus bene meritus est liberalibus, Georgium Vallam discendi caussa essem, tum impressor quidam eo se forte fortuna contulerat, poposceratque, ut opus aliquod multis commodum, nec minus sibi lucrosum ad imprimendum exhiberet: cui respondit se Arati Phænomena traditurum, quæ Avienus in latinum olim convertisset, quoniam quæ Cicero, deinde Germanicus latina fecissent, magna ex parte concisa sint ac mutila. Verumtamen eadem quoque ei imprimenda, quum se pariter traditurum polliceretur, et Avieni utpote integra se publice interpretaturum; traditurumque Sereni opusculum de curandis morbis variis, versu luculento compositum; idque quum audivissem, singularem horum operum utilitatem mecum colligens, nedum oblectationem, ipsum impressorem, ut ea curaret omnibus palam facere, jampridem abstrusa multis, impendio cohortatus sum, præceptorem porro nostrum exoravi, ut Aratum ac Serenum ei traderet. Quumque voti compos jam factus essem, is impressor demum a me postulavit efflagitavitque, ut his opusculis præfationem aliquam adponerem, unde unusquisque, quantum commodum adferat inspiciens, emat libentius. Ego autem facturum promisi, etc. »

Porro agit Victor hac in præfatione de antiquissimo auctore Arato, et de illis, qui hoc opus in latinum converterunt, denique summam operis Arati indicat. Præfationi subjiciuntur hæc verba: « Hic codex Avieni continet epigramma ejusdem, Arati phænomena, geographiam carmine heroico, et oras maritimas trimetro iambico: Germanici quoque et Marci Tullii Arati fragmenta; et Sereni versus de variis curandis morbis ».

5.

Opus ipsum incipit pag. seq. 7 sive fol. a IIII cum epigrammate Avieni, quod inscribitur: « Rufus Festus Avienus V. C. Flaviano Myrmeico V. C. suo salutem ». Subjicitur statim eadem pagina : « Rufi Festi Avieni V. C. Arati phænomenon liber incipit ». Atque hoc in libro Phænomenon Arati Prognostica nulla inscriptione distinguuntur. Pag. 58 fere media legitur : « Rufi Festi Aratus explicit. Incipit ejusdem orbis terræ fœlix ». Et pag. 95 : « Rufi Festi Descriptio Orbis terræ explicit. Incipit Oræ maritimæ liber primus felix ». Hoc finito pag. 113 et ultima subjicitur : « Rufi Festi Avieni opera finiunt ». Hinc paginis tribus charta pura relicta est, et continuatis literarum notis, chartarum ordinem indicantibus, cum litera *h* incipit pars altera voluminis, pag. 117, hac inscriptione: « Fragmentum arati phænomenon per germanicum in latinum conversi cum commento nuper in Sicilia repertum ». Pag. 196, incipit « M. Tullii Ciceronis fragmentum Arati Phænomenon » ad 208. Pag. 209 : « incipit Q. Sereni Medicinæ liber », et finit p. 239, in qua subscriptum legitur : « Hoc opus impressum Venetiis arte et ingenio Antonii *de Strata* Cremonensis. Anno salutis MCCCCLXXXVIII, octavo Cal. Novembres ». In aversa ejus folii ultimi pagina adhuc legitur: « Victoris Pisani (pro quo vitiose positum est *Victor Pisanus ad*) ad Paulum Pisanum in postremo opere commonitio », qua breviter rationem exponit, cur impressorem artificem hortatus sit, ut Serenum Arato, medicum astronomo conjungeret.

In hac igitur partium omnium voluminis ordinatione, quam memoravi, conveniunt inter se tria exemplaria, quorum notitiam habui. Unus idemque impressor in fine totius voluminis nominatur Antonius *de Strata*, neque in prioris partis fine, ut Clementins conjiciebat, notatus reperitur Thomas *de Blavis*. Quando vero Nic. Antonius aliam ejusdem anni eo impressore evulgatam editionem,

a seque visam in Vaticana bibliotheca adfirmat, equidem libens concesserim, fieri potuisse, ut Thomas *de Blavis* factam ab Antonio *de Strata* editionem Venetiis eodem anno repeteret, quod exemplaria prius edita scriptorum adhuc incognitorum, et valde desideratorum, non sufficere multitudini emptorum viderentur. Sed tamen et facile suspicari potui, quum Avienum a Thoma *de Blavis* impressum nemo adhuc cognoverit, forte errore quodam deceptum esse Antonium, qui scriptorem alium, a Thoma *de Blavis* anno 1488 Venetiis impressum, forte uno in codice cum Avieno conjunctum repererat, ejusque impressorem, in subscripto indice nominatum, ad priora Avieni, eique adjuncta opuscula pertinere reputabat. Suspicionem meam juvabat, quod Nic. Antonius memorat, in editione Thomæ *de Blavis* præcedere quidem epistolam Victoris Pisani, quæ in altera Antonii *de Strata* est, sed cum Arateis Germanici et Ciceronis, et Sereni Samonici opere medico, una adjunctum Avieno esse Hygini Astronomicon, quod in exemplaribus Antonii *de Strata* non est. Enimvero sciebam Hygini Astronomicon eodem anno 1488 Venetiis prodiisse, idque exemplum cognoveram virum clariss. mihique peramicum, J. N. Niclasium, Lycei Luneburgensis Rectorem, possidere. Qui quum illud rogatus mecum communicasset, intellexi plane ita esse, uti pridem conjeceram. Vidi eum librum Hygini eadem forma et ratione, qua Avieni et adjuncta opera, excusum esse, simile chartarum genus, octonis foliis, similes literas et notas paginarum habere; folium primum literis vacuum et nullo signatum titulo esse, ut in Avieni opusculis pariter, et in Germanici Arateis ei adjunctis factum est. Denique post finem libri addito carmini elegiaco Jacobi Sentini Ricinensis, quo astrorum cognitio, ut necessaria ad poetas intelligendos, commendatur, videbam hæc verba subjici: « Anno salutiferæ Incarnationis Millesimo quadringentesimo octogesimo octa-

vo mensis Junii die septima Impressum est præsens opusculum per Thomam *de Blavis* de Alexandria, Venetiis ».

Sic etiam notatum reperi exemplar, quod est in Bibl. Ducali Guelferb. Videntur omnino duo editores, hic Jacobus Sentinus Hygini, et Victor Pisanus Avieni, alter alterius æmulatione incensi, pro excitando astrorum scientiæ studio, duo illus auctores ex antiquis Latinos una edere, et pari ratione et forma adornare voluisse, ut commode conjungi atque compingi, tamquam unius argumenti scriptores, pariterque adhiberi alter alterius ad usum et interpretationem possent. Quod et sæpius factum esse, ambobus libris unum in codicem compactis, dubitari non potest: et sic compactos non solum ipse reperi in codice, qui est in bibliotheca Magdeburgensi, sed exstare etiam Lugduni Bat. legi in catalogo bibliothecæ Lugd. Bat. p. 174. Talem igitur codicem Nic. Antonius in bibliotheca Vaticana vidit. Qui quod nomen Antonii *de Strata* ad finem Sereni Samonici subscriptum non observarat, videbatque eadem ratione, nempe uno folio puro interjecto, Hyginum Germanico et Sereno adhærere, ut Germanicus Avieno, putabat Thomam *de Blavis*, sub finem Hygini nominatum, eumdem impressorem esse præcedentium Avieni et Germanici libellorum. Et fortasse utrumque libellum fugitivo perlustrans oculo, Germanici Phænomena et Hygini Astronomicum pro uno eodemque libello habuit, quod in utroque similes asterismorum et cælestium imaginum figuræ, ligneis formis impressæ, conspiciuntur, et facile permutari possunt. His observatis pro certo habendum puto, unam Avieni et adjunctorum librorum editionem Venetam Antonio *de Strata* impressori deberi, nullam Thomæ *de Blavis*, qui solum Hyginum impressit.

Postquam hæc ex inspectis collatisque tribus exemplis editionis Venetæ constitueram, et in chartas retuleram meas, contigit mihi quarti adeo exempli ejusdem, quod

in bibliotheca Florentina est, descriptionem ex Italia missam videre. Nam dum amicis extraneis consilium meum edendi Avieni, et desiderium primæ editionis, aut manuscripti exempli videndi, aperio, inter alios rogatus a me vir cl. Adamus Barichevichius, humaniorum literarum in Academia Regia Zagrabiensi Professor præclare meritus, a summo viro, Angelo Fabronio, Præsule ornatissimo, et Academiæ Pisanæ Curatore, meo nomine impetravit, ut exempli Veneti, in bibliotheca Florentina reperiundi, collationem sua manu accurate factam, humanissime ad me perferendam curaret. Hoc insigni viri eximii officio, cujus caussa maximas ei gratias publice agendas debeo, id demum adeptus sum, ut rebus singulis, quas ille in Italico exemplari, atque ego in Germanicis pluribus observassem, egregie convenientibus, ipse in sententia, quam de prima ista editione Avieni tuleram, plane confirmarer.

Memorant editionem Venetam Antonii *de Strata*, præter Fabricium, Mich. Maittair. Annal. typogr. tom. I, p. 495; Catalog. Biblioth. Menarsianæ, pag. 348; Bibliothecæ Lugduno Batavæ, p. 174; David *Clement*, *Bibliothèque curieuse*, t. I, p. 286.

Vitiosum admodum et multis nævis obsitum hoc exemplum esse, unusquisque per se intelliget. Sed in vitiis ejus hoc maxime eminet, quod in Descriptione Orbis terræ duæ paginæ, nempe aversa folii *f*. et adversa folii *f*. II transpositæ et permutatæ reperiuntur, ita ut post versum 1047, omissis versibus 38 intermediis, pergatur cum versu 1086, atque isti omissi ponantur pagina sequente. Hoc vitium respexit Cuspinianus, quum in epistola editioni suæ præmissa ait, Avieni « opus de situ orbis jam pluribus annis non lacerum modo ac depravatum, sed integris quoque chartis inversum haberi ».

II. *De Orbis terræ partibus* liber Avieni olim prodiit Vene-

tiis anno 1502, fol. Sic refert Nic. Antonius, Bibl. vet. Hisp. lib. II, cap. 9, pag. 161, eamque editionem cum aliis in bibliotheca Barberina Romæ esse ait. Ego a nemine alio memoratam vidi. Sic tamen perscribi in Indice Bibliothecæ Franc. Barberini, Cardinalis, vol. I, p. 92, nuntiavit mihi vir cl. mihique amicissimus Harlesius.

III. *Situs orbis Dionysii Ruffo Avieno interprete.* In fine legitur : VIENNE. *Cuspinianus nevos et verrucas sustulit: Winterburger impressit anno MDVIII.* Constat foliis 24, in-4. In altera tituli pagina legitur epistola Cuspiniani, qua libellum dedicat *Reverendissimo in Christo Patri ac domino D. Stanislao Olomucensi Episcopo.* In hac quia nonnulla notatu digna de Avieno, atque hac illius editione, memorat, placuit eam integram adponere:

« Rufus Festus Avienus, qui temporibus Diocletiani Cæs. claruit, post Arati Phænomena Periegesin quoque Dionysii, Punici poetæ, ex Ityca Tyriorum colonia, vel, ut alii, ex Byzante orti, sive Corinthii, Suida teste, tamquam Paraphrastes latinitate donavit, ut cæli terræque superficiem depingeret studiosis, quod felicissime præstitisse fatebitur, quisquis Aratum ac Dionysium Rufo interprete, sed emaculato castigatoque ac perpurgato, lectitabit. Adhibui operam, reverendissime antistes, ut hoc de situ orbis opus, jam pluribus annis non lacerum modo, ac singulis pæne carminibus depravatum, sed integris quoque chartis inversum (quod nemo hactenus animadvertebat) emunctum ac castigatum tuo auspicio prodiret in lucem, ut et auctor Dionysius et Rufus metaphrastes opem nostram, quantulacumque sit hæc, sentiret. Adtulit mihi ad hanc exsequendam suppetias Aldus Manutius, vir de utraque lingua bene meritus, qui me græco Dionysii venerandæ vetustatis exemplari donavit, ex quo errata plurima detersi. Quod facile intelliges, quum severioribus studiis semotis, succisivis horis terras ac maria co-

gnoscere ex hoc Dionysio tua R. P. voluerit. Vertit et hunc in latinum Priscianus Cæsariensis, insignis grammaticus, vel, ut alii volunt, Rhemnius Fannius. Nostra autem ætate Antonius Becharia Veronensis, lege carminis non observata. Contulimus hos omnes, et nostras quoque adnotationes descripsimus in commentariolum; quamquam Eustathium inter Græcos in Dionysium hoc fecisse non ignoremus; tamen plurima sæculo nostro sunt et inventa loca prius ignota, et a scriptoribus vetustissimis neglecta: quem propediem tuæ R. P. mittam. Interim tuum agnosce clientem deditissimum, et hoc amoris pignus a me suscipe fronte, qua soles, serena. Vale et me commendatum habeto ».

Pagina sequente inscriptio carminis hæc ponitur : DIONISII PERIEGESIS. I. SITVS ORBIS RVFFO AVIENO INTERPRETE. Memoravit hanc editionem Mich. Denisius, in Historia Typographiæ Viennensis ad annum usque 1560 perducta, pag. 19. Sed Fabricius et cæteri omnes, qui de scriptoribus Latinis egerunt, ignorant; neque eorum eruditorum, qui Avienum tractarunt aliquando, inveni quemquam, qui adduxerit vel laudarit. Ipse habeo inter meos, et magni facio.

IV. « Dionisii Afri ambitus orbis : Rufo Festo Avieno paraphraste : castigatissime impressus. Perlegente et conferente proba exemplaria Ioachimo Vadiano Helvetio : qui partim aliorum judicio, partim suo studio et diligentia, pleraque loca, quæ antehac viciosissime impressa erant, in communem studiosorum utilitatem restituit : observata clausularum carminumque exacta distinctione : ut jam vel mediocriter eruditi ex Avieno, studio etiam privato, proficere abunde possint ». Hæc commonitio, instar præfationis, in fronte libri posita, ipsique titulo subjecta est. Textus statim pagina aversa incipit. In fine legitur : «Vadianus tandem nevos et verrucas pro virili sustulit;

Joannes Singrenius diligenter impressit. Vienne mense Februario Anno, etc. Decimo quinto, 1515. » Constat foliis XXVI, in-4.

Præstantissima hæc est omnium, quæ adhuc visæ sunt, recentiorum etiam, Avieni editionum, sed indigne neglecta ab eruditis, vel ignorata potius. Quippe neminem eruditorum laudare eam memini, præter unum Is. Vossium, qui in Observ. ad Pomp. Melam, lib. I, cap. 14, p. 72, corruptissimum locum Descript. orb. vs. 1015, de quo in præfatione nostra diximus, *ex veteri libro* sic emendatum et suppletum citat, uti in Cuspiniani et Vadiani exemplis legitur.

Memoratur ea editio pariter, ac Cuspiniani, a Denisio, libro cit. p. 118. Præterea notata invenitur in Catalogo Bibliothecæ Lugduno-Batavæ, p. 198. Ipse habui e bibliotheca Academiæ Georgiæ Augustæ.

Georg. Draudius in Bibl. Class. pag. 1562, perhibet, Dionysii Afri *de Situ orbis* poema a Sexto Rufo Avieno conversum editumque Parisiis, 1560. Sed erroneum hoc indicium videtur.

V. Inter Pithœi Epigrammata et Poematia vetera legitur *Rufi Festi Avienii descriptio Orbis terræ*, pag. 244, edit. Paris. 1590, et pag. 389, ed. Lugd. 1596. *Rufi Festi Avieni Oræ maritimæ liber primus*, pag. 288, Paris. et p. 429, Lugd. Denique in tertia ejus libri editione, Genevæ 1619.

Expressa hæc est maximam partem e prima Veneta, sed nonnullis in locis vitiosior ipsa Veneta est: Vadianæ elegantiam nulla parte adsequitur.

VI. Inter *Poemata vetera*, quæ adjuncta sunt *Daretis Phrygii de bello Trojano libris VI a Corn. Nepote latino carmine donatis*, edita est *Rufi Festi Avieni Descriptio Orbis terræ* cum Lucani panegyrico ad Calp. Pisonem, Gratii

et Nemesiani Cynegeticis, et Calpurnii Bucolicis, per Alex. Carolum Trognæsium, Antwerpiæ apud Joach. Trognæsium, 1608, in-8; iterumque Duaci, 1632, in-8.

Expressa hæc est e Pithœana, paucis exceptis. Exstat in biblioth. Academiæ Goettingensis.

VII. Nic. Antonius l. c. refert, *Descriptionem Orbis terræ, una cum Ora maritima et fabulis Avieni* prodiisse Antverpiæ, 1632, in-4. Atque eadem editio memoratur in Catalogo Bibliothecæ Barberinæ, vol. I, p. 92.

VIII. *Ruffi Festi Avieni* V. C. *Hispani Opera quæ exstant*, nimirum Descriptio orbis terræ, Oræ maritimæ, Arati Phænomena, Fabularum liber, Epigrammata varia. *Don Petrus Melian, in Conventu Guatimalensi Novæ Hispaniæ Regius auditor, collegit, ex bibliotheca D. Laurentii Ramirez de Prado.* In ultima pagina libri: *Madridi ex offic. Franc. Martinez*, 1634, in-4.

Editio hæc una ex omnibus est, quæ Avieni opuscula, quotquot ei tribuuntur, conjuncta exhibet, eo quidem ordine, quem in titulo indicavi. Epigrammata, quæ ultimo loco exhibentur, tria sunt, *Sirenum allegoria*, *de malis Punicis* ad Flavianum, et *ad amicos de agro*, repetita e Pithœi collectione. Præter eam prærogativam, quam dixi, et præter summam ejus in Germania raritatem, nulla fere dos, nullus usus criticus ipsius libri est. Nihil enim editor ad Avienum emendandum vel illustrandum contulit, præter præfationem, qua de vita et scriptis Avieni copiose quidem, sed leviter et inepte agit, et vano conatu frivolisque argumentis, quæ e spuriis scriptoribus, præsertim Luitprando, petuntur, Hispanum et Christianum fuisse contendit. Textus omnium carminum, præter Aratea, de Pithœi exemplo valde mendoso sumptus atque descriptus est, nullis nisi apertissimis vitiis correctis, et ne una

quidem animadversione addita, subinde mendosior ipso Pithœano, ubi novi errores typographici admissi.

Exemplum ejus editionis, quod olim J. A. Fabricii fuit, hodie exstat in bibliotheca Electorali Dresdensi, unde ipse benigne concessum habui.

IX. *Descriptionem Orbis terræ* et *Oram maritimam* cum Prisciani Periegesi Latina Dionysio Græco adjunctas edidit Jo. Hudsonus, vol. IV *Geographiæ veteris scriptorum Græc. min.* Oxoniæ 1712, in-8. Textum Pithœano paullo emendatiorem dedit, eique varias lectiones et conjecturas eruditorum subjecit.

X. Inter *Opera et fragmenta veterum poetarum*, profanorum et ecclesiasticorum, a Mich. Maittairio collecta et edita Lond. 1713, fol. Avieni *Descriptio Orbis terræ* legitur vol. II, p. 1325, seqq. *Ora maritima*, p. 1334; *Arati Phænomena*, pag. 1551. Textus adparet ex Hudsoni exemplo exscriptus.

In *Corpore omnium veterum poetarum Lat.* secundum seriem temporum digesto, et quinque libris distincto, quod proditum est Genevæ, 1611, et Aureliæ Allobr. 1640, in-4, duobus voluminibus, *Fabulæ* quidem *XLII Rufi Festi Avieni* leguntur vol. II; sed desiderantur ejus Geographica.

XI. In *collectione Pisaurensi omnium poematum, carminum, fragmentorum Latinorum* legitur Avieni *Descriptio Orbis terræ* tomo IV, qui ethnicos poetas, minores et minimos, continet, et Pisauri an. 1766, in-4, prodiit, pag. 166; *Ora maritima* ibid. pag. 177, seq.

XII. *Rufi Festi Avieni Descriptio Orbis terræ, cum conjecturis nonnullis clar. Schraderi nunc primum editis, ac textui subjectis. Accedunt Nic. Heinsii, Casp. Barthii, cl. Salmasii aliorumque adnotationes in Avienum: impensis et curis*

H. Friesemanni, qui hic illic sua addidit. Amstelodami, apud Petrum *den Hengst*. 1786, in-8. Bene mereri doctus juvenis de Avieno, tam diu neglecto, atque excitare ejus memoriam, quasi sepultam, et lectionem adjuvare pro virili conatus est, excerpendis et in unum conferendis observationibus doctorum virorum, quæ partim in aliis libris prostant, partim latent etiamnum ineditæ. Sed, ut quædam ephemerides et relationes literariæ apud nos judicarunt, optandum fuit, ut doctissimus editor diligentiorem curam editioni adornandæ, et exscribendis digerendisque adnotationibus adhibuisset. Textum ex Hudsoniana editione non admodum accurate exscripsit, eique varias lect. et conjecturas ab Hudsono collectas subjecit, immixtis subinde Schraderi ineditis, quarum plures tamen non Schraderi, sed Heinsii aliorumve, a Schradero alicubi adnotatæ, sunt. Uberiores meliorisque notæ animadversiones Schraderi, quæque cum nostris, ex auctoris autographo repetitis, bene conveniunt, una cum aliis peregregiis Petri Fonteinii, præfationi suæ inseruit. Ad calcem poematis Avieni adponuntur capita nonnulla ex Heinsii et Barthii Adversariis, e Salmasii Exercitt. Plin. et ex libro Observat. Miscell. descripta, quibus Avieni aliquot loca corriguntur, aut explicantur.

Novam editionem carminum geographicorum, Avieni juxta atque aliorum, nuper promisit L. Baro *de Sainte-Croix* in Ephemeridibus eruditorum Paris. *(Journal des Savants)* mens. April. p. 217, ubi singulari programmate edendam ab se collectionem *Geographorum minorum antiq.* adnuntiat, quæ locupletior Hudsoniana futura est, et secundum ordinem temporum Græcos primum minores Geographos, mox Latinos *Melam, Solinum, Avienum, Rutilium,* alios exhibebit. Vid. Ephem. liter. Goetting. an. 1789, sch. 128.

Atque hæc est editionum *Descriptionis Orbis terræ* ad

nostra usque tempora factarum series, si aliorum poetarum editiones compares, admodum exigua, et cujus vix dimidia pars *Oram maritimam* una vulgavit. Fieri tamen potuit, ut una alteraque editio nostram scientiam fugeret. Quod si aliquando contigerit animadvertere, id alio tempore et loco indicare, non gravabimur.

DE

RUFO FESTO AVIENO

TESTIMONIA AUCTORUM AC JUDICIA.

I. AVIENUS ipse in Ora maritima, v. 71.

. . . . , Reliqua porro scripta sunt
Nobis in illo plenius volumine,
Quod de orbis oris partibusque fecimus.

II. HIERONYMUS in Comment. ad Epist. Paul. ad Titum, vs. 12.

Hemistichium *Ipsius enim et genus sumus*, Act. XVII, in Phænomenis Arati legitur, quem Cicero in latinum sermonem transtulit, et Germanicus Cæsar, et nuper Avienus, et multi, quos enumerare perlongum est.

III. SERVIUS Grammaticus, ad Virg. Æn. X, v. 272.

Cometæ autem latine Crinitæ adpellantur: et Stoici dicunt has stellas esse ultra XXXII; quarum nomina et adfectus Avienus, qui iambis scripsit Virgilii fabulas, memorat.

IDEM ad Æn. X, vs. 388.

Hæc fabula in Latinis nusquam invenitur auctoribus. Avienus tamen, qui totum Virgilium et Livium iambis scripsit, hanc commemorat, dicens Græcam esse.

IV. LUITPRANDUS in Adversariis, num. 204.

Vir doctissimus Flavianus, ad quem scripsit Symmachus, et cui inscripsit Festus Rufus Avienus librum de Stellis, floret sub Theodosio, etc.

IBIDEM, num. 205.

Obiit Rufus Festus Avienus, vir catholicus et Hispanus, civis Eborensis, in Hispaniæ Carpetania, eodem anno et die, quo sanctus Augustinus adscendit ad cælos in sua civitate. Sepultus est præsente Majoriano, Toletano Archiepiscopo, in æde S. Leucadiæ.

Hæc loca Luitprandi conficta, una cum alio simili Pseudo-Maximi (in Chronico ad ann. 460, num. 4), exagitat et refutat Nic. Antonius, Bibl. vet. Hisp. lib. II, cap. 9, p. 162 seq. Nobis visum est ea, quamvis e spurio et supposito libro petita, hoc loco reponere, quia supra in præfatione nostra subinde ad ea respeximus.

V. PETR. CRINITUS, de Poetis Lat. cap. 78.

Rufus Festus Avienus, poeta eruditus et elegans per eadem tempora floruit, quibus Cæs. Diocletianus Imperator est adpellatus; quæ res quum multis aliis argumentis colligitur, tum ex commentariis divi Hieronymi, qui, quum loquitur de Arati Phænomenis, Avienum refert paullo ante in latinum ea convertisse, post M. Tullium atque Germanicum. Quidam putant illum fuisse genere Hispanum: sed hoc mihi non satis compertum est in tanta rerum obscuritate. Illud minime dubium est, eum magna doctrina ac multiplici rerum scientia præstitisse. Nam præter opus Arati, quo maximam laudem adeptus est, composuit etiam librum de orbe terrarum his versibus, quos vocant hexametros,

imitatus Dionysium Græcum poetam. De maritimis quoque scripsit iambicis versibus, intactum opus Latinis ingeniis, tantæque difficultatis, ut diu multumque sibi elaborandum fuerit in eo absolvendo. De hoc poemate sic idem Avienus refert:

Laboris autem terminus nostri hic erit, etc.

Plura in hoc opere inseruit ex variis atque reconditis auctoribus. Præcipue sequutus est, ut ipse testatur, Hecateium Milesium, Hellanicum Lesbium, Philonem Atheniensem, Pausimachum, Euctemum, Cleonem Siculum, aliosque permultos; ut prætermittamus Annales Punicos, a quibus complura accepit. Neque desunt, qui existiment, fuisse alia composita ab eodem Avieno. Servius quidem Grammaticus, quum de cometis disserit, Avienum scribit fecisse Virgilianas fabulas iambicis versibus, et historica quædam ex libris Livianis: qua in re non satis habeo exploratum, an hæc ad eumdem sint referenda, etsi ratio temporum maxime congruit. Inter amicos præcipue coluit Myrmecium Flavianum, virum clarissimum, et Probum, cujus virtutem atque probitatem magnopere commendat, dicato illi volumine de Maritimis. Hæc sunt, quæ legimus de hoc Avieno apud veteres auctores. De Avieno poeta Græco, cujus leguntur epigrammata, nihil dicendum est hoc loco.

VI. JOACH. VADIANUS, in rudimentaria in Geographiam catechesi, quæ præmittitur ejus commentario in Melam, cap. 3.

De limitibus a terra sumptis Dionysius satis explicat in Periegesi, sive Rufum, seu Palæmonem quis legit.

VII. LIL. GREG. GYRALDUS, de Poetar. Hist. Dial. IV, tomo II oper. edit. I. Jensii, p. 257.

Ruffus Festus Avienus in antiquis codicibus *Abidnus* dicitur, et in Servii etiam commentariis. Hic ab aliquibus Hispanus est existimatus; ego certe nihil habeo, quo vobis id adfirmare possim. Hic Dionysii Punici *de situ Orbis* versus ex Græcis Latinos fecit, item Aratea Phænomena, quod utrumque opus exstat carmine hexametro expressum. Et præter hæc *de Oris maritimis* librum edidit carmine trimetro iambico, ad Probum, virum consularem, ad quem etiam Cl. Claudianus scripsit. Quo argumento ducor, ut Avienum Claudiani, hoc est, Theodosii Imperatoris et filiorum temporibus floruisse credam, id quod et facile Hieronymi verbis adstruere possumus, qui quodam suarum epistolarum loco nuper illum scripsisse dicit. Alii Diocletiani Cæsaris, non satis firmo, ut mihi quidem videtur, argumento; alii utrumque inconfessum, parumve compertum esse volunt. Servius Grammaticus Avienum ait Virgilianas fabulas, et Livium iambicis versibus descripsisse. Sunt, qui hunc ipsum Avienum esse putent, quem Aurelius Macrobius in Saturnal. cœnis loquentem induxit. Utcumque, tolerabilis est poeta, et dignus, saltem ob rerum cognitionem, ut aliquando legatur. Sed ne quid a me desideretis, exstat et libellus ad Theodosium Imperatorem, hujus, ut putatur, Avieni, nisi nos fallit inscriptio, in quo plerosque Æsopi apologos elego carmine complexus est, qui an legitimus sit, non multum esse pretium operæ, ut disquiramus, existimo, etc.

VIII. PETRUS PITHOEUS; in Emendat. in Poemata vet. pag. 597, edit. Lugd.

Videtur Avienus idem operam posuisse in omnis generis fabulis explanandis, quarum aliæ ad corpora cælestia perti-

nent, ut Arati, cujus Phænomena carmine heroico latine expressit: aliæ ad heroas, ut Virgilii et Livii Andronici, quos iambicis versibus reddidit: tertium genus ad bruta animantia, ut Æsopi, cujus generis sunt illæ paullo post ad Theodosium, forte ad Macrobium, qui et Avienum ut coætaneum atque amicum in suis Saturnalibus loquentem inducit, quamquam eæ fabulæ in quibusdam exemplaribus Aviani, in aliis Aniani nomen præferunt, quo et citantur ab auctore libelli Proverbiorum, qui Bedæ adscriptus est, etc.

IX. MARTINUS OPITIUS, Var. Lect. cap. 7, p. 27.

Cepit me inprimis Rufi Festi Avieni de Ora maritima insignis liber, in quo rara sermonis et ad Græcam elegantiam accedens venustas, multaque ex deperditis auctoribus alibi non legenda. Aliud equidem fatum, quam ut tam mancus et mutilus circumferretur, plane meritus est..... Recte vero editur hoc carmen post Orbis Periegesin, ex Dionysii Græco in Latinum sermonem ab Avieno versam: nam et post illam confectum fuit. Indicat Avienus, etc.

X. RAMIRESIUS de Prado, in notis ad Luitprandi Adversaria, pag. 493.

Librum de situ Orbis, imitatus Dionysium, Græcum poetam, ut Crinitus docet, hexametro versu composuit; non vero, ut Gyraldus, alienæ laudis aliquando parcissimus, Dionysii versus ex Græcis Latinos fecit..... Quod profecto utriusque opus inspicienti erit palam,... et discrimen inter utrumque poetam et poema, minimus est labor agnoscere.

XI. CASP. BARTHIUS, Adv. lib. XXVIII, cap. 12.

Præstantissimus et magni omnino oris vates in iis est Rufus Avienus, quæ spiritum capiunt. In iambis vero et

venustus et eruditus: vulgo minus utilis habitus, certe vel a doctis ipsis rarissime nominatus, ob mendorum, credo, copiam.

XII. IDEM eodem libro, cap. 16.

Luculentum et grande carmen est Avieni Periegesis, ex Dionysio descripta potius, quam conversa.

Iisdem verbis de Periegesi Avieni judicat, Ablegm. lib. IV, c. 16.

XIII. IDEM, Advers. lib. XLVI, cap. 16.

Multa non tam bona, quam optima, vel et optimis meliora nobis suppeditant poemata Rufi Avieni, scriptoris luculentissimi, poetæ vero adeo excellenti spiritu, ut nonnunquam se ipsum vix videatur capere..... In translatione Dionysii se ipsum tantus auctor sæpius, quam auctorem suum sequitur.

XIV. IDEM, Advers. lib. XLIX, cap. 13.

Quo magis lego veteres poetas, eo minus eos intelligi vulgo condoleo, tam illi boni sunt condi bonarum rerum. Avienum his merito suo accenseo, adeo uber est doctrinæ, nec ego fere quidquam in eo lego, quin eruditior abscedam.

In fine ejusdem capitis: Talia infinita sunt apud luculentum scriptorem, et minime vulgaris ingenii, Avienum notanda. Eo persequenda a nobis et hic et alibi diligentius, quo intactior is auctor vulgo. Pauci enim sunt, etiam has literas docti, qui eum vel legerunt, vel etiam ubi sit editus norunt; quod sane mihi talibus conversanti, experiri contigit; qui antiquitatis quosdam, sua ipsorum tamen opinione solummodo, consultissimos incidi, quibus etiam de nomine non erat satis cognitus, et ideo inter quisquilias nescio

cujus ipsorum latinitatis habitus. At secus viri insignes et nihil non scire cupidi, eaque laude posteris commendabiles: quorum etiam princeps Joseph. Scaliger enarrandum sibi, et junctim suis sibi cum commentariis edendum hunc poetam destinavit aliquando. In cujus nos aliquando vacuum locum, imparissimi licet, veniemus, cui dolet certe tantum scriptorem non peculiari aliqua editione integrum exstare; sed adhærere aliis instar interpretis, aut Collectanea explentis. Certe aliud meretur tanta poesis.

XV. GER. JO. VOSSIUS, de Histor. Latin. lib. II, cap. 9, p. 202.

Avienus totum Livium iambis expressit, ut ait Servius in Maronis illud, lib. X, *Hinc Helenum petit*, etc. Credo eumdem esse Rufum Festum Avienum, Arateorum interpretem, cujus præterea insignes atque eruditi libelli duo hodie versibus exarati exstant : nempe Περιήγησις, sive Orbis Descriptio, et Περίπλους, sive de Ora maritima..... Beatus Hieronymus commentario in Titum meminit ejus, ut nuperi scriptoris. Unde Theodosii Imp. ætate vixisse, colligimus : præsertim quum nec Probus ille, cui poematium de ora maritima sacravit, alius videatur, ac consularis ille Probus, ad quem scribit Claudianus. Ut omnino erret Crinitus, quando Avienum hunc Diocletiani æqualem facit, etc.

XVI. IDEM, de Poetis Lat. cap. 4, pag. 55.

Gratiani ac Theodosii temporibus fuit Rufus Festus Avienus, qui Aratum et Dionysii Περιήγησιν carmine latino transtulit : item carmen iambicum de Oris maritimis scripsit, idque ad Probum consularem, ut versu primo, et sæpius sequentibus indicatur... Nec alium puto Avienum, quem loquentem inducit Macrobius in Saturnalibus. Idem etiam videtur, qui fabulas Æsopicas carmine signavit elegiaco.

Quamquam in nonnullis codicibus is Anianus, atque etiam Anienus; immo et Abidnus vocetur, etc.

XVII. PETRUS DE MARCA, Marcæ Hispanicæ lib. I, cap. 12, num. 5.

Festus Avienus antiquata gentium nomina usurpare solet, eaque omittere, quæ tum in usu erant, quum ipse scriberet.

XVIII. PHILIPP. BRIETIUS, lib. IV, de Poetis Latinis, apud Nic. Antonium, Bibl. vet. Hisp. II, c. 9, p. 162.

Stylus Rufi Avieni tersissimus est, expeditus, et tempora meliora sapit.

Repetiit hoc judicium Adr. *Baillet*, *Jugem. des Savants*, t. III, pag. 285.

XIX. JO. PRICÆUS, in Adnot. ad Apul. Metam. p. 95.

Avienus iste, ut quibus vixit temporibus, non infimi spiritus poeta, notisque satis copiosis a nobis illustratus, quominus e scriniis prodiret nostris, occupata in aliis studia obstitere.

XX. OLAUS BORRICHIUS, Diss. II, de Poetis Latin. § 50.

Arati Phænomena latino carmine reddidit, facundius, ut liquet, nitidiusque, quam vel ipse Tullius, vel Cæsar Germanicus, quorum etiam metris adjungi solet. Reddidit et versibus Dionysii Περιήγησιν, et, quod mirere, universum Livium iambis expressit, si verum est Servii testimonium. Neque hic stetit generosus impetus: quippe præter alia, quæ ex fragmentis colliguntur, fabellas quoque Æsopias in

elegias convertit. Stylus ejus perspicuus est, tersus, elegans et sæculo suo floridior.

XXI. CHRISTOPH. CELLARIUS, in Dissert. de poetis scholæ publicæ util. § 25.

Dionysii Periegesin latine versibus hexametris Rufus seu Rufius (ut in inscriptione est) Festus Avienus reddidit, de quo supra diximus, quia hic idem est, qui Aratum poetam transtulit. Utinam vero castigatior translatio Periegeseos exstaret! Videant, quibus facultas est vetustos codices inspiciendi, et emendandi, quæ prava et corrupta jam leguntur. Non enim hæc tam nitida est, quæ ad nos pervenit, quam ejusdem est versio Aratea, etc.

XXII. HENR. DODWELLUS, in Diss. de ætate et patria Dionysii Perieg. § 25, p. 43.

Avienus, Græcæ vocis, Περιήγησις, δύναμιν per *Descriptionem Orbis terræ* interpretatus, suo tamen nomine, non Dionysii, inscripsit. In *Ora maritima* auctores recenset, unde sua hauserit, poeta nostro (Dionysio) vetustiores; Nostrum scilicet indignum, ætatis caussa, censens, qui vetustissimis accenseretur. Obiter enim aliudque agens memorat (nempe v. 331), et quidem merito; quippe per quem, in hoc etiam opere, profecerat. Ita Dionysio fraudem nullam fieri existimare poterant, etc.

(Vid. Testim. de Prisciani Perieg.)

XXIII. JO. ALB. FABRICIUS, Bibl. Lat. lib. III, cap. 11, § 3, pag. 608, edit. prioris (in recentiore Ernest. hæc non leguntur).

Adparet, Avienum altius surgere Prisciano, et minus in hoc, quam in illo, genii esse poetici. Priscianus vero non

tantum sibi indulgere ausus, simplici metaphrasi adstrictius inhæret Dionysii verbis, etsi ipse quoque interdum quædam interpolat, cujus rei ad vs. 906, illustre exemplum licuit observare, etc.

XXIV. JO. SCHRADERUS in libro Observ. cap. 4.

Elegans poeta (Avienus), qui non sine inflammatione animi, et adflatu quodam divino, versus numerose et volubiliter fudit.

RUFI FESTI AVIENI

DESCRIPTIO ORBIS TERRÆ

CUM

VARIETATE LECTIONIS

ET

INEDITIS JO. SCHRADERI,

EXCERPTIS ALIORUM,

ET PERPETUIS EDITORIS

ANIMADVERSIONIBUS

DE

R. F. AVIENI

DESCRIPTIONE ORBIS TERRÆ.

AD LECTOREM.

Qui parte secunda tomi V Poet. Lat. min.(1) reliqua omnia carminum geographicorum me editurum promiseram, nunc spatiis iniquis exclusus hanc sola Avieni Periegesi cogor absolvere. Caussa ejus rei quum ipsa hujus carminis, qua omnia hactenus edita superat, longitudo est, tum animadversionum Jo. Schraderi, quæ adduntur, copia et ubertas. Quas quoniam integras et illibatas dare ex promisso constitueram, neque tamen earum caussa ita me putabam in ordinem redigi, ut, quas æque necessarias esse viderem, adnotationes aliorum et meas vel contraherem, vel resecarem, factum est inde, ut tota in Avienum commentatio in hoc spatium atque in hanc amplitudinem excederet. Eadem caussa me coegit aliam, atque hactenus consuevi, rationem in ordinandis digerendisque notis inire. Quum Schraderi

(1) Hac autem parte hic tomus V noster conflabitur, adjectis tamen, ut promisimus, Arati Phænomenis, et Astronomicis quibusdam aliis. Cæterum, quod Wernsdorfius mox præmonet, se aliam in notis digerendis rationem inivisse, non in nostrum opus cadunt, cujus dispositionem præcedenti nota aperuimus, huj. tomi V, pag. 64. Ed.

observationes, maximam partem in critica ratione, et lectione constituenda, rarius in rerum explicatione versantes, prius quidem a clariss. Wassenberghio e majore silva hic illic in breviorem cinnum redactæ, vel sic tamen satis amplæ viderentur, pluraque abs me et aliis de eadem ratione adnotata accederent, laxiora hæc omnia videbantur, quam quæ locum in singulis paginis texto subjicienda habere possent. Itaque Schraderi quidem et aliorum integras animadversiones, item meas ad rerum explanationem spectantes, post finem carminis perpetua serie collocandas curavi, sed tamen, ut, quæ ad texti emendati rationem intelligendam proxime pertinerent, obvia legentium oculis essent, excerptas ex istis animadversionibus varietates lectionis et conjecturas doctorum virorum, una cum iis, quas ipse observassem, in adnotationem texto subjiciendam contuli, et subinde, quæ ad sensum facerent, breviter indicavi. Utcumque vero ista se habeant, operam certe diligentius Avieno navatam non improbabunt æqui lectores; gaudebunt potius, nunc veluti in meliorem vitam revocatum, et, quoad fieri potuit, perpolitum prodire nobilissimum poetam, indigne adhuc neglectum, de quo nunc futurum spero, ut denuo in manus et ora eruditorum veniens, deinceps legatur frequentius, et rectius æstimetur. Etenim quæ dotes et virtutes hujus Descriptionis Orbis sint, e lectione et recensione ejus accurata abunde intellexi. Ingenium et spiritus in toto poemate mirificus, et propemodum altior suo argumento, regnat, qui aridam jejunamque materiam animare quodammodo, et lectorem secum rapere per maria et terras videtur. Oratio ubique copiosa et ornata mira varietate res formulasque identidem recurrentes, ut fieri in perpetua recensione terrarum, marium, urbium, fluviorum necesse est, aliter atque aliter enuntiat, hisque optime tædio occurrit legentis: tot prætcrea verbis et phrasibus novatis, scite compositis, et audacius translatis abundat, ut hoc auctore latinitas quodammodo locupletata videatur. Ut exemplis res constet, obiter nonnulla ejus voca-

bula rariora refero: *cespes* pro *quavis terra, multis locis; modus* pro *termino*, v. 100; *sternax* pro *consternato*, v. 203; *glando* pro *glans*, 285; *paludivagus*, 312; *Achæmenia lux*, 474, et *Assyrius axis*, 534, pro *regione solis orientis; adulat* pro *adluit*, 338 et 571; *protelatus*, productus, extensus, 487; *scrupus* pro *caute aspera*, 503, 786, 810; *cetosum pecus* pro *balænis*, 781; *monstrigeni fluctus*, 789, *Cauricrepæ convalles*, 869; *vestigia montis*, quæ aliis radices dicuntur, 481, 1380; *inexpers* pro *inexperto* vel *experte*, 920, 1391. Alia multa ex Ora maritima proferri possunt, quæ jam prætereo (1). Sed ut nævos etiam Avieni ne reticeamus, ille impetus ingenii, illa orationis copia, sæpe justo rerum studio, sæpe veritati offecit. Dum simplicius a Dionysio dicta ornatius efferre et dilatare studet, excrrat in aliena, et falsa dicit. Vid. ex. gr. v. 138, 380, 503. In populorum moribus, regionumque vel sterilitate vel opulentia describendis, fere luxuriat, neque tam quæ natura vel suus auctor Dionysius, quam quæ ingenium suggerit, prædicat. Plerumque locos, in quibus stylus excurrere possit, amplectitur, contra omittit fere, quæ tractata desperat posse nitescere. Hinc nonnumquam nomina quædam populorum locorumque, a Dionysio cum pluribus memorata, negligit, quia tædium ex longa singulorum enumeratione metuere videtur; addit contra alia, quæ speciosa videbantur. Itaque lectu quidem jucunda, sed non æque sincera et doctrinæ apta Avieni Periegesis est, nisi commentator, qui de nævis et erroribus moneat, accedat. Et mihi sæpe, Avieni tam pulchrum poema conside-

(1) Notat insuper Wernsdorfius in Addendis ad tom. V Avienum jure haberi auctorem monumenti supra adducti, cujus initium est: « Festus Musoni suboles »; idque declarari putat ex usu quorumdam verborum hujus monumenti, quæ Avienus in scriptis suis eadem significatione adhibuit. Sic *suboles* in hoc usurpatur de genere, propagine, posteris, ut in Descr. Orb. vs. 524, 855, 1224. *Lar Vulsiniensis* ibidem ponitur pro urbe Vulsiniensi, quomodo ipse Avienus frequenter adhibet, ut Descr. Orb. vs. 368, 495; Or. marit. vs. 517, 610, 698. Ed.

ranti, dolendum maxime videtur, quod auctor tam præclaris ingenii doctrinæque dotibus instructus in Dionysio interpretando nullam simul locupletandæ geographiæ et temporibus suis accommodandæ rationem habuerit. Etenim Dionysius non aliam, nec meliorem orbis terræ notitiam, quam quæ veterum poetarum Græcorum est, præ se fert, nec e Græcis quidem aliis scriptoribus locupletiorem dare voluit. Avienus tanto ab illis intervallo temporis remotus, rudem Dionysii geographiam tantopere sectatur, ut ne maximos quidem defectus ejus sarcire studuerit. Hoc ut exemplo maxime illustri doceam, versu 767 seqq. a Thule, ultima extremi Septemtrionis insula, proximam in Oceano insulam memorat Auream, quæ quidem ad Orientem collocatur, sed revera in meridiali Oceani Indici parte quærenda est, atque adeo ab extremo Septemtrione usque ad hanc regionem nihil, nisi Scythicum vel Cronium mare, neque aliquam tellurem vel insulam novit. Tam immanem saltum geographicum si Dionysius commisit, condonandum id forte poetæ Græco, poetas Græcos sequi et imitari cupienti, quibus pro terrarum suarum situ omnis fere Occidens et Septemtrio ignotus erat; minime vero ignosci Avieno potest, quod homo Romanus, a multa lectione scriptorum Romanorum instructus, a quibus plurimis Occidentis gentes et regiones, bellis Romanorum apertas, cognoscere poterat et debebat, quum ipse multos Dionysii locos uberius explicasset, nulla tamen parte voluerit geographiam Dionysii amplificare. Quam jejune et inscite ille de universa Hispania, de Gallia, Britannia et Germania, servatis omnibus Græci poetæ erroribus, loquitur, quarum tamen facies ei multo rectius et luculentius ex historiis Romanis, e fama suorum temporum, tum ex ipsis bellis, quæ ætatis suæ Imperatores gerebant, cognita esse debebat! Quare qui nulla re amplificare aut corrigere terrarum et populorum notitiam voluit, nescio sane, an magnum usum rei literariæ, recocta Dionysii crambe, præstiterit, geographiæ ipsi certe nullum præstitit. Sed hæc


communis Avieno culpa non solum cum altero Dionysii interprete Prisciano est, sed et cum aliis recentioribus geographiæ scriptoribus, quod nihil aliud, quam traditas ab antiquis gentium et terrarum descriptiones repetant, de mutationibus tanto temporum spatio factis, de motis terrarum finibus, de novis gentium, urbium, locorum nominibus exortis plane securi sint, neque quidquam earum rerum ex historia et memoria temporum ad geographiam emendandam conferre velint. Historicus adeo, Avieni æqualis, Ammianus Marcell. ubi ad situs terrarum et populorum describendos defertur, Herodotum, Eratosthenem, Sallustium, scriptores alios antiquos exscribit. Cæterum hunc saltem usum Avienus transferendo Dionysio spectasse videtur, ut brevem rudis geographiæ expositionem, qualis saltem ad intelligendos poetas veteres sufficiens esset, a Græco auctore acceptam Romanis hominibus amœno et luculento carmine traderet. Hunc usum etiamnum hodie e legendo Avieno capere licet, atque insunt etiam alia, quæ ad mythologiam, ad latinitatis et poetici sermonis scientiam augendam facere queant. Sed ad ipsum opus nunc accedamus.

RUFI FESTI AVIENI

DESCRIPTIO ORBIS TERRÆ *

CUM J. SCHRADERI NOTIS INEDITIS

ET ALIORUM EXCERPTIS.



QUA protenta jacent vastæ divortia terræ,
Et qua præcipiti volvuntur prona meatu
Flumina per terras, qua priscis inclyta muris
Oppida nituntur, genus hoc procul omne animantum

* *Ad. tit. Avienius* auctor aliquoties dicitur in edit. Ven. a. 1488, quæ omnium prima est. Sed *Avieni* nomen verum esse probant veteres inscriptt. apud Murator. MDCXLI, 1, DLXVI, 1. Cf. Canneg. in Diss. de ætate et stylo Aviani, cap. 2. SCHRAD.

1. *Vastæ divortia terræ.* Sic vocat partes majores terræ per interjecta maria divisæ, ut infra, v. 27, Europæ et Libyæ latera mari Mediterraneo disjuncta dicit *rupti divortia orbis*. Manilius adeo, quem imitatus Noster videtur, lib. III, 411, duo hemisphæria terræ ab æquatore ad utrumque polum tendentia, sic describit: « Per duo partitæ dirimit divortia terræ ». W.

3. *Flumina per terras, qua.* Sic distinguunt Vad. et Pith. recte, idque probant Huds. in Addend. et Schraderus, quamvis in Hudsoni aliisque exemplis *Flumina, per terras qua* editum. — *Priscis inclyta muris.* Sic vs. 517: « Inde Croton priscis adtollit mœnia muris »; et Virg. Georg. II, 157: « Fluminaque antiquos subterlabentia muros ». SCHR. Add. Priscian. Perieg. v. 547: « post Corybantum Mœnibus antiquis Samothracia cernitur alta ». W.

4. *Oppida nituntur.* P. Fonteinius v. doct. hic conjiciebat *visuntur*, collato v. 562: « Insula se rursum Pelopis visentibus offert ». Pro eo equidem malim corrigere *cinguntur*, monentibus aliorum poetarum locis. Ovid. Am. II, 12, 8: « Non humiles muri, non parvis oppida fossis Cincta ». Conf. Metam. IV, 58, Pont. III, 4, 105; Cic. de Nat. Deor. III, cap. ult. *incingere* occurrit Ovid. Am. III, 8, vs. 47. SCHR. Ego vero nitendum puto in lectione vulgata, quæ sane elegans et Avieno digna est. *Nituntur* dixit pro consurgunt, adtolluntur, quomodo ille alibi. vs. 1085: « Emensus subit auras Turribus in cælum nitentibus »; vs. 287: « Inclyta post hos Mœnia consurgunt Tyriæ Carthaginis »; vs. 318: « erigiturque

Qua colit, Aoniis perget stylus impiger orsis.
Ardua res Musæ. Deus, en Deus intrat Apollo

Urbs procera arces »; vs. 1024: « eminet arcem Inclyta per nubes adtollens mœnia Lyrbe ». W. — *Genus hoc procul omne animantum.* Barthius, Adv. XLVI, 16, cum eoque Fonteinius, interpretatur, qua genus animantum, i. e. hominum, colit hoc omne, i. e. hoc universum, τὸ πᾶν, τὴν οἰκουμένην. Sed mihi *hoc omne* pertinere ad τὸ *genus* videtur, ut dicat, qua omne hoc genus humanum, per terrarum orbem longe lateque dispersum, habitat. *Procul* additur *omni* ad augendam significationem, ut cum *toto* conjunctum est v. 256; pariter *late* v. 63. *Genus hinc procul* conj. Huds. e versu 79, sed qui male huc trahitur. W. — *Animantes* sunt homines: nam Dionysius, vs. 2: ἀνδρῶν ἄκριτα φῦλα. Priscian. vs. 8, « populosque per orbem Discretos ». Pariter loquuntur alii, tamquam Stat. Theb. XII, 503, Achill. I, 117. Itaque miror, quod Bentleius (ad Lucan. III, 194) in Statii Silv. III, 2, 61, « Quis rude et abscissum miseris animantibus æquor Fecit iter? » legere jubeat *mortalibus.* SCHRAD.

5. *Aonii perget stylus.* Burmann. ad Anthol. t. II, pag. 389, conjicit *Ausonii peraget stylus impiger oris*, ut indicet Avienus, se latino carmine græcam Dionysii Periegesin sequuturum. Et constat, voces istas confundi aliquando, ut apud Claud. VI Cons. Honor. v. 273, ubi pro *Ausonium* Juntina habet *Aonium.* Attamen recepta lectio defendi potest ex Avieno ipso, vs. 1393, et Phænom. v. 67, ubi, quum Græcos Arati versus prædicasset, tamen simpliciter subjunxit: *Me quoque nunc similis stimulat furor edere versu Tempora*, quum in promptu foret *Latio stimulat furor edere versu*; idque congruentius fuisset eo loco, quam nostro, ubi nihil de Dionysio. Burmannianæ tamen conjecturæ favet Phænom. vs. 714: « Dicere Romuleo connitor carmine solers ». SCHR. Non potuit Avienus scribere *Ausonii*, qui toto carmine non se interpretem Dionysii, sed poetam proprii auctorem operis gerit. *Stylus* vero Avieno est ipse scribendi et enarrandi labor, ut infra v. 817: « Carmine nunc Asiam formet stylus ». W. — *Aoniis... oris* exhibet Cuspin. et Vad. *Aonii oris* Pith. Huds. *Aonii orsi* alius, monente Schradero. *Aoniis orsis* vult Fontein. et Schrad. ad Trogn. Quum antiquæ edd. teneant *Aoniis*, neque vero huic conjungi queat *oris*, aut commode satis dici de *stylo*, mihi quidem Avienus scripsisse videtur *Aoniis perget stylus impiger orsis*, i. e. versibus, quemadmodum extremo carminis versu *Aonium laborem* dicit. *Peraget stylus* edidit Pith. et Huds. *peragret* Barth. Advers. XXIX, 5, legit, male; sed *perget* dederunt antiquæ edd. Ven. Cusp. Vad. quod deserendum non fuit, et recte adseritur a Schradero, propterea quod editionum veterum scriptura conjecturis incertis præferenda est; deinde, quod *perget qua* melius dicitur, quam *peraget*, et præterea *stylus impiger* eodem ducere videtur.

6. *Ardua res Musæ.* Sic distinguo, tertio casu accipiens τὸ *Musæ*, non quinto, quia invocatio Musarum

Pectora, fatidicæ quatiens penetralia Cirrhæ.
Pierides, toto celeres Helicone venite,
Concinat et Phœbo vester chorus; Oceanumque,
Carminis auspicium, primum memorate, Camenæ.

sequitur v. 8 : «Pierides toto, etc.» SCHRAD. Sed sic Poeta adesse sibi Musam profiteretur ante, quam Musas Heliconis advocaret, quod nescio, an sit ex more poetarum. W. — *En Deus intrat Apollo.* Non videtur, ut Hudsonus vult, *intret*, quasi votum, scripsisse Avienus, qui in Phænom. v. 75, plane ut hic : « Major agit mentem solito Deus, ampla patescit Cirrha mihi, et totis se Helicon inspirat ab antris ». Quod versu sequente de motis penetralibus Cirrhæ adjecit, id expressisse e Lucano videtur, qui lib. I, 64 : « nec, si te pectore vates Accipiam, Cirrhæa velim secreta moventem Sollicitare Deum ». SCHR. Ut hoc loco *intrat Apollo pectora*, sic alii poetæ *recipere* se Apollinem, *impleri Apolline* dicunt, qui adflatos se numine simulant, et magni oris vates videri volunt, ut super hoc loco monuit Barth. Adv. XLVI, 16.

8. *Toto celeres Helicone.* Rejiciendum videtur, quod Heinsius conjecit, *noto*, ob locum Ovid. Trist. IV, 10, 23 : « totoque Helicone relicto Scribere conabar, etc. » quamquam fateor, loca non esse simillima. SCHR.—Avienus vix aliter, quam *toto* scribere potuit, quia omnes Musas venire vult, et sic ille alibi, ut vs. 818 : « totis Helicon adspiret ab antris », et in loco Phænom. quem Schraderus ad versum superiorem citavit. W. — *Noto celeres* conjecisse Schraderum dicit Fries. sed Schraderus ipse id Heinsio tribuit, et rejicit. Pro *celeres* Huds. mavult *celebres*, sed ut auctor in Obs. Miscell. I, pag. 373, monet, vox *celeres* multo aptior et elegantior. Virg. Æn. VI, 202 : « Tollunt se celeres ». Burmannus addit Ovid. Her. V, 57 : « Scilicet ut venias in mea damna celer, etc. » Schraderus hæc repetens in adnotatione sua, probare videtur. Scilicet Avienus properare Musas ad sibi auxiliandum vult, ut Lucilius in Ætna, v. 7 : « In nova Pierio properent a fonte sorores Vota ».

9. *Concinat ut Phœbo* corrigebat Heins. quem sequitur Schraderus in notis.

10. Lego et distinguo *Oceanumque, Carminis auspicium, primum memorate Camenæ*, et contra Heinsii conjecturam, qui *primi* voluit, retineo *primum*, quemadmodum scripsit Manil. I, vs. 256 : « signa Ordinibus certis referam; primumque canentur, Quæ medium obliquo, etc. » Descriptionem vero Orbis non primum Avieni opus fuisse, e versu 603 adparet, ubi alia se cecinisse docet. SCHR. *Carminis auspicium* vocat Oceanum, quia descriptione Oceani, terras ambientis, initium facturus est sui operis. *Primi* volebat Heinsius, quia *carminis auspicium* pro initio pangendi carmina, seu primo carmine accipiebat : quomodo et intellexit Cannegieterus in dissert. de ætate Avieni, cap. 14; cujus de opinione egimus in præfatione nostra. W.— *Carminis auspicio* conj. Oddius, non

Oceani nam terra salo præcingitur omnis,
Parva ut cæruleo caput effert insula ponto:
Nec tamen extremo teres est situs undique in orbe,
Qua colitur populis, qua tellus paret aratro;

male. Hudsonus editione sua distinxit *Oceanumque, Carminis auspicium primum, memor.* Ed.

12. *Parva ut cæruleo.* Aliter, atque hic, scribit Dionysius, vs. 4: Πᾶσα χθὼν, ἅτε νῆσος ἀπείριτος, ἐστεφάνωται, et Priscian. v. 9: « Insula ceu sese diffundens litore vasto ». Similiter Cicero, de Nat. Deor. II, 66: « quasi magnam quamdam insulam incolunt (homines), quam nos orbem terræ vocamus ». Hæc eo ducere videntur, ut in Avieno corrigendum credamus *Magna ut cæruleo*, quum insuper hæ voces permutentur, ut in Ovid. Am. II, 6, 59. Magis tamen eo inclino, ut potius retinendam receptam lectionem judicem, poetam vero, relictis Græcis, sequutum esse Ciceronem, qui Somn. Scip. cap. 6: « Omnis terra, quæ colitur a vobis, ... parva quædam insula est ». Etenim verba *terra, quæ colitur a vobis,* simillima sunt his Avieni, v. 14: « Qua colitur populis, qua tellus paret aratro ». Scha.

13. Amplector lectionem: *extremo teres est sinus undique in orbe*, propterea quod perspicuum est, Avienum imitari Virgil. Georg. II, 121: « Aut quos... Extremi sinus orbis ». Scha. Ego vero non similem Avieno hunc locum esse arbitror, siquidem *sinus* in Avieno notare exteriorem ambitum terræ debet, apud Virgilium vero est interior locus, recessus, vel angulus terræ, quamvis remotus et extremis in finibus, ut apud Petronium: « si quis sinus abditus ultra, Si qua foret tellus ». Vulgata lectio etiam Salmasio imposuit, ut *sinum* h. l. de mari vel Oceano acciperet, non de terra, et Avienum putaret dicere, sinum illum Oceani, totam terram ambientis, non æqualiter teretem circumfundi orbi terrarum, sed latiorem esse, ubi sol oritur. Exercit. Plin. pag. 467, edit. Traj. Quæ sententia Avieno falso adficta ultro corruit, si *situs*, antiquarum editionum lectio, revocetur. W.—Prima ed. Veneta habet *teres est suus undique in orbem.* Pithœus inde expressit *sinus undique*, sed Cusp. *situs undique in orbem*, Vadian. *situs undique in orbe:* quocum facit Camers ad Prisc. v. 10. *In orbe* vult Barthius, Adv. XLVI, 16, quod Vadianus jam vidit, item Schraderus, et Fontein. in præf. Fries. ad Avien. hic etiam pro *sinus* corrigit *humus undique in orbe.* Sed omnino rectius videtur antiquarum edd. *situs*, siquidem hoc e primitiva scriptura *suus* facilius elicitur, quam *sinus*, similiterque Noster, v. 1181, *situm* usurpavit de terra duobus amnibus præcincta: « ut situs illam Flumine præcinctam gemino per aperta locavit »; ubi pariter Veneta *suus* habet pro *situs.* Pro *extremo* alios legere *extremus*, notavit Huds. quos tamen ipse non observavi. — Confirmat nostram lectionem Oræ mar. vs. 58, ubi *situs supinus litoris*, h. e. recedens et sinuatus, contrarius est ei, qui h. l. dicitur *situs teres.* Ed.

14. *Tellus paret aratro.* Brouckh.

Sed, matutino qua cælum sole rubescit,
Latior, accisi curvatur cespitis arva,

ad Tibull. I, 10, 9, hoc Festum Avienum abripuisse dicit e Maronis initio Æneidis: « egressus silvis vicina coegi, Ut quamvis avido parerent arva colono ». Hinc ei diligentem agricolam *arvis imperare* dici Georg. lib. I, vs. 99: « Exercetque frequens tellurem, atque imperat arvis »; quod imitatur Tacitus, Germ. cap. 26: « sola terræ seges imperatur ». W.

15. *Sed matutino.* Salmasius l. c. « Ἠελίου κελεύθους, quas Dionysius dicit, de Oriente tantum exponit Avienus, quasi ibi proprie ἠελίου κέλευθοι statuendæ sint, unde sol iter auspicatur. Sed toto cælo falsus est. » Sic perperam interpretatum esse Dionysii verba, dubio caret, nec facile aliter intelligi Avienus, ut errore liberetur, potest, siquidem solis luce clarius videtur, verbis *matutino qua cælum sole rubescit* Orientem designari. SCHRAD. Mihi videtur Avienus hoc loco Dionysium plane deseruisse, et formam terræ habitabilis non fundæ, ut Dionysius, adsimilare voluisse, sed cono, vel nuci pineæ, cujus basis vel latior pars in Asia versus Orientem est, sed fastigium vel acutior pars ad Occidentem, Europa et Africa a finibus Asiæ ad mare Atlanticum in arctius caput concurrentibus. Qualem formam latius describit Noster, infra vs. 401 seqq. ubi similibus, atque hic, verbis utitur v. 411: « Qua matutinus sol istas ignibus adflat, Latior ambabus species distenditur ». Quibuscum conferendus Priscianus, vs. 264 seq. Mecum facit quodammodo Fonteinius, in præf. Friesem. qui fatetur, comparationem non ex Dionysio sumpsisse poetam, verum, quod illi non infrequens, de suo addidisse. W.

16. *Latior:* pro eo *Arctior* legendum e Dionysio putat Vlitius, ad Nemes. Cyneg. v. 91; sed Avienum plane non exprimere verba Dionysii, monemus ad vers. præced. in not. et vix definiri potest, quid interpretes apud Dionysium legerint, an ὀξυτέρῃ an εὐρυτέρῃ, siquidem monente Salmasio l. c. pag. 466, ex utraque lectione sensus idem efficitur, prout nempe illud διαμφὶς de utroque latere, Septemtrione et Meridie, aut de Oriente et Occidente intelligitur. *Curvatur arva* numero singul. et cum græcismo, Avieno familiari, legendum esse statuunt Schraderus, Withofius et Fonteinius, et hic audacius versum corrigit hoc modo: *exeso curvatur cespite in arcum Cornua protentum,* Videtur hoc ab Avieni sententia aberrare. —Probandum tamen existimo, ex sententia Schraderi, *curvatur.* Sic enim constructio magis salva est, et locus similis confirmat, v. 566: «Cætera sub folii specie distenditur arva, Ac per utrumque latus sinuoso sæpe recedit Cespite». ED. — *Accisi curvatur cespitis.* Accisum cespitem dicit, quia videtur illi deesse aliquid, quominus perfectam formam, hoc est, rotunditatem perpetuam adsequutus sit. Rotunda enim forma cæli, eam perfectissimam persuasit omnibus, et quidquid illi deest, dicitur *accisum.* BARTH. Advers. XLVI, 16. Quæ deinde Barthius de rotundo, perfectionem significante, pluribus dis-

Cætera protentus. Tria sunt confinia terræ
Unius: est primum Libyæ, Europæque, Asiæque.
Æquore ab Hesperio qua se salis insinuat vis,
Terrarumque cavis illabitur, arduus Atlas
Qua juga celsa tumet, Libyæ sese explicat ora:

serit, parum ad rem præsentem faciunt. Rectius hoc loco *aecisum* per *oblongum* interpretamur, siquidem ancilia Romanorum quasi ancisa putantur dicta, quod essent oblonga. W.

18. *Est primum.* Forte hic concinnius legatur: *et primum Libyæ, Europæ hinc, Asiæque.* Withofio etiam *hinc* venerat in mentem. Cæterum eumdem, quem Avienus, ordinem partium terræ enarrandarum sequitur Mela, I, 4, 38, et Dionysio Melaque antiquior Manilius, lib. IV, inde a versu 593. Schr.

20. *Terrarumque cavis illabitur arduus Atlas.* Vulgata hac lectione decepti Barthius, Adv. XLVI, 16, Vossius ad Catull. p. 77, Atlantem hic pro mari Atlantico positum, perperam existimant. Heinsius quidem ad Ovid. Fast. V, 382, corrigit *tumet* pro *tument*, sed veterem distinctionem, qua *Atlas* refertur ad *illabitur,* non sollicitat. Hudsonus, ubi versum 395, *terras intrat Atlantei vis æquoris* comparat, favere eidem interpretationi videtur. Sed Oudendorpius in Observ. Misc. V, tom. I, pag. 64 seq. distinctionem vulgatam impugnat, nec per Atlanta hoc loco mare significari posse contendit, quum inprimis epitheton *arduus* adversetur, quo adpellari mare, pro alto vel profundo, non queat, ipseque Avienus numquam Atlanta pro mari sumat, sed *Atlanticum sinum*, *Atlanteum æquor* dicat. Itaque distinguit et legit: *Terrarumque cavis illabitur, arduus Atlas Qua juga celsa tumet, Libyæ sese explicat ora.* Hanc emendationem pluribus locis Avieni confirmat, ut v. 100, 478, 587, 511, 699, 739, 788, 1089. Ego vero ita eam probo, ut in contextum adeo recipiendam putem, quum etiam liber Mediolan. offerat *tum tubæ*. Schr. Ad *illabitur* notetur similis locus de Oceano, infra v. 75, et in Ora mar. vs. 395: « Nostrumque orbem vis profundi illabitur ». W. — *Illabitur arduus Atlas; Qua juga celsa tumet.* Sic distinguunt editiones ad unam omnes, sed conjungenda esse *arduus Atlas qua juga*, etc. docuerunt Oudendorp. et Schrad. cujus not. adducimus. Ed.

21. *Atlas qua juga celsa tumet.* His verbis significare vult dextrum latus maris Hesperii intrantis, ubi Libyæ ora incipit. Propterea pergit v. 25: « Europæque dehinc lævum est latus ». W. — *Tument* omnes edd. sed *tumet juga celsa Atlas* per græcismum legendum esse, recte existimant viri docti. Sic enim Noster, vs. 100, « hic tumet Atlas Arduus »; v. 739: « dorsum tumet hic Erythia », et pluribus aliis locis. *Tumens Libyæ sese explicat ora* Schradero tribuit Friesem. sed ille aliter in notis. *Libyæ seque explicat ora* legendum existimat Barth. l. c. quia citra conjunctionis adminiculum non cohæreant alioquin, quæ de uno mari dicuntur. Sed in eo fallitur; vid. not. præced.

Finis huic Gades, septenaque gurgite vasto
Ora procul Nili, Phariorum ubi gleba recumbit,
Et Pelusiaci celebrantur templa Canopi.
Europæque dehinc lævum est latus: at procul ambas
Una Asia, inclinans geminis se cornibus, urget
Desuper, ac rupti divortia continet orbis.
Europam atque Asiam Tanais disterminat amnis.

22. *Finis huic Gades.* Dicit oram Libyæ incipere a Gadibus, terminari in Nilo. Gades enim prisci sæpe Libyæ adsignabant. *Finem* dicit pro extremitate una alteraque. W.

23. *Phariorum hic gleba.* Sic quidem Cusp. et Pith. ediderunt, rectius tamen puto, quod Vsd. posuit, *ubi gleba recumbit.*

24. *Et Pelusiaci celebrantur templa Canopi.* Frequens hoc poetis est, ut Canopum dicant Pelusiacum. Sic enim Lucan. VIII, vs. 543: « Et Pelusiaci tam mollis turba Canopi »; et Sidon. Apollin. Carm. IX, 275, de Claudiano, « Qui Pelusiaco satus Canopo ». Sed Oudendorpius ad Lucan. l. c. observat, non magno judicio *Pelusiacum* Canopo epitheton dari, quum sint duo extrema Nili ostia, Pelusium ad Orientem, Canopus ad Occidentem: condonari tamen Lucano posse, qui Pelusiacum generaliter pro Ægyptio videatur sumpsisse. Schr. Idem concedendum Avieno est, qui poetarum usu facile defenditur. Rectius tamen fecisset, si Dionysium vs. 13 secutus *Amyclæum* dixisset, uti Silius fecit lib. XI, 433; aut *Spartanum*, uti Priscianus, v. 19. W.

25. *At procul ambas Una Asia.* Barthius, Advers. p. 2160, *procul ambas* ambabus valere existimat, quamquam ipse hæret, an satis commoda sit hæc interpretatio. Atque ego quidem non ignoro, *procul* in libris scriptis Livii interdum cum quarto construi, talesque lectiones Gebhardo placuisse; sed elegantiores ab his sordibus refugerunt. Res expeditur, si distinctio post *inclinans* tollatur. Schr. *Ambas* Barthius pro ambabus habebat, quia perperam referebat ad sequens *inclinans*, quod Avienus videtur cum dativo construere, ut v. 320 et 766. *Procul* plane non cohæret cum *ambas*, et seorsum, ut alias sæpe apud Avienum, notat extremum ad finem. W. — *Et procul ambas* habent pleræque vulgatæ, sed Vadianus emendatius *at procul*, quem sequor.

26. *Geminis cornibus,* duabus prominentibus terris, vel extremis limitibus, quibus hinc Europam, hinc Africam adtingit. Conferatur v. 401. W.

27. *Rupti divortia orbis.* Duas partes orbis, Europam et Libyam, interjecto mari interno divisas, quod luculentius declarat Noster, v. 398: « eadem insinuatio ponti Europam et Libyam rapido disterminat æstu ». W. — *Continet,* sensu notando, conjungit, facit cohærere, quamquam discretæ sint hæ duæ orbis partes. Ed.

28. *Europam atque Asiam.* Conf. v. 861. W.

Hic se Sarmaticis evolvens finibus alta,
Scissus Araxeo prius æquore, jam suus, unda

29. *Hic se Sarmaticis evolvens finibus.* Sic loquitur, quasi amnis sit instar serpeotis, qui volvere sese dicitur, et agmen aliud alii subjicit. Sic infra, v. 156: « Effina mox Siculi moles evolvitur alti, etc. » BARTH. Conf. v. 120 et 877. Verbum *serpere*, quod eodem loco adhibet, ex eadem est imagine; vid. v. 37, 157. De origine Tanais paria dicit Noster, v. 859. W.—Pithœus edidit *Hic se Sarmaticis evolvens finibus arte Scissus Araxeo prius æquore.* Hudsonus similiter, sed distioguit post *finibus*, quod dudum fecit Vadianus, qui tamen pro *arte* dat *alta*, referens hoc ad *unda* seqoeutis versus. Cuspin. pro eo dedit *ante*, quod ineptum videtur ob sequeos *prius*. Schraderus olim in marg. ed. Trogn. uotaverat *arcte* vel *arte*, sed postea aliter ille in ootia. Et ostendeus, uec *arte* probari posse, uec Hudsouianam distinctiouem admitti, ipse inter alias conjecturas adscribit *alte*. In tam dubia hujus loci scriptura uescio ipse, quid sequar. Reddam interim Vadiaui lectionem *alta*, quoniam et *unda*, quæ sequitur, adjectum aliquod poscere videtur, et ipse paullo post Nilum *altum* vocat, v. 36.

30. *Scissus Araxeo.* Aristoteles ait Tauaim profloere ex Araxe: quod verum esse (iuquit Vossius ad Melam, p. 244) non potest, nisi per Araxem flumen Rha, sive Volgam intelligamus: qno posito capienda suut verba Aristotelis de fossa illa, quæ hodie quoque comparet, illic ubi Volga Tauai proximus est, quæqoe utrumque hoc flumen committit. HUDS. Conf. *Bouhier*, io diss. Herod. p. 191. Aristotelis autem locus est, Meteor. I, 13: καὶ ὁ Ἀράξης· τούτου δ' ὁ Τάναϊς ἀποσχίζεται, μέρος ὤν, εἰς τὴν Μαιῶτιν λίμνην. *Araxeus*, quod ex hoc uoo poetæ loco profertur, formatur ab *Araxes*, ut *Oronteus* ab *Orontes*: *æquor* vero tribuit aliis itidem fluviis, ut v. 449. SCHR. Sagaciter conjectat Vossius, qui per Araxem fluviom fossam antiquissimam dicit intelligendam, quæ flumeo Rha com Tanai committebat, quamque Herodotus aliquoties memorat, et a servis Scytharum effossam esse dicit; vid. lib. IV, 23. Hæc enim sive fossa, sive palos, quum ὄρυξις diceretur a fodiendo, nomen hoc cum celeberrimo Araxis amuis uomine confusum effecit, ut noonolli Taoaim ex Araxe profloere putarent. Atque hoc pacto satis proprie *æquor* vocavit Avienus, seu quisquis ille fuit, quem exscripsit, siquidem Herodotus alio loco, ad quem Eustathius provocat, Tanaim dixit e palude oriri, non multo minore, quam Mæotis est. W. — *Scissus Araxeo.* Pro eo Camers ad Prisc. v. 653, coujiciebat *Scissus Riphæo*, quia alii, ut Mela et Locauus, III, 273, Tanaim in Riphæis oriri adserunt. Pro *unda* Heinsius, Advers. p. 573, corrigit *udam Effluit in Scythiam*, cui ohtemperat Schrad. in uotis. —*Jam suus*, h. e. proprius fluens aqois, noo alienis permixtus: ut Claud. io Eutrop. II, 266: « sed Marsya velox, Dum suus est, flexuque carens, jam flumioe mixtus Mollitur, Mæaodre, tuo ». Sic Virg. Georg. II, 82, de arbore insita:

Effluit in Scythiam: procul hinc Mæotida Tethyn
Intrat, et inserto freta pellit vasta fluento,
Ismaricique riget semper flabris Aquilonis.
At qua piscosi gurges strepit Hellesponti,
Vis obliqua sali tepidum procumbit in Austrum,
Terrarumque trium modus est mare, donec in alti
Ora procul Nili late Thetis efflua serpat.
Altera pars orbem telluris limite findit.

« Miraturque novas frondes et non sua poma ». W.

31. *Mæotida Tethyn*. Lacus et paludes etiam vocantur maria. Aristot. Meteor. I, 13: ὑπὸ τὸν Καύκασον λίμνη, ἣν καλοῦσιν οἱ ἐκεῖ θάλατταν. Vid. Plin. III, 16, 20; Wessel. ad Anton. Itin. p. 126, et præcipue Reland. Palæst. I, 38, pag. 239. Schr.

32. *Inserto fluento*, quod se intrudit et insinuat; vid. v. 44, 104, 144. Pluribus aliorum locis usum hujus verbi declaravit Barth. Adv. XLVI, 16, et ad Stat. Theb. XI, 208. W.

33. *Ismaricique riget*. Thracium adpellat Aquilonem, ut sæpe poetæ. Vult limitem eum, quem Tanais faciat inter Europam et Asiam, esse in parte Arctoa, sequentes duo, quos Hellespontus et Nilus, magis australes esse. Priscianus hæc multo brevius clariusque expressit. W.

35. *Procumbit* omnes antiquæ: alios *procurrit* malle indicat Huds. in Add.—*Procumbit in Austrum*. Lectionem ab Hudsono memoratam unice amplector, quomodo et Claudian. in Nilo, v. 10: « Fluctibus ignotis nostrum procurrit in orbem ». Hinc *procursus æquoris* apud Nostrum, v. 555, et Oceani v. 803. Idem verbum reponendum est apud Plin. tom. I, p. 205, 7, edit. Hard. in-fol. *Mons Hæmus vasto jugo* procurrens *in Pontum*, pro *procumbens*. Conf. Plin. I, 218, 10; Horat. Epod. XVI, 29. Schr. Mihi videtur, non movendum esse *procumbit*, idque positum ab Avieno esse ad significandum situm declivem orbis, quem statuebant Veteres, versus Austros. Idem hoc loco expressit Priscianus, v. 24: « At medius finis jamjam declinis in Austrum est ». Iterum Noster, inf. v. 195 de Propontide: « Flatibus ex Boreæ tepidum procumbit in austrum »: similiter v. 1055: « Ora Sirum curvi procumbens litoris acta »; et in Phænom. v. 166, « At declive caput vertexque obliquior astris, Hac in parte sacri procumbere cernitur axis ». Præivit Virgil. Georg. I, 241: « mundus premitur Libyæ devexus in Austros ». W.

36. *Trium modus est mare*, i. e. finis vel terminus, ut sæpius Noster, vs. 100: « Hic modus est orbis ». W. —*In altis* habent Ven. Cusp. Pith. sed *alti* correxit Vad. et Camers ad Prisc. 19, idque Schraderus in marg. ad Trogn. notavit; et in notis probavit.

38. *Altera pars*. *Alii* interpretatur Huds. recte. Et sic Noster in Phæn. v. 781, ubi: « pars æquoris esse Credidit Ausonii »; et v. 797: « Pharium pars altera Nilum Commemo-

Cespes terga jacens Asiæ succedit in oras,
Immensusque modi protenditur: hic latus arctans
Caspia contingit freta desuper, atque tumenti
Proximus Euxino est: Asiam conterminus iste

rat». Ipse Dionys. v. 19: Ἄλλοι δ' ἠπείροισι. Eamdem varietatem sententiarum de distinctione continentis terræ memorat Strabo, I, p. 114 ed. Alm. ubi et Casaubonus hunc Dionysii locum adfert. Schr. Commodius hoc expressit Priscianus, v. 28: «Ast alii terris malunt discernere terras». W.

39. *Terga jacens*. Rectius *jaciens*, ut v. 228 *arietis*: nam v. 496: *Campanus ager glebam jacit*. Quæ æquali sunt planitie, *terga* vocantur; vid. Barthii Ablegmina, p. 56. Huds. Quod hic substituunt *jaciens*, id non modo legi metricæ repugnat, sed plane est contra Avieni genium, qui v. 579: «Prodigus herbarum cespes jacet; v. 566: «distenditur arva»; v. 319, et Or. mar. 606: «Procerus arces»; et sæpe, innumeraque similia, præter v. 400: «Hæc subit insanos tergum curvata Aquilones». Oudendorp. in Misc. Obs. vol. V, p. 69. Placet amici veteris, Hudsoni correctionem rejicientis, sententia; vellem tamen docuisset, Avieni genio congruere *cespes jacet terga*. Licet enim constet, eum græcismis fere similibus delectari, nusquam tamen *jacere* sic quarto casui junctum reperies. Erunt itaque, qui malint: *Cespes terga patens*, ut v. 730: «Rursum Cimmerius qua Bosporus ora patescit». Schr. Fortasse *terga* non ad *jacens* referendum est, sed ad *succedit*. Parem censuram Schraderus in Hudsoni correctionem exercet in præf. ad librum Emend. p. 31. W. Pro *succedit* corrigit *discedit in oras* Fontein. in præf. Fries. quia similiter vs. 1281: «longas bivium discedat in oras», coll. vs. 314 et 370, ubi *discedit* etiam de tellure dicitur. — His quoque locis addi poterat v. 325: «quantum terrarum interna recedunt». Sed nihil mutare melius est. Ed. — Denique *Asiæ in oris* conj. Schrad. quia sic Prisc. vs. 29: «Finibus est Asiæ, latus arctum, lingua supernis»; et Dionys. v. 20: Ἰσθμὸς ἄνω τέταται τις ὑπέρτατος Ἀσίδος αἴης.

40. *Immensusque modi* pro *immensa magnitudine* per græcismum. Similiter infra v. 1351: «Hic Hypanis... Cymander Magnus uterque modi dimittitur». *Modus* pro quamvis magnitudine et forma, ut et v. 829: «similis nequaquam est forma duabus, Nec modus est compar»; et v. 402: «Æquus utrimque modus protenditur»; i. e. æque magna terra protenditur. W. — *Immensusque modi protenditur* habent Ven. et Pith. itemque Huds. *mari protenditur* dederunt Cusp. et Vad. perperam. *Hic latus* habent antiquæ, *hinc* dedit Huds. quod non præfero.

41. *Contingit freta: desuper* distinguit Cusp. sed rectius Pith. et Huds. *freta desuper, atque tumenti.*

42. *Conterminus iste.* Pro eo Fonteinius vult *conterminus Isthmus*, et confirmari id putat verbis Dionysii, v. 20, seq. Ἰσθμὸς ἄνω τέταται, etc. *Istro* conjecisse Schraderum ait Fries. quod vix credibile est: nam quis Istro hic locus esse potest?

Europamque secat. Tellus sese altera in Austrum
Porrigit, insertoque sinus interjacet agro
(Nam sinus hic Arabum, sinus hic Ægyptius unda
Æstuat); et Libycis Asiam discernit ab oris.
Sic diversa fuit sententia, rite quis orbi
Limes haberetur. Totum hoc circumlatrat æstus,
Et maris infesti moles ligat: una furenti

Sed in notis Schraderus docet, vel nihil mutandum, vel legendum *Isthmus* καταχρηστικῶς. Atque ego quidem retinendum puto *iste*. Nam ἰσθμὸν Dionysii Avienus jam supra v. 39, verbis descripsit *Cespes terga jacens*, sicut Prisc. v. 29, voce *lingua* reddidit. Ad eum *cespitem* refert se v. 40, *hic latus*, et hoc versu *iste conterminus*, et superfluum ineptumque erat, post sufficientem Isthmi descriptionem ipsum ejus nomen ponere.

44. *Interjacet agro*. Infelix est conjectura Heinsii *interjacit*, et Withofii *fines facit*. Tellus, inquit, se porrigit, et jacet agro inter duos sinus inserto; hinc enim sinus Arabicus æstuat, hinc Ægyptius. Quid apertius? Plin. tom. I, p. 247, 12: «regio, quæ duas Syrtes interjacet». Ipse Avienus, Or. mar. v. 352: «cespitem Libyci soli Europæ et oram memorat insulas duas Interjacere». Porro totum locum sic distinguo: «Tellus sese altera...agro (Nam sinus hinc Arabum, sinus hinc Ægyptius unda Æstuat), et Libycis Asiam secernit ab oris». Nam tellus, ἰσθμὸς, qui sinus interjacet, non autem sinus Ægyptius Libycis Asiam secernit ab oris. Schn. — *Interjacet agro*. Sic libri antiqui præter Vadianum, qui *intersecat* habet. Conjecturam *interjacit agris* Schradero tribuit Fries. quam ipse Schraderus in notis suis Heinsio. Aliam *fines facit* a Schradero ad marginem Trogu. notatam reperio, quam ipse Withofio tribuit.

45. *Sinus hic Arabum...hic Ægyptius* habet Ven. Cusp. Vad. *hinc* et *hinc* Pith. et Huds. Prius mihi aptius loco videtur. Pro *Ægyptius* Hudsonus conjicit *Lageius*. Parenthesi includenda esse verba *Nam sinus...Æstuat*, indicat Schraderus, recte omnino.

47. *Sic diversa* habent vulgatæ edd. sed *divisa* esse in codice Ambros. adfirmat Schrad. in not. et ipse dubius hærebat, utram lectionem sequeretur. Idem pro *rite quis orbi* aliquando conjecerat *quis triquetri orbis*, ut notavit Friesem. sed ipse post damnasse videtur; nam in notis suis receptam lectionem firmavit.

48. *Totum hoc circumlatrat*. Similiter Av. in Or. mar. v. 391: «Oceanus iste est, orbis effusi procul Circumlatrator, iste pontus maximus». *Latrare* dicitur poetis sonitus æstuantis maris, ut Virg. Æn. VII, 588: «...rupes, Quæ sese multis circum latrantibus undis Mole tenet». W.

49. *Et maris infesti moles ligat*. Visum est non nemini legi debere *rigat*. Sed vulgatum tuetur Lucan. X, 255: «Oceano, qui terras adli-

Natura est pelago, pelagi sed nomina mille,
Æquor ut innumeris terrarum admoverit oris.
Qua se blanda satis intendunt flabra Favoni,
Hesperium Oceano mare terras intrat ab alto.
Axe Lycaoniæ rursum facis, atque ubi dura
Belligeratores nutrit tellus Arimaspas,

gat omnes ». Avieuus ipse, v. 123: « Sardiniamque dehiuc moles circumflua cingit »; et in Or. mar. vs. 283: « sed insulam Tartessus amnis ex Ligustico lacu Per aperta fusus undique adlapsu ligat ». Schr. — *Moles rigat* olim legendum putabat Schraderus ex Dionysio, qui v. 27: Πάντῃ..... φέρεται σθένος Ὠκεανοῖο, quomodo et Noster, infra v. 1001: « blandi terram rigat unda Caystri ». Atque hoc notatum reperi in schedis Schraderi manuscriptis. Sed mutasse eum senteutiam, et vulgatam lectionem prætulisse, ex notis ejus recentioribus intelligo. Pro *maris infesti* Friesem. legendum putat *infessi* ob Dionysii ἀκαμάτου Ὠκεανοῖο. At *infessus* verbum latinnm non est. Denique *una furentis Natura est pelagi* legendum censet Schraderus in not. quia vs. 75 legitur *pigraque Ponti se natura tenet.*

51. *Æquor ut innumeris*. Heinsius voluit *se terrarum admovet oris*, vel *advolvitur oris*, ut memorat Schraderus in not. Ipse tamen nihil mutare ausit; vellet nihilominus simile exemplum. Ego bene constare lectiouem vulgatam arbitror, si repetatur *pelagus: Æquor ut admoverit pelagus innumeris terrarum oris.*

52. *Qua se blanda satis.* Miror cur Λεχραῖο reddiderit *blanda satis*. Non est enim λοχρὸς blandus, sed λοχρικὸς a popnlo, non aliter, quam Ἰσμαρικὸς ὁ Βοῤῥᾶς, ut notat Eustathius in suo commentario. BARTH. Immerito hæc carpit Barthius. *Sata* sunt segetes. Avienns autem, nt semper, libere vertit. Schr.

55. *Tellus Arimaspas*. Heinsius conjecerat *Arimaspos*. Sic fere Græci et Latini scriptores, atque adeo poetæ vocant, nt Lucan. VII, 756: « Quodqne legit dives summis Arimaspns arenis ». Priscian. v. 709: « Prælia nam faciunt Arimaspi gryphibus hostes ». Nihil tameu muto. Nam primo codices plerique servant *Arimaspas*. Deinde formam firmat Orph. Arg. 1061. Codex enim Voss. docet, vere ibi viros doctos correxisse Ἀριμάσπας pro Ἀριμάσθας· quamquam L. Holstenius ad Steph. Byz. male hinc colligit, primnm casum esse Ἀριμάσπαι· metri enim lege refutatur, nti sagaciter sensit Oudend. ad Lncan. III, 281, qui recte ducit a primo casu Ἀριμάσπες. Certior auctor formæ videtur Pompon. Mela, II, 1, 15: « Scytharum primi sunt, qneis singuli oculi esse dicuntur, Arimaspæ »: videtur item Lucanus, III, 280: nam ibi vocativus ferri nequit. Testimonio Prisciaui, v. 40: « At Boreæ qna gena fervens Arimaspa sub armis », non utor, propterea quod Oudendorpius excipit, posse adjectivum esse a masc. *Arimaspus*. Sic autem Veteres adhibuerunt, ut Æschyl. in Prom. vincto, v. 803. Pondus addit Vibius Seq. de Flum. p. 15: « Arimaspa

Nomine Saturni late jacet æquoris unda.
Hic densata sali stant marmora, pigraque ponti
Se natura tenet, numquam ruit effluus humor:
Mortuus hic Graio perhibetur gurges in usu
Denique, quod lento stupeat plaga salsa profundo,
Vel quod sole carens pars orbis tetra rigescat.

nomen gentis Scytharum, unde aurum Scythæ legunt ». SCHR. — Hos tamen Cluver. Introd. Geogr. IV, 17, vocat Arimaspos, et dicit fluxu Tanais cinctos esse. ED.

57. *Hic densata sali*, sive limo, sive etiam gelu et glacie. Gemina his sunt, quæ eadem de plaga frigida profert Tibull. IV, 1, vs. 154: « Illic et densa tellus absconditur umbra, Et nulla incepto perlabitur unda liquore » : sicut hic Avienus: « nunquam ruit effluus humor ». Apte præterea *stant marmora:* nam *stare* dicuntur, quæ densa et conferta sunt. Virg. Æn. XII, v. 408: « jam pulvere cælum Stare vident ». *Pigra ponti natura*, i. e. pontus piger: naturam rei pro re ipsamet poni, monet Barth. *Se tenet*, i. e. immota est. W.

59. *Graio perhibetur in usu*, i. e. in consueto sermone Græcorum. Sic alibi, v. 770: « Insula, quæ prisci signatur nominis usu Aurea ». Et Or. marit. 402: « Hunc usus olim dixit Oceanum vetus ». W.

60. *Denique quam lento.* Parum aptæ sunt, quas Barthius et Hudsonus hujus loci emendationes tentarunt. Lege et distingue: « Mortuus hic Graio perhibetur gurges in usu Denique, quod lento stupeat plaga salsa profundo, Vel quod, etc. » Deinde nova periodo: « Vix hebes has oras..... Vix evecta dies, etc. » Sic *quod* cum subjunctivo ponitur Descript. Orbis, vs. 211, 770, 1231; Or. marit. 383. Caussa erroris est compendium voculæ *q*, quod perperam Pithœus interpretatus est *quam*, quum debuisset *quod*. Has autem voculas passim confundi, post alios docuit Drakenb. ad Liv. tom. V, p. 227, ubi et caussam explicat. Res firmari potest exemplis, quæ Waltherus dedit in Lex. diplom. SCHR. — *Denique quam*, et v. 60 *Vel quam* dederunt Vad. et Pith. quem sequitur Huds. sed vetustissimæ Ven. et Cusp. voculam eam per compendium exprimunt. Barthius mederi obscuritati hujus loci conatur legendo *Denique quia lento*, etc. et *Vel quia sole*, ita ut *quia* per unam syllabam efferatur, ut Terentianum Maurum pluribus locis fecisse opinatur. Oddius apud Huds. in Add. vult *Denique qua lento*, et 61, *Vel qua sole*, eoque versus hos ad sequentes 62 et 63 adplicat. Schraderus Barthii *quia* rectius mutat in *quod*, utroque versu. Idem recipit Fontein. in præfat. Friesem. sed versus totos mutat: « Sive quod in limo stupeat pars salsa profundo, Seu quod, sole carens, umbris plaga tecta rigescat ». Scilicet putat, Dionysium hic relinqui ab Avieno, et diversam opinionem de mari Mortuo Dionysianæ adjungi, quod aqua ejus in limo profundo hærens, ventisque difficilius mota, eo facilius congelet.

Vix hebes has oras ardor Titanius adflat,
Vix evecta dies illuminat, omneque late
Pingue tenebrosa cælum subtexitur æthra.
At qua prima dies rutilo sustollitur ortu,
Aureus et tremulas late rubor inficit undas,
Eoum pelagus, freta dicunt Indica pandi.
Propter Erythræi tenduntur dorsa profundi,
Æthiopumque salum diffunditur: hic Notus æthram
Urit, et hic æstu radiorum Phœbus anhelo

62. *Hebes* est levis, tenuis, vix sensibilis. Sic *hebet ardor* dicit Val. Flacc. I, 53, et *hebetem diei lampada* Stat. Achill. II, 189. *Adflare* dicitur de levi tactu vel effectu rei, quæ longe posita est, sicut et *aura*. — Et ita quidem Claud. Idyll. de Magn. v. 33 vim magneticam verbis *flatus, spiraminis, auræ* exprimit. Ed. —Hic de radiis solis longinqui, ut infra vs. 275 : « Hos adflant rutilæ incunabula lucis »: quod sumptum a Virgilio videtur, Georg. I, 250: « Nosque ubi primus equis Oriens adflavit anhelis ». W. — *Titanius adflat* omnes editi agnoscunt, solus Vadianus dedit *intrat*.

63. *Vix evecta dies*. Dies pro sole ponitur; sol vero sæpius *evehi* et *evectus* dicitur. Vid. Virg. Cul. 106; Seneca, Hercul. fur. 132, et quæ loca Burmannus ad Ovid. Met. III, 150, protulit. Itaque non obtemperandum Pricæo, qui *provecta* mavult, ad Apul. Metam. VIII, 437. Schr.

64. *Pingue* respondet τῷ παχύνεται apud Dionys. 35. Apud Cicer. de Divinat. I, 57, legitur « pingue et concretum esse cælum », et opponitur *tenui puroque*. Schr.

65. Pithœus mendose exhibet *At qua prius dies*, idque reddidit ed. Madrit. At in Veneta, inquit Schraderus, est *primi*, quod Pithœus mutare debuit in *prima*, ut recte fecerunt Barthius, Scaliger, Broukhusius. Mihi videtur Pithœus alio et diverso a Veneta codice usus esse. Cæterum emendatio hæc *prima*, quam Barth. Advers. XXXIII, 16, et Ablegm. IV, 16, fecit, jam exstat in edit. Cusp. et Vadian. quas neque Pithœus usurpavit, neque alii cognoverunt.

67. Pith. et Hudson. distinguunt *Eoum pelagus, freta dicunt Indica, ponti Propter Erythræi*; et versu 69 : *Æthiopumque salum. Diffunditur hic Notus; æthram Urit*, sensu plane turbato. Aliquanto melius Barth. Adv. XLIX, 13, et Huds. in Add. sed optime Schraderus in not. versum Dionysii 37, et Prisciani 46, pro norma ponens. Sic tamen olim jam Vadianus fecerat. Pro *ponti*, quod superfluum videtur, scribere malui *pandi*, uti versu 217.

70. Heinsius pro *æstu radiorum Phœbus anhelo* conjecit *anhela Arva coquit*: sed mihi non persuadet. Tueor vulgatum e Phænom. v. 728, ubi de Sirio: « Stridet anhelanti face pestifer »; et v. 462, ubi de Andromeda: « face denique vertex Ardet anhelanti ». Auson. Mosell.

Arva coquit: sterilis regio est, et inhospita late
Aret humus, cassæque solo torrentur arenæ.
Oceanus sic cuncta vago complectitur æstu,
Undique sic unus terras interminus ambit,
Innumerosque sinus cavat illabentibus undis
Desuper: e multis celebri sub nomine tantum

339: « ferventi quum Mulciber haustus operto Volvit anhelatas tectoria per cava flammas »; ubi vid. Freh. Dracont. Hex. 70: « non fructus anhelis Flammatus radiis ». Schr.

72. *Cassæque solo torrentur arenæ.* *Cassæ arenæ* elegantissime sunt steriles, ut *cassa nux* dicitur, cui nucleus nemo inest; et propter talia amandus hic poeta. *Solum* terra frugifera, cujus nihil inesse cassis illis arenis dictitat. BARTH. Advers. XLIX, 13. Malim *cassæque soli torrentur arenæ*: amat enim Avienus id verbum casui secundo adjungere, ut vs. 602, « sanguinis cassus »; et 937, « tellus cassa virorum »; et Or. mar. v. 133: « Cassum incolarum cespitem ». Plura de hac voce Ovid. Rem. Am. vs. 447, et Fast. VI, v. 406. HEINS. ad Ovid. Met. V, 482, ubi dicitur « Fertilitas terræ ... Cassa jacet ». Addi potest Avien. in Phæn. vs. 83, de stellis, quæ certam formam non habent: « sideribus cassum fit cætera vulgus ». Schr. Videntur igitur hi docti viri, sive *solo*, sive *soli* legatur, solum pro eo dictum existimare, cujus cassæ sint arenæ. Et *solum* non nego sigillatim pro terra ubere et fecunda dici, ut apud Plin. Pan. 32, 3: neque tamen hoc loco ea interpretatione opus est, et *solo* dicitur pro in solo, arvo, fundo terræ. W. — *Aret humus... torrentur arenæ. Arentes* arenas et *urentes* pari auctoritate scriptorum dici, magna locorum congerie docet Bentl. ad Hor. III, 4, v. 31, in quibus et hic Avieni locus adparet. Claudiani locum, in Ruf. II, 240: « Te vel ad incensas Libyæ comitabor arenas », frustra tentat Burm. ad Propert. I, 6, 3. Idem IV Cons. Honor. 598: « quis divitis algæ Germina flagrantes inter quæsivit arenas ». Schr. — Pro *arenæ* olim Schraderus in schedis conjecerat *avenæ*, sed haud dubie damnavit postea.

73. *Vago complectitur æstu.* Geminus locus est Senecæ, Hippol. v. 1162: « quidquid Oceanus vagis Complexus undis ultimo fluctu tegit ». Schrad. Quæ Avienus hic et sequentibus versibus de Oceano, omnes terras complexo, et de quatuor majoribus ejus finibus profert, iisdem fere verbis exponit in Ora mar. v. 390 seqq. W.

74. *Interminus ambit.* Sic etiam vocat Or. mar. v. 381. W.

75. Ponderatis iis, quæ Barthius, Heinsius, Withofius et Oudendorpius de hoc loco adnotarunt, sic omnino arbitror corrigendum esse: « Innumerosque sinus cavat illabentibus undis Desuper: e multis celebri sub nomine tantum Quatuor, etc. » atque ita fere *desuper* collocatur v. 26 et 40.

76. *Desuper.* Illud *desuper* nequaquam mihi sufficit. Etsi enim talia

Quatuor infuso late sale terga dehiscunt.
Primus in orbe sinus vasti maris æquora gignit,

non raro loquatur hic grandis et doctus scriptor, non tamen video, quomodo in sinus illos Oceanus *desuper* sese invergere dicatur. Scribendum argutabar *se super*. BARTHIUS, Adv. XLIX, cap. 13. Sed quemadmodum qui e patente mari in portum navigant, *ex alto* venire dicuntur, ita et undæ Oceani possunt in sinus illabi *desuper*. Atque optime hanc voculam interpretamur e loco plane gemino Avieni, Or. marit. vs. 394, ubi itidem de Oceano: « Plerosque quippe extrinsecus curvat sinus, Nostrumque in orbem vis profundi illabitur ». Quod igitur hic *extrinsecus*, in nostro loco est *desuper*. W.—Pithœus cum Ven. legit et distinguit *cavat illabentibus undis Desuper et multis: celebri sub nomine*. Schraderus in marg. Trogn. notaverat *Desuper et cumulis*. Sed *e multis* legendum esse vidit Camers ad Prisc. 63, et notat Gronov. liber. Deinde Vadianus optime distinguit *illabentibus undis desuper: E multis celebri*; quod postea e conjectura fecit Barth. Adv. XXVIII, 16, et Schraderus adseruit in notis. Hunc præterea suasisse *Ut multis celebri sic nomine* testatur Friesem. sed notæ ejus hoc non agnoscunt, nec ego satis intelligo. Denique Oudend. in Observ. misc. vol. V, tom. I, p. 67, definire non audet, an pro *Desuper et multis* rescribendum sit *plures exigui*, distinctione posita post *undis*; an vero *desuper eructans*, quod utrumque apud Dionysium est v. 42 et 43; magis tamen ei tum ob literarum vicinitatem, tum ob elegantiam placet *desuper eructans*, quia idem non raro adhibet Avienus, uti vs. 117, 432, 861. — *Sub nomine*, ut hic, usurpat Avienus, Descrip. Orbis, v. 612, 1014; Or. mar. 551. Pariter loquuntur Ovidius et Livius. De varia ejus formulæ significatione vid. Burmann. ad Ovid. Trist. II, 551. SCHR.

77. *Terga dehiscunt*, i. e. aperiuntur vel patescunt sinus terrarum infuso æquore. Verbo *hiare*, quod idem est, infra utitur vs. 201: « terraque parci Faucibus oris hiat ». Sic contra *unda dehiscente* infra *aperiri terra inter fluctus* dicitur Virgil. Æn. I, 106. *Terga* quarto casu accipiendum est per græcismum. *Dehiscunt* sinus qua *terga* sua, i. e. qua cavitatem vel sinum efficiunt. Conf. v. 94. Hoc sensu Gratius, Cyneget. v. 30, *tergum* reti tribuit, quod feram incurrentem capiat: « Per senos circum usque sinus laqueabis, (cassem) ut omnem Concipiat tergo, si quisquam est plurimus, hostem ». Barthium, qui *tergum* de planitie retis accipit, falli existimo, etsi hac significatione terga agri et maris dici poetis solent, ut in nostri Or. mar. 125: « Non in profundum terga demitti maris ». W.

78. *Æquora eingit* scribit Pith. sed Veneta habet *ginguit*, unde ille *gignit* potius, quam *eingit*, elicere debuit. Atque hoc ipsum *gignit* expresserunt Cusp. et Vad. per conjecturam invenerunt Barth. l. cit. Huds. in Add. (qui tamen et *tangit* conjicit) Schrad. et Higt. in schedis. Probat Barth. ex Dionysio, v. 45: ὅς ἑσπερίην ἅλα τίκτει. Schraderus etiam auctoritate cod. Ortel. Cæte-

Gurgitis Hesperii: procul hic protentus in ortus
Faucibus a Libycis æstum trahit, atque ubi lætam
Cespite sub pingui pandit Pamphylia glebam,
Deficit, et curva sinuatur litoris ora.

rum *cingere* et *gignere* subinde permutari in codd. ostendunt viri docti ad Sil. Ital. VIII, 617: neque adeo absurdum foret etiam hic *cingit* legere, siquidem hoc subinde usurpari videtur pro circumducere vel fundere, vel circuitu explicare. Sic plane Pomp. Mela, III, 1, init. « Restat ille circuitus, quem, ut initio diximus, cingit Oceanus », ubi quidem Barth. l. c. similiter emendat *gignit*, sed *cingere circuitum* fortasse eodem jure dixeris, quo vivere vitam, bellare bellum. Et sic in Epit. Hom. v. 870 scriptum invenimus: « terras, et cinctum Nerea circum ».

79. Verba *Gurgitis Hesperii* separant a prioribus, posito post *cingit* puncto, et sequentibus adnectunt Pith. et Huds. in textu, sed aliter distinguit Vad. *vasti maris æquora; gignit Gurgitis Hesperii, procul hic*, etc. ut ea verba per adpositionem explicent superiora *maris æquora*; idque recte. Pariter hoc monet Hudsonus in Add. qui porro *procul hinc* pro *hic* legit, sicut et Ortelium legere tradit Schrad. qui tamen eos usu Avieni refutari dicit, citans vs. 84, 91. — *Protentus in oras.* Lego *in ortus*, idque probo ex Dionysio, vs. 199, πρὸς αὐγάς· item Strabone, p. 182. C. τὸν δὲ τέταρτον ... ἡ ἐντὸς... θάλαττα ἀπεργάζεται, τὴν μὲν ἀρχὴν ἀπὸ τῆς Ἑσπέρας λαμβάνουσα, καὶ τοῦ κατὰ τὰς Ἡρακλείους στήλας πορθμοῦ· μηκυνομένη δ' εἰς τὸ πρὸς ἕω μέρος. Probari etiam non paucis locis Lucani, Claudiani et aliorum potest, *ortum* dici pro Oriente, e. g. Lucan. X, 50, 279, 290. Si tamen malis, possis etiam *in Euros* legere, neque hoc difficile est aliis locis illustrare. SCHRAD. — *Protentus in oras* legunt omnes, sed *ortus* corrigit Schraderus in schedis, quas ejus manu scriptas habuit Wernsd.

80. *Atque ubi lætam Cespite sub pingui.* Petron. de Bello Civ. 71: « Non hæc autumno tellus viret, aut alit herbas Cespite lætus ager ». An igitur legemus *Cespite subpingui?* ut N. Heinsius, Phæn. 597, corrigebat pro *Sanguine sub pingui, rutiloque rubere cruore.* Sed *sub* in compositione fere minus significat: hoc autem non vult Avienus, vocans *lætam*. Credamus potius *sub* hic παρέλκειν, ut alibi. Progn. 284: « Quum madefacta dies sub tempestatibus horret ». Phænom. 154: « Et duo sub geminis oculi fulgoribus ardent ». Conf. Propert. IV, 5, 60, IV, 7, 95; Claud. I Eutrop. 50; Nemes. Ecl. I (quæ in hoc opere nostro Calpurn. octava est et prodiit Vol. I, part. 2, p. 527. ED.)

82. *Curva sinuatur litoris ora.* Compara Descr. Orb. 899: « Et sinuant curvis hanc (Tethya) totam litora terris ». Blanditur tamen Fonteinii conjectura: *et Syriæ finitur litoris ora.* Sic Prisc. 127, de sinu Issico: « At procul hunc Zephyrus finit Patareide summa ». SCHR. — Pro *et curva sinuatur* Fonteinius in præfatione Friesem. conjicit *et Syria sinuatur.*

Alter item est primo brevior, majorque duobus.
Hic prolapsus aquæ, boreali fusus ab alto,
Terga procelloso turgescit Caspia fluctu.
Hyrcanum hoc pelagus pars nominat: hinc duo rursum
Ora patent ponti: geminus sinus æquoris intrat,

84. *Prolapsus aquas* habent omnes. Barthius, XLIX, 13, item Hudsonns cum Oddio malunt *prolapsus aquis*, Hudsonus etiam *protentus aquas*, quam ob rem vid. v. 575, 667 et 989, vel *Hinc prolapsus aquæ*. Oudend. Misc. Obs. vol. V, pag. 69, præferre videtur *aquas*. Schraderus in notis amplectitur *prolapsus aquis*. Ego malim legere *Hic prolapsus aquæ*, sc. est, et pro substantivo accipere, quo singularis natura vel forma ejus sinus significetur, qui non apertus et patens sit, ut cæteri, sed prolapsus aquæ angustus, e boreali alto fusus, donec in Caspinm mare turgescat. Pro *fusus ab alto* edit. Madrit. exhibet *fulsus* vitiose: *fusus ab Arcto* Heinsius voluit, ad v. 242 provocans, ut monet Schrad. qui contra scribendum putat *fissus ab alto* propter Dionysii v. 48, ἀποσχιδνάμενος· et *altum boreale* dici docet, ut *altum Siculum* v. 156. Ego ad rationem Dionysii facilius crediderim pro *fissus* scriptum esse *scissus*, quo verbo supra usus est v. 30. Denique Fonteinius in præf. Friesem. dno versus sic refingit: « Hic, prolapsus aquas Boreas ubi fundit ab Arcto, Terga procelloso turgescunt Caspia fluctu ».

85. *Turgescit Caspia*. Verbum hoc Barth. XLIX, 13, active accipit, et designare ait turgere facit, inflat. Schraderus credere mavult vitiosum esse, nec tamen aliqua ratione emendat. Ego aliam commodam vix reperiens, *terga Caspia* volo casu quarto accipere, et cum *turgescit* construere more græco, ut hic sensus sit: *Hic prolapsus aquæ* est, primo angustus, et ab alto boreali fusus, sed qua *terga Caspia*, æquor Caspium, efficit, *procelloso fluctu turgescit*, diffunditur, latius expanditur. Sic intellectus Avienus bene exprimit versus Dionysii 48 et 49. Similiter infra loquitur de balænis Indici maris, v. 784: « Nubibus adtollunt latus omne, et terga tumescunt ». Ut hic *prolapsum aquæ*, sic *æquoris procursum* dicit v. 555. Confer etiam vs. 248. Originem et formam maris Caspii, quam hic breviter significat Avienus, amplius describit infra, v. 903 sq. « Gurgitis Oceanus pater est, etc. » W.

86. *Hyrcanum hoc pelagus*. Unum pelagus duplici nomine et Caspium, et Hyrcanum dici, et Dionysius, v. 50, significat, et Noster iterum, Or. mar. v. 399; item Strabo, p. 182. Camers. — Plures eamdem sententiam foventes laudat Freinshem. ad Curt. VI, 4, 18. Nec tamen desunt, qui Caspium et Hyrcanum distinguant, siquidem Mela, III, 5, 25, prodit Caspium ex angusto incursu in tres sinus diffundi, Caspium proprie dictum, Hyrcanum et Scythicum. Unde Caspium mare interdum generaliter sumitur, interdum sigillatim pro uno trium sinuum. Vid. Aristot. de Mundo, cap. 3, p. 604, A. Schr.

Telluremque cavat, qua se Notus axe tepenti
Erigit : horum unus vada longe Persica fundit,
Caspia conversus procul in freta; porrigiturque
Quartus Arabs, tumet hic rapido per aperta fluento,
Euxinumque salum videt eminus. En tibi rursum
Æquoris Hesperii tractus loquar: istius unda

89. *Qua se Notus erigit.* Exigendam esse lectionem, quam Hudsonus memorat, editionis Madrit. *Exigit*, facile concedas, ubi compares vs. 151 : «qua se Notus erigit æthræ»; et 642 : «Qua se parte dehinc celsa Notus erigit æthra». Eodem referendum est verbum *sustollo*, v. 150 : «qua se Zephyri sustollunt flabra». Schr. — Alias contrario modo erectus Boreas, depressus Notus dici solet. — Sic Calp. Ecl. I, 75, *Notus jacens* et *Boreas erectus* dicitur : quod explicat Virgil. Georg. lib. I, vs. 240 seq. Ed. — Sed id fit respectu orbis terræ; hic erigi Notus dicitur respectu æthræ, vel regionis cæli, quod est altissimum, ubi medium et meridiale. W.

90. Vulgatæ edd. Pithœi et Huds. distinguunt *procul in freta porrigiturque. Quartus Arabs tumet hic*, etc. Sed rectius Vad. *procul in freta, porrigiturque Quartus Arabs, tumet hic*, etc. Eamdem distinctionem induxit Schr. Ad verbum *porrigiturque* Schraderus Higtium ait notasse v. 318, ubi sic : «Adstat Cyrene propter vetus, erigiturque Urbs procera arces». Sed hic locus non admodum similis nostro.

91. *Quartus Arabs.* Præcedit v. 87 *Geminus sinus*, et v. 89 *Horum unus*. Priscian. v. 63 : «Fluctuat ast alter» : ipse Dionysius ἄλλος δ' Ἀῤῥαβικός. Hinc scripsisset : *Alter Arabs*. Schr. — *Rapido* servandum est, quod exhibet Ven. Pithœus sine caussa dedit *rabido*. *Rapido* confirmatur versu 397 : *Eadem insinuatio ponti Europam et Libyam rapido distermina æstu*. Tibull. IV, Carm. 1, vs. 193 : «Pro te vel rapidas ausim maris ire per undas, Adversis hiberna licet tumeant freta ventis»; ubi pariter *rapidas* et *tumere* conjunguntur. *Rabidus* quidem pontus dicitur v. 675, sed ibi alia res est, ut liquet ex adjectis *Exitium.... pericula*. Idem. — *Rabido* quoque dat Huds. sed *rapido* Ven. Cusp. et Vad. — *Per aperta.* Sic v. 281, *populi per aperta locorum Palantes agitant*; v. 1182 : *situs illam per aperta locavit*; et Or. Mar. 285 : «amnis per aperta fusus». Idem. In locis a Schradero citatis *aperta* haud dubie significant plana terrarum, sed nostro loco, ubi de sinu maris sermo est, videntur *ostia* vel *ora ponti*, ut v. 87 vocabat, designari; quemadmodum v. 715 *aperti marmora ponti* dixit, i. e. patentis. W

93. Cod. Ambros. habet *tractum*, et Dionys. ipse πόρον, malim tamen præferre *tractus*, quia sic Prisc. v. 67 : «Nunc maris Hesperii lustrabo carmine tractus»; et Virg. Ecl. IV, 51 : «Terrasque tractusque maris, cælumque profundum». Sic Schrad. — Ipse Noster, vs. 1020 : «Inde Lycaoniæ tractus jacet»; et Rutilio, Itin. I, 197, *tractus cæli serenus* dicitur. Ed.

Lambit terga soli, qua se vagus explicat orbis.
Nam vel cæruleo loca circumplectitur æstu,
Vel celso demissa jugo confinia radit,
Mœnia vel fusi præstringit gurgite ponti.
In Zephyrum tellus extenditur, oraque terræ
Ultima proceras subducit in astra columnas.

94. *Qua se vagus explicat orbis.* Suspicor futuros esse, qui conjiciant : *qua se vagus explicat orbe*, ut v. 73 : *Oceanus sic cuncta vago complectitur æstu*; et 256 : *Sic se forma maris toto procul explicat orbe;* sed prohibet v. 224 seqq. ubi *terræ juga tractu vago sua litora relinquere* dicuntur : et apud Senec. in Thyest. v. 1068 : « Clausa litoribus vagis Audite maria ». Schr. *Vagum* igitur ille adpellat, qui variatur, sæpiusque mutat se, atque aliter aliterque flectitur. W.

95. *Loca circumplectitur æstu.* Heinsius ad Virgil. Æn. V, 312, hunc versum et 1138 sic citat, ac si legeretur *circum amplectitur.* Id vero miror, quod codices editi et scripti exhibent *circumplectitur*, ut legitur v. 1202. In Phænom. tamen invenitur, vs. 1081 : « Oceano, magnam qua circum amplectitur undis Tellus ». Sed et illic Grotio placuit *circumplectitur.* Porro *circum amplecti* fere invenitur, ubi divisis vocibus aliquid interponitur. Sic Virg. Ecl. III, 45 : « Et molli circum est ansas amplexus acantho », Manil. I, 305 : « Has interfusus circumque amplexus utramque ». Itaque nihil muto. Schr. — Quamquam vero nihil mutandum censeat Schrad. idem olim in schedis mutaverat *circumflectitur*, provocans ad Dionys. qui v. 60 habet νήσοισι περίδρομος.

96. *Demissa jugo confinia radit.* Videtur promontoria intelligere, quæ in mare procedunt, et freta angusta faciunt. Nam Dionysius, v. 61, montium juxta ac urbium, quæ mari adluuntur, meminit, et Priscian. v. 70 : « Montibus et radens suppostasque urbibus oras ». Sic infra v. 694, de Hellesponto : « Et vicina sibi lambit confinia pontus ». W. — *Dimissa jugo* habent Cusp. Pith. Huds. sed *demissa* Vad. sicut et corrigit Huds. quem sequitur Schrad. in not. idque amplius probat loco Val. Fl. II, 636 : « ad tenuis surgit confinia ponti Urbs placidis demissa jugis »; præterea Virg. Ecl. IX, 8; Curt. V, 4, 23; Solin. p. 15, A. p. 17, A. ed. Salm.

97. *Perstringit gurgite*, quod vulgatæ habent emendo *præstringit* e v. 535, collato ad utrumque locum Dionysio et Prisc. v. 308. Idem *præstringit* ed. Ven. et duo codd. MSS offerunt, quod quum Pithœus pervertisset, alii tamen errorem sequuti sunt. Hæc Schrad. Genuinam lectionem *præstringit* etiam antiquæ edd. Cusp. et Vad. præferunt. Vadianus tamen male distinguit *confinia radit Mœnia, vel fusi*, etc.

99. *Subducit in astra columnas.* Barthius explicat, quasi eximit rebus conspicabilibus. Sed *subducere* proprie est sursum ducere ex inferiore loco, ut apud Livium, XXVII, 28 : « Eam (cataractam) partim vectibus levant, partim funibus sub-

Hic modus est orbis Gadir locus, hic tumet Atlas
Arduus, hic duro torquetur cardine cælum,
Hic circumfusis vestitur nubibus axis.
Et primum ruptas se pontus Ibericus illinc

ducunt, in tantum altitudinis, ut subire recti possent ». Confer Nostri vs. 379 et 589. Contraria quidem significatione adhibet Virg. Ecl. IX, 7: « qua se subducere colles Incipiunt, mollique jugum demittere clivo »; ubi rectissime Heynius Vir Clar. *subducere* se colles dicuntur, qui ex alto in planum deducuntur, decrescunt. Sed hic mos est eorum verborum, quæ cum *sub* componuntur, *subducere*, *subjicere*, *submittere*, ut motum io superiora pariter ac inferiora notent, prout ad terminum, unde incipit motus, referuntur. Eamdem rationem esse nominum *altus* et *profundus*, *supinus* et *devexus*, ut mutatis vicibus subinde alterum alterius notionem sortiatur, docet Gesnerus ad Plin. Pan. 30, 4. W.

100. *Hic modus est orbis.* Non uemo *orbi*. Sed non necesse est, quia modus idem est ac limes. Ed.— Vid. vs. 36, 47, 372; Or. mar. 341. Hæc Schrad. Distinctionem, quæ in vulgatis post *orbis* est, Hudsonus tollendam existimat, bene sane.— *Gadir locus.* Liber Ambros. hic et alibi, v. 610, 615, habet *Gaddir*. Sic et Prisc. Gramm. de genere nominis ejus agens, V, p. 647, et VI, p. 698, Putsch. Plura Noster de eo loco, Or. mar. 267 seqq. Et vid. Coler. ad Sallust. fragm. ex hist. l. II, p. 51 ed. Haverk. Bochart. G. S. I, 34; Salm. ad Sol. 202, b. B. Soliu. c. 23. Schr.

101. *Hic duro torquetur cardine cælum.* Hæc non e Dionysio, sed ex aliis poetis expressit, qui circum Atlantem, vel columnam ejus, tamquam axem dicunt cælum verti. Virg. Æn. IV, 481: «ubi maximus Atlas Axem humero torquet, stellis ardentibus aptum ». Et Ovid. Met. VI, 175: « maximus Atlas... ætheream qui fert cervicibus axem ». Ipse Avienus, Phæn. in Pleiad. vs. 576: «Pœnus Atlas, subiit celsæ qui pondera molis Cælifer, atque humero magnum super æthera torquet ». W.

102. *Vestitur nubibus axis.* Non adridet Heinsii conjectura *arces*. Verum est *axis*, atque ex hoc loco apud Dionys. vs. 68 scribendum existimo ἔδραμεν ἄξων, quum et Eustathius ad eum versum scribat: τινὲς δὲ ἐνταῦθα ἀντὶ τοῦ χάλκεος κίων, χάλκεος ἄξων γράφουσι, κ. τ. λ. *Vestitur nubibus* (quamquam Ven. habet *nubilus*) illustrari potest hoc Statii, Theb. V, 52: « ingenti tellurem proximus umbra Vestit Athos ». Schr. Pariter Avien. Or. mar. v. 387: « Dehinc quod æthram quodam amictu vestiat Caligo». Conf. et hæc Virg. Æn. IV, 248: « Atlantis, cinctum assidue cui nubibus atris Piniferum caput, et vento pulsatur et imbri ». W. — *Nubilus axis* habent Ven. et Cusp. sed *nubibus* emendat Cam. ad Priscian. vs. 73: exhibent quoque Vadian. et reliqui: τὸ *arces* quod conjecit Heinsius reprobandum est. Ed.

103. *Ibericus.* Veneta ubique legit *Hibericus*, nec aliter in Inscr. Grut. p. 690, n. 5, p. 416, n. 6. Vid. Cell.

Inserit in terras: caput autem principiumque
Europæ et Libyæ est. Mediis infunditur oris,
Irrepitque salum. Scopuli stant ardui utrimque:
Unus enim Europam, Libyam procul adspicit alter.

Geog. Ant. t. I, p. 64 et 100. Hæc Schr. Etiam Cusp. edidit *Hibericus*.

104. *Inserit in terras.* Inserere se pontum in terras ait, ubi videbatur aliquando fuisse contineus humus. Barth. Adv. XLIX, 13. Sed hæc ratio Barthii non convenit alteri loco, quem adducit, v. 144: «Nam qua cæruleis poutus sese inserit undis, Illyris in dextris pandit regionibus agros». Et ipse aliter de hoc verbo judicavit lib. XLVI, 16, ad v. 32 et 44. W. — *Caput autem principiumque.* Simillimus est locus Pomp. Melæ, I, 5, 5: «Ejus oræ finis Mulucha: caput atque exordium est promoutorium, quod Græci, etc.» Schr.

106. *Irrepitque salum.* Pariter Or. mar. 531: «Cavumque late cespitem irrepit salum». Barthius, p. 2310, *irrepere*, inquit, salum ubi dicit, tranquillitatem ejus maris significat. Pariter v. 142, «Alta petunt rauco penitus repentia fluctu». Dionysius ἕρπει dixit v. 93. Ego vero vehementer dubito, an tranquillitas huic mari conveniat; violentum quidem faciunt alii. Silius, XIV, 146: «Nec fervet majore fretum rapiturque tumultu, Quod ferit Herculeas extremo sole columnas». Idem, lib. V, 395: «Ceu pater Oceauus quum sæva Tethye Calpen Herculeam ferit, etc.» Itaque conjicio scriptum esse *Irrumpitque salum*, ut vs. 143: «Cespitis et gemini tellus irrumpitur alto». Apposite Plin. III, 1: «Origo ab occasu solis et Gaditano freto, qua irrumpens Oceanus Atlanticus, etc.» Sol. cap. 23, p. 32: «Oceanus ab occasu solis irrumpens ... inter Mauros funditur et Hispaniam». Conf. Mart. Cap. lib. VI, pag. 201, ed. Grot. Schr.— Pro *irrepitque* Schraderus mavult *Irrumpitque*. Sed *irrepit* defendi videtur versu 141.—*Ardui utrique* legit Ven. sed Cusp. et reliqui mutaruut *utrimque*, recte.

107. *Unus in Europam.* Suspicor legendum esse *Unus in Europa*, ut in Or. mar. v. 343: «Sunt paria porro saxa ... Calpe in Hispano solo, Maurusiorum est Abila». Tueri forte vulgatum visum iri Priscianum puto v. 483: «Adspicit Ausoniam, Boreæque Pelorus ad axes», et exempla, quæ Bentleius congessit ad Horat. p. 225. Sed differunt. Præpositio enim in posteriore orationis membro omittitur. Dubito denique, an latine dicatur *adspicit in Europam:* dicitur potius *ad Europam.* Schr. His adscripsit Wassenberghius v. cl. Sed quid si *in Europam* referamus ad præcedentia, ut sit: *Unus stat in*, h. e. versus Europam? Neque hoc minus probaretur mihi, siquidem vere laborare hunc locum crederem. *Adspicit* haud dubie idem est ac *spectat.* Sed hoc præpositiones *in* et *ad* promiscue adjunctas habere posse, ex Virg. Ecl. III, 48, et Lucani III, 3, mihi videor perspicere: quemadmodum Curtius, IV, 7, 18: «in meridiem Arabes spectant»; Mela, II, 7, 185: «Sardinia in occidentem angustius spectat».

Sic discreta freto procera cacumina celsis
Emicuere jugis, sic intrant saxa profundum,
Sic subeunt nubes, sic cælum vertice fulcit
Maura Abyla, et dorso consurgit Iberica Calpe.

Et hac ratione spreta facillimum est, Camertis emendationem sequi. W.—*Unus in Europam, Libyam procul.* Sic omnes antiqui. Camers vero ad Prisc. 73 correxit *Unus enim Europam.* Vadianus *Unus in Europam, in Lybiam.* Schraderus in not. conj. *Unus in Europa* (quod sensui officere videtur). Idem refutat conjecturam cujusdam, qui legerat *Libyam haud procul aspicit alter.* Nam *procul* et parvam, et magnam distantiam signare ait: deinde *procul* apud Avienum sæpe abundare, atque his de caussis vulgatam servandam esse.

108. *Sic discreta.* Ter repetitum *sic* in sequentibus Heinsius mutabat in *Hic ... hic.* Sed Noster in Or. mar. v. 120 eodem modo loquitur: « Sic nulla late flabra propellunt ratem, Sic segnis humor æquoris pigri stupet». Schr.—*Discreta freto.* Lectionem sic emendatam ipse tuetur Avien. v. 1031: « Cydnus item mediæ discernit mœnia Tarsi »; et vs. 693: « Sestus ubi atque Abydus parvo sale discernuntur». Pariter Curtii libro IV, 11, 13, vulgatur e conjectura Acidalii: « Nec quemquam alium inter Istrum et Euphratem possedisse terras ingenti spatio intervalloque discretas»: pro desertas. Schr.—*Deserta* dederunt Pith. et Huds. *diserta* habet Ven. *discreta* recte Ambros. et sic correxerunt Vossius, memorante Hudsono, et Tollius ad Auson. p. 654. Hæc Schrad. E lectione Ven. *diserta* Pithœus perperam fecit *deserta*, quum æque pronum esset *discreta*, quod dederunt Cusp. et Vad. notavit item vir doctus in libro Gronov.

110. *Sic cælum vertice fulcit.* Verba *procera cacumina emicuere: Saxa subeunt nubes: consurgit Calpe*, viderentur ducere ad *cælum vertice pulsat*, ut v. 843, de Tauro: « subrigit idem Obliquas arces, et flexilis aera pulsat ». Sed vulgatum tuetur, v. 431: « Vertice qua nubes nebulosus fulcit Adula »; et v. 251: « Taurus In juga consurgit, cælumque cacumine fulcit »; ubi pariter *consurgere*, et *cælum vertice fulcire* conjunguntur. Schr.

111. *Maura Abila.* Sic Ven. Pith. Madrit. *Abyla* ed. Huds. qui tamen in notis: *Potius Maura Alyba.* Nempe Ptolemæus et Dionysius permutatis literis efferre creduntur *Alybam*, ut Pintianus ad Melam, p. 30. Sed Ptolemæi pag. 104 Pal. liber habet Ἀβύλη, *Coislin.* Ἀβύλη. Dionysii autem vs. 336, Στηλάων Ἀλύβη κεῖται μία, corrigendum est Κάλπη, ut infra ad v. 478 probabo. In aqua igitur fundamentum jecere, qui sic scribi posse censuerunt. Cæterum inter *Abila* et *Abyla* vix ullum discrimen, placet tamen *Abila*, quia sic in antiqua edit. Ven. apud Plin. III, 1; Melam l. c. Anton. Itin. p. 9, et in MS *Coislin.* Ptolem. Deinde ad *Abila* ducunt tot urbes Syriæ et Palæstinæ, quæ eodem nomine efferuntur. Vid. Anton. Itin. 198, 199; Hierocl. Synecd. p. 717, 720, et Reland. in Palæst. *Abila* autem pa-

Gallicus hinc æstus provolvitur. Hic super urbem
Massiliam gens Graia colit, Ligurumque tumescit
Æquor, et indomito tellus jacet Itala regno.
  Ausonis hæc regio est; pubi genus ab Jove summo.
Qua se flabra trucis Boreæ per inhospita terræ

riter media brevi effertur in Or. mar. 344 seq. Neque tamen Noster Bentleium deterruit, quominus Lucani I, 554, pro *summumque implevit Atlanta* reponere conaretur *Mauramque impellit Alybam.* Sic enim, inquit, solet Avienus corripere, quæ ab aliis omnibus producuntur, v. 635 : « In matutinos Pachynos deducitur ortus, etc. » Sed non cogitabat, auctorem eum habuisse Dionysium, v. 469 et 471, eumque pariter sequutum Priscian. v. 480 et 482. Schr. De Abila et Calpe prope fusius agit Noster in Or. mar. vs. 86 et 342. W.—*Abila* Ven. Vad. et Pith. ubique. *Abyla* Cusp. et Huds. hic, sed in Or. mar. 86 et 342 rursus *Abila.* Hudsonus item scribere mavult *Maura Alyba.*

112. *Hic super urbem Massiliam.* Huds. conjecit *hoc super :* præstat vero *hunc super.* Ita *super flumen* ex Livii loquendi consuetudine est *ad flumen,* in ripa fluminis. (Duker. ad Liv. V, 729.) Avienus tamen expressit Dionysii ἔνθα, de more autem non vertit. *Super* aliquando apud illum πλεονάζει. Vid. Phænom. v. 907, Grot. Schr. Quæ præterea hic addit Schraderus, in his fluctuasse vir doctiss. nec sibi satis fecisse videtur. Ego servandam existimo lectionem vulgatam *Hic* propter Dionysii ἔνθα, et Avienum significare, Graios super, ad vel circa Massiliam, hoc est, in agro Massiliæ, ut in ipsa urbe, colere vel habitare. Suadet Dionysius, qui v. 75 habet γαῖα Μασσαλίη, et Eustathius, qui monet, Massiliam æque terram, atque urbem vocari. W.—*Urbem Massiliam. Urbs Massilia,* ut *urbs Apamea* v. 1082, ubi plura. Priscianus totam Massiliam omisit. Schr.—*Hic super.* Ven. Cusp. Pith. *hunc super* Vad. et Schrad. *super orbem* dederunt Ven. et Cusp. quod in *urbem* correxerunt Vad. et sequentes.

115. *Pubi genus.* Pubes gentem integram, populum designat. Pariter v. 148, sui semper similis et enarrator : *varia populorum pube domantur Arva soli.* Barth. Adv. XLIX, 13. Addi potest Horat. Carm. IV, 4, 46 : « Post hoc secundis usque laboribus Romana pubes crevit ». Nempe ab Horatio et aliis pubes de exercitu maxime et succrescente in bella juventute accipitur. Cæterum hoc versu imitatio est Virg. Æn. I, 380 : « Italiam quæro patriam, genus ab Jove summo ». W.

116. *Per inhospita terræ*, per regiones et terras barbarorum et ferocium populorum, Gallorum maxime et Germanorum, qui ad Septemtrionem Italiæ habitant.—Sic quoque Galli dicuntur *truces* Claudiano in Ruf. II, 110. Dictionem *per inhospita terræ* Noster iterum usurpat vs. 422 : « Gallorumque truces populi per inhospita terræ Vitam agitant ». Et v. 1039 : *inhospita æquora terræ*. Ed.

Eructant cælo, populis caput Æneadarum,
Alba dehinc cautes est terminus: hæc freta propter
Trinacriæ summa consurgit litoris ora.
Evolvuntur item vada fusi cærula ponti;
Insula qua Cyrnus fluctu madet adludente,
Litoris ostriferi protendens latius undam,

117. Pithœus eum Ven. et reliqui eum sequuti editores corrupte legunt et distinguunt: *populis caput Ænea clarum Alba, dehinc cautes est terminus*. Rectius Cuspin. dedit *Æneadarum*, quocum convenit cod. Ambr. Similiter Vadianus *Eneadarum est*, qui et melius distinguit: *populis caput Eneadarum est, Alba dehinc cautes*. Reliquas Scaligeri, Barthii, Heinsii, Halleii, Hudsoni, aliorumque conjecturas Schraderus refert, et nos in Excursu I ad calcem hujus carminis. Ed.

118. *Hæc freta propter* Cusp. Pith. Huds. *hic freta* dedit Vad. sed perperam: nam *hæc* refertur ad *Albam cautem*, quæ dicitur ad fretum Siculum in extrema Italiæ ora consurgere.

119. *Summo consurgit* Cusp. Pith. *summi*, sc. litoris correxit Camers ad Prisc. 77, et Vad. sed Hudsonus melius *summa consurgit litoris ora*, quomodo et Scriverium correxisse et codd. MSS habere adfirmat Schraderus in not.

121. *Fluctu madet adludente*. Non placet Hudsoni et Gesneri in Th. Ling. Lat. conjectura *adlidente* pro *adludente*: neque enim illi cogitabant *illido* verbum esse act. quod hic ferri nequit. Omnino retinendum *adludente*. Plin. XXVI, 7, 22: «Tripolium in maritimis nascitur saxis, ubi adludit unda». Ovid. Met. IV, 342: «et in adludentibus undis Summa pedum taloque tenus vestigia tingit». Adludere enim de leni dicitur adpulsu aquarum ad litora; et sic hoc loco poeta exprimit quosdam quasi aquarum blanditus. Imitatus in eo est Catullum, 63, 66: «Omnia quæ toto delapsa e corpore passim Ipsius ante pedes fluctus salis adludebant», ut legendum esse dudum docuit Achilles Statius. Schr. Partem hujus adnotationis exhibuit Friesem. in præf. — *Adludente* edidit Pith. et seq. sed *illudente* Cusp. *illidente* corrigit Camers ad Prisc. 84, quem sequitur Vad.

122. *Litoris ostriferi*. De purpura Corsica alibi scripsimus. Barth. Quid et ubi scripserit, nescio. Hoc scio, litus ostriferum non a purpura, sed ostreis dici; vid. Toll. ad Auson. p. 604, ubi Vinetum de significatione dubitantem merito notat. Idem tamen error in Thes. Gesneri permansit. Cæterum nostris etiam temporibus ostrea Corsica celebrantur. Vid. Boswellus, p. 19, quem locus Avieni fugit: nec valde miror: nam Bergerum fugerat in Eel. Ant. Cors. p. 39. Et tamen magni ponderis fuisset ad probanda dicta: *De toute ancienneté la Corse a été renommée pour la bonté de ses poissons*. Testis enim citatus Juvenalis, V, 92, non respondebat. Bene hujus locum cepit Grangæus. Schr. Profert eamdem adnot. Friesem. l. c. — *Latius undam*. Mira locutio:

Sardiniamque dehinc moles circumflua cingit
Æquoris, et cano spumant freta concita fluctu.
Hinc Tyrrhena sali sunt agmina, qua Notus axem

quomodo enim *insula protendere* potest *undam litoris?* An scripsit *protendit latius oram*, ut vs. 119, « cousurgit litoris ora ». Propert. I, 20, 9: « Sive Gigantea spatiabere litoris ora ». Et millies quidem hæ voces permutantur. An vero, quia modo præcessit *litoris ora*, hic præstat *Litoris ostriferi protendens latius actam?* Sic et Wassenberghius. Atque ita solet loqui poeta, ut v. 141: « Hic sinus Ionius curvatur litoris acta »; v. 682, 1055; et Prognost. vs. 276: « At matutini si Phœbum litoris acta Majorem solito produxerit ». Schr. Meo judicio *litoris undam* viri doctissimi immerito sollicitant, Si Avienus uihil aliud scripsit, quam Corsicam *latius protendere litoris oram* vel *actam*, fateor me non satis capere, quid sit illud latius litus, latius nempe, quam quod aliæ habeant insulæ. At vero hoc voluit Avienus, vadosum esse litus Corsicæ et minus profundum, quod unda maris latius influat, adeoque piscantium vel ostrea legentium pedes adluat. Hæc nempe est proprietas litoris *ostriferi*; hoc illud est, quod ante dixit, *fluctu madet adludente*. Merebatur Barthius, cujus sententiæ adtenderetur, qui sensum hujus loci bene saue perspexit, Advers. XLIX, 13: « Innuit, inquit, ad litus ejus insulæ minime altum aut profundum pelagus esse, quod docte circumloquitur ». Prisciani versum 84: « Insula sed Cyrnos propriis pulsatur ab undis », in quo explicando hæsitabam olim, nunc demum intelligo id ipsum respicere, quod dixi, et *proprias undas esse*, quæ litus insulæ inundant. Id ipsum Dionysius innuit v. 81, ἐπὶ Κύρνον ἐρεύγεται ἁλμυρὸν ὕδωρ. Wd. —*Ostriferi* habent Cusp. Pith. Huds. *austriferi* vult Camers ad Prisc. 84: idque alibi se ait evidenter ostendere, et hoc recepit Vad. Pro *undam* varia tentat Fonteinius, *acten*, mox *ulvam*, denique *algam*, et Schraderus primo *oram*, deinde *actam*, quod præferre videtur: nos tenemus *undam* et vindicavimus.

123. *Moles circumflua*. Molem belli quum dixit Silius Ital. erudite fluctus ponti immensos adlusit, qui alii alios prementes veram molem inferunt. Sic enim docte Avienus: « Sardiniamque dehinc moles, etc. » Barth. l. c. Sic vs. 293: « ardua quippe Undarum moles Tyrrheno cogitur æstu ». Eodem modo altero abhinc versu dicuntur *Tyrrhena sali agmina*. Et v. 156: « Effluа mox Siculi moles evolvitur alti ». W.

124. *Cano spumant freta*. Virgil. Æn. VIII, 672: « fluctu spumabant cærula cano ». Schr.

125. *Qua Notus axem Humidus inclinat*. Singulare non esse, ait Schraderus, *Notum se erigere axe tepenti*; sed ipsum Notum *inclinare axem*. Porro conjicit: *quo Notus axe*, comparans ista, quæ alibi leguntur: *quo cardine torqueat axem* ... *axe Noti*. Ovid. in Ib. v. 34: « Et tepido gelidus flabit ab axe Notus ». Pro *inclinat* conjicit vel *insurgit*, comparans vs. 1109, vel *incumbit*, ut alibi *incubuit Boreas*. Addit cl. Wassenberghius: Mihi sane vix

Humidus inclinat: qua lux se rursus Eoa
Emergit pelago, Siculi maris æstuat unda,
Obliquumque quatit gurges protentior altum
Usque in saxosi Pachyni juga. Plurimus inde
In Cretam trahitur ponti tumor: hicque procul se

dubium videtur, quin scripserit Avienus ... *qua Notus axe Humidus incumbit.* Sic apte expressit Dionysium suum, qui πρὸς Νότον. Ego vero nolim hoc in loco multum sudare. Poetico more dixit Noster *Notus axem inclinat*, pro axis inclinat se ea in regione, qua Notus flat. Quod autem Notum, vel axem Noti, modo procumbere, inclinare se, ut hic, modo erigere se, vel insurgere dicat, id diverso respectu fieri jam observavi ad vs. 35 et 89. Inclinat se Notus, qua plagam cœli designat; insurgit, qua ventus est. W. — Et vide adnotata ad Calp. Ecl. I, 75, huj. op. t. I, p. 403. Ed.

126. *Lux se rursus Eoa.* Ipse Dionysius πρὸς αὐγὰς ἠελίοιο· Noster, v. 236: « Eoæ lucis in ortum »; 264, « Eoæ procul in confinia lucis ». Conf. 769, 879. Frustra igitur Hudsonus et Higtius tentabant *Eoo emergit pelago.* Schr.

127. *Emergit pelago. Emergere se* elegantius dixit, quam si τὸ *se* non addidisset. Corn. Nepos in Attico: « Quibus ex malis ut se emerserat, nihil aliud egit, quam ut quam plurimis (sic enim scribendum), quibus rebus posset, esset auxilio ». Sic aliis etiam utitur Avienus, ut vs. 116: « Qua se flabra trucis Boreæ per inhospita terræ Eructant cælo ». Barth. — Pro *emergit* vir doctus in ora exempli mei edit. Cusp. adscripsit *Educit pelago.*

128. *Obliquumque quatit.* Erunt, qui hic aures sibi radi querantur: non tamen desunt similia. Ovid. Met. XIII, 734: « aliquo quoque tempore »; et IV, 458: « Deprenduntur aquæ, quæque imminet, effugit arbor ». Virg. Æn. III, 183: « Casus Cassandra canebat ». Propert. II, 6, 11; Avienus, Descr. Orb. 521, 1373, Or. mar. 249. Schrad. — *Quatit gurges altum.* Eodem modo loquutus est v. 294: « ardua quippe Undarum moles Tyrrheno cogitur æstu, Curvatumque salum quatit amplo litora fluctu »; et v. 719: « Hic protenta quatit late freta glauca Propontis ». Schr.

129. *Usque in saxosi Pachyni.* Repetit hic Schraderus, quæ ad v. 111 de secunda in *Pachynus* correpta contra Bentleium pro defendendo Avieno dixit. Addit: Notandus itaque Vossius, de Art. Gr. II, 39, pag. 306, quum Avienum hac nota damnat: Nec raro peccat Avienus, ut quum in Orbis Descr. ait: *Usque in saxosi Pachyni juga.* De Pachyno saxoso vid. Cluver. Sic. Ant. I, 6, pag. 76; Fazellus, Decad. I, lib. V, cap. 1. Schr.

130. *In Cretam trahitur ponti tumor.* Sic et Dionys. vs. 103, ἕλκεται οἶδμα, ubi Prisc. v. 112: « provolat æquor ». Strabo, lib. II, p. 185. B. Αὔξεται δ' ἐπὶ μὲν τὸ πρὸς Ἕω μέρος μέχρι τῶν ἄκρων τῆς Κρήτης. Diversa lectio *erigitur* parum apta huic loco est. Sch. — *In Cretam erigitur.* Sic Voss. cod. habere tradit Fries. *Hicque*

Inclinat rupes, atque obvia fluctibus altis
Ingreditur pelagus Gortynia mœnia juxta,
Ac procumbentis sola propter pinguia Phæsti.

procul se Ven. Cusp. Pith. *hincque* Huds, *hic procul ingens* ex ingenio, ut videtur, correxit Vad. *Hinc procurrens* vel *procursans* conj. Oud. in Observ. misc. vol. V, T. I, ut sit versus spondaicus, quales multi in Avieno. Schraderus olim in marg. edit. Trogu. notavit: an *procumbens?* nam Lucretius primam corripit: forte tamen *hic procul illa*. Idem vero postea multo melius emendavit in not. *hicque procul se*, etc. quomodo ipsi edidimus.

131. *Inclinat rupes sese* Ven. Cusp. Vad. Pith. Quasi procul ab sese ipsa recedat, deseratque velut a natura institutum suum corpus, longe ab illo recedendo. Quod quum fieri non possit, possit autem a poeta commode fingi velut fiat, et oculis quodammodo, sed perspicacibus, repræsentari; mirifice delectat legentem, et ingenium scriptoris egregie commendat, velut superans ipsam naturam artificio fingendi. Barth. Adv. XLIX, 13; pariter XXVIII, 16, et ad Claud. p. 434. *Procul se*, id est, vertice excelso, remotoque ab imis locis. Huds. Lege: *procul se Inclinat rupes, atque obvia fluctibus altis Ingreditur*. Quam lectionem prius ingenio repertam longo post tempore firmatam inveni auctoritate cod. Ambr. unde et Heinsius eruerat. Videlicet in hoc libro reperitur *Inclinatur pes et*, unde *sese* primus editor elicuit. Vid. Morelli Critic. pag. 191, et Walth. Lex. diplom. p. 443, l. 19. Librarii autem sæpe posuerunt *et*, ubi requirebatur *atque*. Sic apud Orientium, I, 280: « Argentum et auri (leg. atque auri) moles, et gemma coruscans ». Schr. — *Atque obvia fluctibus altis*. Imitatur Virg. X, 693: « Ille velut rupes, vastum quæ prodit in æquor, Obvia ventorum furiis ». Valer. Flacc. I, 389: « et fluctibus obvius Aulon ». Avienus, Descript. Orb. 972: « fluctu circumdatus alto ». Schr.

132. *Gortynia mœnia*. Vix refert, legaturne *Gortynia*, an *Cortynia*. Latini promiscue istis usi literis, ut contra *Cnoson* vocant *Gnoson*. Nec ipsis hoc insolens Græcis. Gortynæ autem nomen factum est a καρτέμνα, vel καρτέμνια. Κάρτη Cretensibus bovem notabat. Hinc est in nummis bos expressus. Schr. — *Gortynia mœnia juxta, Ac procumbentis sola propter*. Dionys. v. 88: Πὰρ θ' ἱερὴν Γόρτυνα. Cellar. Geogr. Antiq. t. I, p. 1264, verbis Dionysii relatis: « Licentiæ poetarum condonandum est, quod Phæstum et Gortynam, longius remotas urbes, πὰρ *juxta* dicit esse sitas ». Cui non nominato sua debet Hillus: « Poetica licentia... vergere ». Schr. — *Corthynia mœnia* Ven. *Gorthynia* Cusp. *Cortynia* Pith. *Gortynia* Huds.

133. Pro *Ac procumbentis* Schraderum voluisse *Atque procumbentis*, adnotavit Friesem. quod in ipsius notis non invenio. — *Sola pinguia Phæsti*. Sic expressit Dionysii ἠπειρώτιδα Φαιστόν. Priscianus: « mediis qua Phæstus in arvis ». Wesseling. ad Diod. I, p. 394: Phæstus mari non adcubabat, inde stadiis XX dissepta, ut Strabo, X, p. 730.

Prona mari cautes extenditur, ut ferus ora
Est aries, ultroque minans petit obvia fronte;
Denique sic olli nomen prior indidit ætas:
Nec minus Italiam cornu prospectat acuti

Aliter quidem Meorsius in Cret. p. 52. Forte tempus loci naturam verterat. Certe Homerus ad mare collocat Odyss. III, 293. Schr. — *Pinguia Sexti* vitiose exhibet Pith. e Ven. sed *Phæsti* bene ex Dionysio correxerunt Barth. Scalig. Huds. Scriver. quod firmat Voss. ut ait Schrad. Ego vero *Phæsti* jam editum lego a Cospin. et Vad. quos nemo inspexit. Barthius sic emendavit in Advers. XLIX, 13, et in Ablegm. IV, 16. Confirmat Prisc. v. 91: « Qua Gortyna potens, mediis qua Phæstus in arvis ».

134. *Prona maris cautes.* Heinsius *mari*. Sic enim adjectivum illud eleganter cum dativo construitur, ut apud Colomell. I, 5: « Campestria loca Aquiloni prona ». Vid. Oudendorp. ad Sueton. Ner. cap. 40, et Heusing. ad Vechn. p. 294. Schr. — *Prona maris* habent Cosp. Pith. Huds. sed *mari* legit Camers ad Prisc. 93, et dedit Vad. Sic etiam correxeront Heins. et Schrad.

135. *Ut ferus ora Est aries.* Similem faciem arietinæ præbet. Notum κριοῦ μέτωπον, quod aliquoties græco suo vocabulo servavit Priscianus; præsertim v. 93: « Pro merito Graii Criu dixere Metopon ». *Est*, visitur, ut supra versu 125: « Hinc Tyrrhena sali sunt agmina ». Barth. — *Fert aries* pro *Est* voluit Heinsius, etsi Schradero id tribuit Friesem. *ultroque minans* habent Ambr. Ven. Pith. ejusque sequaces. *Minas petit* edidit Cuspin. *minax* correxit Camers ad Prisc. 93, dedit Vad. Sic ex ingenio correxit Heins. et ita esse in Voss. cod. monet Schrad. qui addit: Sed perpetua talium est confusio, et parum refert. Heinsii conjecturam *Fert* pro *Est* non probo. Si sic vulgaretur, offendisset *fert ferus*. Cur non aries *est* ferus ora per græcismum? Sic *mollis dorsa* dixit in Phænom. 706. *Pallidus ora* Progn. 285. Stat. Achill. I, 351: « Nonne vides, ut torva genas, æquandaque fratri? » Schr. Similem locum habes v. 228-230. W.

136. *Denique sic olli nomen.* *Si colli* Ambros. Ven. *Sic colli* Voss. Firmare forsan videbitur Priscian. 140: « Hinc atque hinc medio procurrunt æquore colles ». Ammian. Marcell. p. 241, « Carambis collis ». Sed lectioni, quam Pithœus dedit, favet, quod Avienus nunquam sic *collem* vocat; favet itidem Phæn. v. 944: « color olli nomen ab ortu Primigeno statuit ». Schr. — Pro *Denique* Schrad. aliquando *Indeque* conjecit in schedis, quia Dionys. Τοὔνεκα· sed recte nunc retinet *Denique*, quod interpretandum est breviter, ut paucis dicam, vel, et quod inprimis notandum est, uti occurrebat supra vs. 60.

137. *Nec minus Italiam cornu prospectat.* Dionysius septem versibus a 85: Κυρτὸς ἐπιστρέφεται, ad v. 91: Ναὶ μὴν καὶ τετάνυσται, tradit, mare Siculum tum ad Pachynum, atque Cretæum promontorium, quod tribus versibus interjectis describitur, protendi, tum etiam expandi ad extremam Italiæ terram Iapy-

Litoris, et rapidi perflatur Iapygis ortu.
Hinc se rursus aquis Adriatica marmora fundunt
In Boream, Zephyrumque dehinc deflexa parumper

giam. Quivis videt τετάνυσται septimi versus referri ad Σικελὸς ῥόος, quod est in primo; Avienus tamen, longa parenthesi deceptus, ad Κριῆασης ἄκρης». ad Cretæum promontorium, quod proximis versibus describitur, retulit, et sententiam turbavit. Schr. Aliter de toto loco sentit cl. Fonteinius in Friesem. præf. p. 24, et Avienum putat longa digressione de Creta usum, quæ medio versu 129 incipit, et vs. 136 finitur. Ea si uncis includatur, perinde ac si post verba *Pachyni juga* continuo sequeretur versus 137: «Nec minus Italiæ»: tum adparere, eo versu sermonem esse de mari Siculo, quod versus Boream *prospectet cornutum* litus Italiæ. Unde et versum istum refingit, ut indicamus in var. lect. Cæterum in hoc etiam peccare Avienus, vel nimia licentia uti videtur, quod ex nomine terræ Iapygiæ ventum Iapyga, ex Apulia scilicet venientem, facit promontorium Cretæum perflare, quod significare Dionysius minime voluit. W. — Regionem enim indicat ille vs. 91: τετάνυσται Ἰηπυγίην ἐπὶ γαῖαν. Ed.—*Cornu acuti litoris* hic vocat extremitatem oræ acute prominentem, apte quidem ad similitudinem et nomen capitis arietis, quod huic promontorio datum est. Sed generatim etiam *cornua* vocari solent quum extremi limites terrarum, ut supra v. 26, tum inprimis promontoria in mare excurrentia. Sic Mela, II, 4, 8, dicit Italiam, «ubi longe abit, in duo cornua findi, respicereque altero Siculum pelagus, altero Ionium»; et Florus, IV, 11, 9: «duo cornua Ægypti, Pelusium atque Parætonium» nominat. W. — *Cornu acuto* legit Abr. Ortelius. Cl. Fonteinius in Friesem. præf. p. 25, totum versum sic mutat: «Nec minus Italici cornu prospectat acutum Litoris», quia hic non de Κριοῦ μετώπῳ in Creta sermonem esse putat, sed de Iapygia, extrema parte Italiæ, quam prospectet mare Siculum. Sed intercedere videtur usus verbi *prospectare*. Quippe vix commode dicitur, mare aliquod prospectare terram, sed contra.

138. Elegans et valde probabilis est conjectura, quam Schraderus ad hunc locum profert, *rapidi perflatur Iapygis ore*, pro *ortu*. Nam ita v. 373: «Altera perflatur genitabilis ore Favoni».

139. *Hic se* edidit Huds. nescio quo duce. Nam *Hinc* habent omnes antiquæ: idque probat Schrad. Dionysius enim κεῖθεν, et Prisc. *Illinc*, v. 95. Propter *fundunt* comparari jubet v. 84, 214: Prisc. 505, vellet tamen plura similiora.

140. *Deflexa parumper*, *Qua sinus*, etc. legit Oddius. Forsitan lectionem vulgatam servando, in v. 141, legendum *Alta petens*. Hæc Huds. in Add. Idem *Hinc sinus* induxit, quum omnes antiquæ habeant *Hic*. Procul dubio hoc fecit, ut meliorem ordinem et consecutionem sententiarum induceret versibus, quorum ordo vitiose turbatus est in vulgatis. Nempe transpositos esse versus 141 et 142, et sic ordinan-

Alta petunt, rauco penitus repentia fluctu :
Hic sinus Ionius curvatur litoris acta,
Cespitis et gemini tellus irrumpitur alto.
Nam qua cæruleis pontus sese inserit undis,
Illyris in dextris pandit regionibus agros,
Emathiamque super sulcat genus acre virorum :

dos esse, ut nunc edimus, ad unguem demontravit Schraderus in adnotatione. —Vid. Excursus II ad calcem hujus carminis. Ed.—Et eum ipsum ordinem præstantes edd. Cuspin. et Vadiani observant, quod dudum memoravi in præfat. mea.

141. Heinsius conjecit *Alta petunt penitus glauco irrepentia fluctu*. Quod repudiat Schrad. quia ista immanis est mutatio, Avienus autem exprimit ipsa Dionysii verba : αὖθις δὲ πρὸς ἑσπέριον μυχὸν ἕρπει. Hæc etiam docent, Avieni verba accuratius ad mentem Græci disponere volenti distinguendum esse post *In Boream*, et sequentia *Zephyrumque dehinc* connectenda cum *petunt*, eo modo uti ipsi fecimus in contexto.

142. *Hic sinus Ionius curvatur litoris acta*. Hæc lectio firmari videtur v. 899 : «Et sinuant curvis hanc totam litora terris»; et v. 82 : «Deficit et curva sinuatur litoris ora». Schr. De mari Ionico hic ita loquitur Avienus, quasi aliud et distinctum ab Adriatico, quod v. 139 nominatur, habeat, iterumque Dionysii sensum perperam exprimit. Nam hic v. 94 hoc tantum dicit, Adriaticum mare etiam Ionium ab accolis adpellari. Rectius Priscian. v. 97 : « Ionius pariter sinus hic perhibetur ab ore ». Prætermisi ad hunc locum monere, *ab ore*, i. e. sermone hominum, legendum esse, non *ab orbe*. Nam in Græco est κικλήσκουσι... ὠνόμαξαντο. Atque *ore* et *orbe* sæpe permutari a librariis, ejus rei exemplum vidimus in epigr. (de divisione orbis terræ, quod protulimus huj. op. tomo IV, pag. 502. Ed.) ubi pariter atque hic τὸ *ab* πλεονάζει. Sic etiam Avienus in Prognost. vs. 435 : «Si matutino fringilla resultat ab ore ». W.—*Hic sinus* omnes antiquæ : *litoris acti* edidit Cusp. sed *acta* correxit Camers ad Prisc. 93 : et sequuti sunt reliqui. Oudendorpius in Obs. Misc. vol. V, t. I, scribendum arbitratur *litoris actam Alta petunt*, quia alias non intelligatur, quid *alta* seu maria *petant*. Sic nempe videbatur illi, quia ordinem versuum turbatum non senserat.

143. *Et gemini*. Voss. *gemino*, pessime. Dionys. v. 95 : Δισσὰς δ' ἠπείρους ἀπερεύγεται. Priscian. 98 : «Dividit et geminas diversis partibus oras ». Sic Schrad.

146. *Æmathiamque super sulcat*. Quis locus hic Æmathiæ, sive *Emathiæ*, id est Thessaliæ, vel Macedoniæ? Immo vero repone *Delmatiamque*, seu, ut aliis placet, *Dalmatiam*. Nihil verius esse, patet ex Dionysio, vs. 97, et Prisciano, v. 101. Oudend. in Observ. Misc. V, p. 74. Correctio hæc verissima est, quam pariter fecit Higtius. Caussa erroris, quod librarii primas

Ausonidum læva est. Hinc longo cespite tellus
Funditur, et varia populorum pube domantur
Arva soli. Trina hæc pelagi circumtonat unda.

versuum et nominum propriorum literas omittebant. Atque ita v. 886 in Ambros. *Amaritarum* pro Camaritarum, v. 867 *Oretarum* pro Toretarum, v. 908 *Apyri* pro Tapyri. Conf. Drakenb. ad Liv. t. II, p. 396. Cæterum non *Dalmatiam*, sed *Delmatiam* probant nummi et inscript. antiquæ. Vid. Pellerin. et Inscr. ant. Gorii, I, 69; III. 77, 86. Conf. Holst. ad Steph. B. p. 90, b. et Drakenb. ad Liv. Epit. 62. Schr. Abit ab hac sententia P. Fonteinius vir clar. et putat Ἠμαθίη forte in nonnullis codd. fuisse, quos Avienus legerit, et quia Dalmatiæ mentio post memoratas Illyrici dextras regiones non necessaria erat, hinc videri in loco Dionysii pro Δαλματίη δ' ἐφύπερθεν legendum Δαλματίης vel Ἠμαθίης ἐφύπερθεν, ut sit descriptio amplior terræ Illyricæ, quæ sit supra Emathiam, non secus, ac verba sequentia ἐνυαλίων πέδον ἀνδρῶν ad terram Illyricam pertineant. Fateor, admodum placere mihi viri clar. sententiam. Certe mihi *Emathia* non temere ex Avieno tollenda videtur, siquidem in ea lectione omnes antiquæ edd. consentiunt, neque solum Pithœus e prima Veneta, sed et Cospin. ac Vadianus, qui aliis codd. usi sunt, sic scripserunt. Sed commoditates ejus interpretationis jam pluribus explicare non vacat. W. — *Æmathiamque* habent omnes vet. edd. sed Camers ad Prisc. 100., vult *Dalmatiamque*: quocum consentiunt recentiores interpretes. Pro *sulcat* Fonteinius apud Friesem. conjicit *surgit*: sed *sulcat* defendi potest versu 488, et, ne sine casu quarto positum videatur, hic commode referri potest ad præcedens *agros*, ut sensus sit: Et eos agros Illyridis super Emathiam sulcat genus virorum bellicosum. Quo pacto plane exprimit Avienus versum Dionysii, uti eum legendum censet Fonteinius. — Sed fidelius Priscianus, vs. 101: « Dalmatiæ populorum Martia tellus », qui græcum Dionysii ad verbum exprimit. Ed.

148. Pro *funditur* forte *tenditur*: nam Dionys. v. 97: παραπέπταται ἄσπετος ἰσθμὸς Πουλυτενής. Hæc Schrad. Pro *domantur* Vadianus dedit *domatur*, trahens ad *tellus*, adjecta distinctione: *populorum pube domatur. Arva soli trina hæc*, etc. Sed hoc male.

149. *Circumtonat unda*. Fateor, sic optimos scriptores loqui, atque adeo Avienum, v. 830: « multus circumsonat istam Oceanus ». Sed rariora verba caute mutanda sunt. Deinde vulgatam firmant et probant Stat. Theb. VII, 16: « omne quod Isthmius umbo Distinet, et raucæ circumtonat ira Maleæ » (qui locus plane geminus est, quia hic Isthmus Peloponnesi nominatur, ut a Dionysio Isthmus Italiæ), et Ovid. Met. I, 187: « qua totum Nereus circumtonat orbem », ut Heinsius e quatuor Mss. ptis, qui probavit locis Avieni nondum ab Hudsono corruptis. Conf. idem ad Claud. de Nupt. Hon. et M. 133: « concha Libycum circumtonat æquor »; Barth. ad Briton. Arem. III, 474. Schr.

Nam qua se Zephyri sustollunt flabra, profundum
Tyrrheni est pelagi: qua se Notus erigit æthra,
Sicanum late fluitat mare: qua procul autem
Spirat ab Eois pulcher regionibus Eurus,
Ionii sunt terga sali. Sic Itala tellus
A circumfusis latus amplum lambitur undis.
Efflua post Siculi moles evolvitur alti,
Inque Notum late vada ponti cærula serpunt,

—*Circumsonat* conj. Huds. sed rursus Avienus, vs. 188: « Hic salis Ægæi tractus tonat »; idemque tuetur Schrad.

151. *Qua se Notus erigit æthra*, i. e. insurgit, exoritur, adspirat. Lucan. V, 704: « purumque insurgere cælo Fracturum pelagus Boream ». Virg. Æn. V, 20: « vespere ab atro Consurgunt venti ». W. — *Notus erigit æthræ.* Sic Ven. Pith. Huds. Conf. Obs. Misc. I, p. 374. Puer tamen corrigat: *qua se Notus erigit æthra;* et v. 88: « qua se Notus axe tepenti Erigit ». Sic Schrad. Sed *æthra* dudum scripserunt Cusp. et Vad. — *Erectum Boream* vidimus apud Calp. Ecl. I, v. 75. Ed.

152. *Sicanium* expresserunt Cusp. et Vad. distinctionem *late fuit; at mare* pro varia lectione, nescio cujus, posuit Friesem. sed eam rejicit Schraderus, quia sic series carminis corrumpitur.

153. Vir doctus in Observ. Misc. vol. I, t. III, p. 374, pro *pulcher* vult *volucer*. Sed hoc epithetou omnibus ventis commune est. Et Schraderus dubitat, an hæ voces permutentur. Fonteinio in pr. Fr. languet istud *pulcher*, ideoque *acer* vult reponere, quia ab aliis poetis sævus et truculentus vocetur Eurus. Sed pulcher est Eurus, quia ab ortu flat, qui poetis purpureus, hoc est, pulcher dicitur.

155. *Circumfusis* Schraderus contra Heinsium defendit versu 393: « Ut circumfuso populorum examine cingunt »; et Phæn. v. 1012: « Omnibus et mediis ut circumfunditur idem ». Latus *amplum* defendit versu 327. *Lambitur* autem pro *labitur* legendum esse pluribus probat, vs. 94, 556, 575, 694, 951; Or. marit. 629, 699. *Latus lambitur* dixit Avienus, ut Tacitus, Hist. IV, 12: « Insulam occupavere, quam Oceanus a fronte, Rhenus amnis tergum ac latera circumluit ». W. — Vulgatæ habent *Ut circumfusis;* sed Vad. dedit *A circumfusis*, quod placet. *Labitur undis* omnes edd. præter Vad. qui posuit *lambitur*, ut deinde correxerunt Huds. et Schr. Aliam conjecturam Schradero Friesem. tribuit, « latus omne adlambitur undis ».

156. *Moles evolvitur alti.* Molem maris ingentem immensamque vim aquarum scite dicit, ut apud Maronem, Æn. I, 105: « præruptus aquæ mons »: usum Avieni, præter hunc versum, demonstrant vs. 49, 123, 234. BARTH. Advers. XLVI, 16. Vid. not. nostr. ad v. 123.

157. *Vada ponti cærula serpunt.* Magna venustate Avienus *serpere*

Donec arenosas adtollant æquora Syrtes,
Infidumque rati tenuent mare. Languida quippe
Æquore jam fesso sese trahit unda per ambas.
Montibus ab Siculis capit autem prona meatum,

usurpat, in hoc versu 157, « Inque Notum »; quod elegantissime porro versu 160 exponit, velut viando fessum fluctum depingens: « languida quippe Æquore jam fesso sese trahit unda ». Quo nihil etiam commodius dici potest. *Serpere* autem majore ideo gratia dicitur, quoniam sonum quodammodo exprimit aquæ; ut apud Claudian. de Rapt. Pros. I, 256: « Et raucum bibulis inserpere murmur areois ». BARTH. Adv. XLIX, 13. Apte eo verbo utitur Avienus, quoniam hoc loco de æquore ad Syrtes loqui incipit, quibus impedita aqua vix aliter quam serpere potest. Confer v. 37, 106 et 297. W.

158. *Arenosas adtollant æquora Syrtes.* An mare tollit Syrtes? Immo Syrtes in mari se tollunt. Sed forte « Donec arenosæ sustollant æquora Syrtes », quam conjecturam firmat Dionys. vs. 202: Ἄλλοτε μὲν πλημμυρὶς ἐγείρεται· ἄλλοτε δ' αὖτε ἄμπωτις, etc. Cf. h. l. v. 294. SCHR. — Hæc Schraderi conjectura sane probabilis videtur: sed hypallage admitti quoque potest. Nihil igitur muto. ED. — *Æqaora adtollant syrtes* idem significat, ac, quod vir summus vult, syrtes in æquore se tollunt, nempe poetæ more dictum est, qui ad grammaticam subtilitatem non semper potest exigi. Vide quæ notavi ad vs. 126. Immo emendatio, quæ profertur, *arenosæ sustollant æquora syrtes*, ne quidem loco et sensui convenit, quia sequitur *et tenuent mare:* nam si syrtes æquora sustollunt, h. e. intumescere faciunt, non possunt eædem *tenuare mare.* Libentius velim in alia Schraderi conjectura adquiescere, quam cl. Friesem. in præf. adduxit, *arenosæ se tollant* (vel *se adtollant*) *æquore syrtes*, quæ lectio et facillime e vulgata *arenosas adtollant* elici potest, et ad sequentia *tenuent mare* egregie quadrat: nam Syrtes ubi adtolluntur in mari, hoc ipsum in superficie sua tenuant. W.

159. *Infidumque rati tenuent.* Similiter versu 294: « Infidumque rati pelagus furit ». *Tenuare mare* est vadosum et evanidum reddere. Hoc sensu paullo post vs. 163, « tenue fluentum » dicit; et v. 298: « Undaque vix tenuis siccas prætexit arenas ». Et Or. marit. v. 406 et sq. « Plerumque porro tenue tenditur salum, Ut vix arenas subjacentes occulat ». W.

160. *Sese trahit unda per ambas Montibus ab Siculis*, sic distinguit Vadian.

161. Higtii conjectura est: « Montibus ab Siculis capit agmen prona meatum ». Similiter versu 438 vult: « in Eoos agmen convertitur axes », pro *in Eoos autem.* Ego vero probare eam non audeo, quamquam fateor, singularem hic obtinere usum τοῦ *autem*, ad quem illustrandum conferri potest vs. 265: « caput hujus cespitis anteio Arctius angusto conducit litora tractu ». SCHR. — *Montibus a Siculis* forte voluit Heins. *capit agmen* Higtius. Totum versum cum sequente sic leguot et distin-

Cretæisque jugis mox Syrtes inter oberrat
Parcior, et tenui prætexens imá fluento.
Rursus ab Idæa Salmonide porrigit æquor

guunt edd. vulgatæ : « Montibus ab Sicnlis capit autem prona meatum Cretæisque jugis, vix Syrtes inter oberrans ». Quæ nos corrigimus in not. Et fere convenit Fonteinius in præf. qui pro *Parcior* vult *Tardior*, sublata post *oberrans* distinctionis nota, et locum hoc modo legendum et distinguendum putat : « mox, Syrtes inter obhærens, Tardior ».

162. *Cretæisque jugis, vix Syrtes inter oberrat.* Versus hic aliquantum corruptus videtur, et a sensu Dionysii discrepare. Hic v. 109, et Priscian. v. 112 dicit, a finibus Sicnlis Cretæum mare extendi ad promontorium usque Salmonidis. Contra Avienus, secundum lectionem et distinctionem vulgatam, dicere videtur, a montibus Siculis pariter ac Cretæis mare illud incipere, adeoque duo maria, a Dionysio nominata, inepte confundere. Ut igitur versus ad mentem Dionysii magis conformetur, censeo eum, distinctione post *jugis* sublata, sic constituendum esse : « Cretæisque jugis mox Syrtes inter oberrat Parcior ». Sensns hic est : Siculi æquoris moles (ex versu 156) ubi a promontoriis Siculis evolvitur, *prona* et facilis *meat : mox*, ubi *Cretæis jugis oberrat* (Cretæum mare), quia vicinis syrtibus impeditur, *parcius* fluctuat, et *tenui fluento* est. Plane hunc sensum confirmant, quæ infra de eodem mari dicuntur vers. 294-298. *Vix* et *mox* centies permutantur in codd. Participium autem *oberrans* ob duo alia sequentia *parcior* et *prætexens* in verbum *oberrat* mutandum est. Fortasse præstiterit *aderrat* scribere, h. e. adlabitur, quod quidem Statianum verbum est, sed aliis ab Avieno usurpatis, ut *adulat* vel *adundat*, v. 338 et 571, non absimile. Statius, Silv. II, 2, 120 : « blandi scopulis delphines aderrant ». W.

163. *Et tenui prætexens.* Prætexere est leviter prædueere. Quoniam nihil firmum, si proprie loquamur, de textrina, pleraque autem visui pervis veniunt. Sic de unda non admodum alta Avienus versu hoc 163. Sic Cland. de scelerato suo Rufino, I, 99 : « *Noverat* et blando fraudem prætexere risu ». BARTH. Adv. XLIX, 13. Similiter Noster infra v. 298 : « Undaque vix tenuis siccas prætexit arenas ». W.

164. *Rursus ab Idæa Salmonide. Servonidæ* A. *Samonide* V. *Salmonide* Ven. Pitb. Hanc scripturam firmant et probant Apollon. Rhod. quem Dienysius imitari solet, lib. IV, 1693 : Σαλμωνίδος ἄκρης. Scholia : Σαλμωνὶς, καὶ Σαλμώνιον, ἀκρωτήριον Κρήτης. Dionys. v. 110 : Σαλμωνίδος ἄχρι καρήνου, Ἥν Κρήτης ἐνέπουσιν Ἑώιον ἔμμεναι ἄκρην. Prisc. vs. 113 : « Salmonida poscens, Dicitur Eous qui Cretæ terminus esse ». Schr. De diversa scriptura nominis ejus vid. not. nostr. ad Prisciani v. c. W. — *Porrigit æquor Se geminum.* Quid si *projicit ?* Sic legendum videtur ob præcedens *ab.* Et hæc quidem vulgo permutari a librariis monet Burmann. Anth. tom. I, pag. 109 et 465. Et melius redderetur τὸ Diony

Se geminum : nautæ Pharium dixere profundum,
Quod procul in Casiæ vergit confinia cautis:
Sidoniique dehinc late salis æstuat unda,
Issicus immodico donec sinus ore patescat,
Æquoris et nostri sit terminus; arva ubi late
Pinguia proceris Cilicum versantur aratris.

sii ἀναπέπταται. *Porrecta* quoque pro *projecta* notante Schrad. vide infra hoc tomo, pag. 143. Ed.

165 *Se in geminum*, scil. unda se porrigit in geminum æquor, voluit Voss. sed frustra. Dionys. v. 112 : Δοιαὶ δ' ἑξείης προτέρω φρίσσουσι θάλασσαι. Schrad. *Farium dixere* Pith. e Ven. *Pharium* Cusp. Vadian. et reliqui.

166. *Quod procul hinc Casiæ vergit. Hinc Asiæ* Ven. Ambr. Legendum *in Casiæ vergit*. Vid. Observ. p. 47. *Hinc* natum ex *dehinc*, quod versu sequente occurrit. *C* est sequentis vocis *Casiæ*. Nec de latinitate dubitandum. Pariter Priscian. v. 120 : « penetrat qua gurgite pontus Issicus, Arctoas ad partes æquore vergens ». Plin. I, 259, 9: « Atlanticus sinus Rubri maris in Ægyptum vergentis ». *Hinc Casiæ* correxit Cam. ad Prisc. 119, idemque tenent Cusp. Pith. et Huds. *procul in Casiæ* correxit Cœl. Calcagn. in adnot. ad Dionys. dedit Vadian. firmat Schrad. tum hic, tum in Observ. p. 47, et in præf. ad libr. Emend. pag. 55. *Hinc Casiæ verrit confinia* conj. Huds. in Add. sed improbat v. doct. in Obs. Miscell. vol. I, p. 386.

167. *Sidonique* Ven. *Sidoniumque* Cusp. *Sidoniique* corrigit Camers ad Prisc. 119, quod tenent reliqui.

168. *Issicus in modico* Cusp. Pith. Huds. *inmodico* dedit Vad. *immodico* emend. Heins. pariter Schrad. et hic, et in præf. ad lib. Emend. idque ex Dionysio, ipsoque Avieno, qui vs. 790: « immodici late patet oris hiatus ».

169. *Æquoris et nostri sit terminus*. Quædam male *fit*. Corrigendum itaque : « donec sinus ore patescat, Æquoris et nostri sit terminus ». Sic enim Avienus loqui solet vs. 36 : « Terrarumque trium modus est mare, donec in alti Ora procul Nili late Thetis effluа serpat ». Conf. v. 158 et 506. Non aliter Manil. IV, vs. 670, de Africa : « Ac sterili pejor siccas incestat arenas, Donec ad Ægypti ponat sua jura colonos ». Idem, IV, 627 : « Donec in Ægyptum redeant curvata per undas Litora ». Hic quidem Bentl. notat : « Immo *redeunt*, cum vetustis quatuor ». Sed exemplis Avieni, atque adeo Manilii refellitur. Schr. — *Sit terminus* Ven. Cusp. *fit terminus* Vad. Pith. Huds. *sic terminus* Ambr.

170. *Proceris Cilicum aratris*. Forsan *procurvis*, quod malit Oddius. Huds. Sed versu sequenti recurrit « Curva salo forma est ». Et similiter Avien. v. 354: « quæ longi pondere aratri Sollicitavit humum ». Scaliger etiam huic voci obelum adposuit, sed in promptu sunt Veterum loca, Plin. II, 123, 14; Colum. II, 223, 24; Ovid. Am. III, 8, 41; Pallad. R. R. I, 43, 1, quibus

Curva salo forma est: hinc sese marmora ponti
In Zephyrum torquent, ac flexu lubricus errat
Gurges, et exesas illabitur unda lacunas.
Sic virosorum prolixa volumina sese
Sponte cerastarum facili sub viscere curvant;
Sic spiras crebro sinuat draco, seque vel orbe
Colligit inclinans, vel pronis agmina longe
Tractibus absolvit: stridet nemus undique totum,

docemur, olim et graviora et minora aratra fuisse. HUDS. *Procerum* aratrum satis, ni fallor, probat Virg. Georg. I, 171, ubi de buri: « Huic a stirpe pedes temo protentus in octo ». Videndus ad h. l. Heynii V. C. comment. et in nostra edit. Excursus de aratro Virg. t. I, pag. 332. ED.

173. *Illabitur unda lacunas.* Sic in Phænom. 740: « blandusque illabitur herbas Sirius ». SCHR. Aliter Noster supra v. 20. W.

174. *Virosarum cerastarum,* forte *virosorum.* Κεράστης enim Græcis est masculino genere, neque alio efferunt. Isid. Orig. XII, 4: « Est enim flexuosus ». Claudian. Rapt. Proserp. II, 346: « Extendunt socios ad pocula plena cerastas ». Add. Stat. VIII, 764, et XI, 65; Lucan. IX, 715, VI, 679, ubi vid. Oudend. *virosarum* autem finxisse librarii videntur, ut sono conveniret sequenti *cerastarum.* SCHR.

175. *Sub viscere.* Conf. not. ad vs. 80. *Viscera* pro omnibus corporis membris. W.

176. *Spiras crebras* citat Drakenb. ad Sil. VI, 276. *Creber invadat* Ambr. sic citat Heins. ad Virgil. Æn. XII, 862. SCHR.

177. *Colligit inclinans.* Vid. Heins. ad Virgilium, loc. cit. « Alitis in parvæ subitam collecta figuram ». Sic et alibi eo verbo utitur Maro pro *contrahere,* in Georg. II, 154: « neque tanto Squameus in spiras tractu se colligit anguis ». Ibi latissime Heinsius: sed et aliena miscet, ut Silii X, 3: « Adsilit in ferrum, et per vulnera colligit hostem », leg. vero est *corripit.* Mecum facere video Markl. ad Stat. V, præf. p. 238. a. S. De Silii loco non adsentio. W. — Higtius distinguit « ...inclinans vel pronis agmina longe »; sed *inclinans* hac in sententia superfluum videtur, quia *pronis* sequitur. Forsan *agmina longa* conj. Huds.

178. *Tractibus absolvit.* Higtius distinguit: « inclinans vel pronis agmina longe Tractibus absolvit ». An *exsolvit?* Simplex est v. 602, ubi de Pithone: « Sanguinis et cassus prolixa volumina solvit ». Virg. Georg. III, v. 423: « Quum medii nexus, extremæque agmina caudæ Solvuntur, tardosque trahit sinus ultimus orbes ». SCHR. — *Stridet nemus undique totum.* Higtius: « stridet nemus undique: totam Pestifero adflatu serpens vagus inficit æthram ». Pro vulgata facit Virg. Ecl. I, v. 11: « undique totis Usque adeo turbatur agris »; et Dionys. vs. 124: τῷ δ' ὑπὸ πᾶσα βαρύνεται οὔρεος ἄκρη ἐρχομένῳ. SCHR. — Va-

Pestifero adflatu serpens vagus inquinat æthram.
Haud secus illapso penetrantur litora fluctu,
Et rursum tellus init æquora: jugis ubique
Mugitus pelago est, gemitu loca cuncta resultant.
  Imminet huic late Pamphylia, subluit illic

dianus distinxit « stridet nemus undique totum Pestifero adflatu: serpens vagus, etc. »

179. *Vagus inquinat æthram.* Utitur hoc loco N. Heinsius ad Ovid. Metam. III, 76: « quaque halitus exit Ore niger Stygio, vitiatas inficit auras ». Schr.

180. *Haud secus.* Quoniam Avienus hac formula utitur post geminatum *Sic* v. 174-176, Virgilius vero plurimis locis in comparatione uti solet vocibus « Ceu...Haud aliter », ut Æn. VII, 377-383, X, 723-729, hinc Schraderus pro *Sic* corrigendum conjicit *Ceu*, ut ratio comparationis constet; et convenire aliquo modo ait *Sic*, *ceu*. Confert etiam Ovid. Met. XIV, 825, quo loco in codd. permutata *ut*, *sic*, *ceu*. Vid. Heins. Mihi videtur comparatio inversa et imperfecta esse, in qua *Sic* refertur ad priora. Et in *Haud secus* est repetitio vel continuatio eorum, quæ vs. 173 dicta erant.—*Aut secus in lapso* Ven. vitiose. *Haud secus in lapso* Cusp. *inlapso* Vad. Pith. Huds. *illapso* correxit Camers ad Prisc. 119.

181. *Jugis utrique* conj. Heins. infeliciter. Unus sinus Issicus describitur, aut mare Pamphyliæ. Schrad.

182. *Loca juncta resultant.* Heins. Ovid. Metam. I, 573: « sonitu plus quam vicina fatigat ». Schr.

183. *Imminet*... et rell. ad v. 187. Salmasius ad Solin. p. 548, a. E. recitatis Dionysii versibus tribus 127-129, hunc eorum sensum manifeste esse adfirmat, Pamphylios Issici sinus excurrentem in terras partem circum habitare, quo usque procedit ad Chelidonias insulas: promontorio autem Patareo ad Occidentem terminari. Nempe Issici sinus terminum ad Occidentem esse Pataram promont. Subjungit deinde utriusque latini interpretis versus, atque eos ait locum Dionysii plane aliter accepisse. Schraderus contra existimat, Salmasium ipsum mentem Poetæ non intellexisse; neque enim eum dicere, Issicum sinum adluere *alibi* Pamphyliam imminentem, *alibi* Chelidonias insulas subluere. Porro disceptat, an legendum sit *hinc* cum Huds. vel *Imminet huic*, scil. Issico sinui, pelago: quam in rem comparat Dionysii verba: τοῦ μὲν ἐπὶ προβολῇ (sic Salmas. sed in Dionysio est προχοῇ), et Or. marit. 622; Plin. I, 243, 18, I, 347, 17. Tandem conjecturam proponit: An *Eminet?* Sic *hic*, *illic* servari debet. Pariter *hic illic* de eodem loco, vs. 206, 316, 478, 601, 608, 907; Or. marit. 527, 530. Eamdem, inquit ille, conjecturam *Eminet hic* olim mecum communicavit Wassenberghius. Schr. Ego, si quid video, legendum esse existimo *Imminet huic*, h. e. adjacet sinui Issico Pamphylia, qui plane sensus est Dionysii, v. 127, τοῦ μὲν ἐπί. Neque in cæteris Avienus discedit ab eo,

Unda Chelidonias, illisum murmurat æquor,
Sæpius et crebra spumescunt æquora rupe,
Ac rursum in Zephyrum vada semet cærula curvant.

ut Salmas. putat, modo verba ejus recte intelligantur. Nempe *subluit illic* interpretor, ubi ejus Pamphyliæ finis est, unda Ponti Issici Chelidonias, quæ Pamphyliam terminant, adluit. *Illic* de extremitate vel fine percommode accipitur, idemque innuit verbum *subluit*. Quippe verba ejus compositionis, ut *subjicere*, *subdere*, *subjungere*, notare solent ad calcem vel finem addere. Denique terminum Issici ponti Pataram esse idem significat versu 187, ubi aptius legitur *Terminus hic*, scilicet *æquoribus*, quod præcessit. W. — Et aptissime intellexit Papius, qui v. 129 : « Et tandem ad Zephyrum Patareia clauditur arce ». Ed. — *Pamphylia*, quæ nunc *Menteseli*, clauditur a Septemtrione Galatia, ab Oriente Cilicia et Cappadocia, a Meridie suo mari quod Pamphylium vocatur ; ab Occidente Lycia. Ed.

184. *Subluit unda Chelidonias*. Sic vs. 557 : « citus Hadria rursus Subluit hanc fluctu ». Schr. — *Unde Chelidonius* Cusp. *Unde Chelidonias* Pith. Huds. *Unda* correxit Camera ad Prisc. 126, quem sequutus est Vad. et sic emendant Salmas. ad Solin. p. 548, Heinsius, Hudsonus, qui simul distinguit « Unda Chelidonias, illisum murmurat », vel « Subluit illic, Unde Chelidoniis illisum, etc. » Schraderus recipit *Unda*, alteram conjecturam pro inepta habet.

185. *Crebra spumescunt æquora rupe*. An de duabus vel tribus insulis (Chelidoniis) ita loqui potuit? Fuerunt inter Chelidonias et Rhodum plura νῆσια, teste Strabone apud Cellar. p. 227 : easne intelligit? vix puto. Dionysium enim interpretatur. An : « Sæpius et crebro spumescant æquore rupes? » Confer Progn. 74, ubi et *crebro* pro *sæpe*. Schr. *Crebra rupe* est e poetica exornatione et per inversionem dictum, pro « rupes æquore spumescunt », et *rupes* intelliguntur litoris, et versu 190 dicuntur *saxosæ ripæ*. W.

186. *Terminus hic cautes Patareidis... Ac rursum in Zephyrum*. Variis tentari modis hic locus potest. 1° Forte *Terminus huic*, quia Dionys. v. 129, Σῆμα δ' ἔχει, nempe κόλπος : et Priscian. 127 : « At procul hunc Zephyrus finit Patareide summa » ; ipse quoque Avienus supra vs. 22 : « Finis huic Gades ». 2° Forte transponendum : « Ac rursum in Zephyrum... Terminus hic cautes, etc. » 3° Forte sic : « Terminat hunc cautes Patareidis eminus arcis » ; quia Dionys. τηλόθεν, Prisc. *procul*. Sed vulgatæ favet vs. 684 : « Qua frons tenta salo Patareidis eminet arcis ». Avienus enim sæpe dimidios, atque adeo totos pæne versus repetit. 4° An *Terminus his?* Schr. Mihi valde blanditur trajectio versuum secundo loco proposita, Wassenb. Atque ego non dubitavi in ipso textu sic transponere versus, quia omnino ad ordinem verborum Dionysii æque ac Prisciani sic melius respondent. W. — *Ac rursum in Zephyrum* : sic Cusp. Pith. Huds. Sed Camers ad Priscian. 128 legendum putat : « Ac rursum in Boream », idque reio ipsam et lo-

Terminus his cautes Patareidis eminet arcis.
Hinc salis Ægæi tractus tonat, inque Bootis
Plaustra dehinc rapidi flectuntur marmora Nerei,
Saxosis Sporadum sæpe obluctantia ripis.
Non aliud tanta consurgit mole profundum,
Non sic curva Thetis fluctu tumet: extimus olli

cum Prisciani puscere: «Post hæc Arctuas ad partes adspice rursus». Lectiunem Camertis adoptavit Vad. Sed mihi perperam videtúr Camers dictum versúm Prisciani cum hoc Avieni luco comparare: debebat præcedentem: «At procul hunc Zephyrus finit Patareide summa». Quod etiam vidit Schraderus.

187. Huds. legendum putat *Terminus hinc*. Alias conjecturas Schraderi vide not. supra: *hic cautis Patareidis* Ven. et Cusp. Legu *Terminus his*. — Nempe *vadis*, de quibus vs. præced. et ita Dionysius certissime voluit. Ed.

188. Pro *Hic* forte *Hinc*, quia Dionys. 130, ἐκ κείνου, et Priscian. 128: «Post hæc Arctoas ad partes, etc.» Pro *tonat* Huds. *sonat*, male. — *Inque Bootis*. Heinsius ad Virgil. Æn. I, 120: «fortis Achati». Sic apud Avienum in Descript. Orbis passim *Booti* pro *Bootis* opinur scribi debere, ut est insignis ille antiquitatis æmulator. Sed in codicibus nullo loco tale quid invenias: quare vulgatam ubique servo. Cæterum aut fallor, aut legit Dionys. v. 130: φράζεο δ' ἐκ κείνου τετραμμένος αὖθις ἐπ' ἄρκτους Αἰγαίου πόντοιο πλατὺν ῥόον (in Dionys. est πόρον). Schr.

190. *Obluctantia ripis*, i. e. litoribus, ut Horat. Carm. III, 36: «Æquoris nigri fremitum et trementes Verbere ripas». Vid. Heins. ad Ovid. Her. VI, vs. 54: «Milite tam forti ripa tuenda fuit». Lactant. de M. P. cap. 36: «Diversas ripas armati tenebant». Sermo autem est de Propontidis litoribus. Vid. Columb. Schrad. — *Sæpe abluctantia* scribit Cusp.

191. *Non aliud tanta*. Plane similem locum habes infra v. 1178, seq. W. — Schraderus conjecerat aliquando *Non alibi*, quia sic v. 202: «Proxima non alibi tantum divortia cernas». Nunc addit obstare Dionysianum ἕτερος.

192. *Curva Thetis* nolim repudiare: nam intelligit mare procellosum, curvos undarum sinus volutans, ut apud Lucil. in Ætna, 489: «Sicut quum curvo rapidum mare cernitur æstu». *Curvatas undas*, ut hic, Ægeo tribuit Silius, I, 472, ad quem locum Oudendorp. pluribus locis significationem *curvi* vel *curvati* maris adstruit, etiam Nostri versu 296: «Curvatumque salum quatit ampla litora fluctu». W.—*Non sic curva Thetis:* sic Cusp. Vad. Pith. Huds. Sed Camers ad Prisc. 128 vult *Non sic cuncta Thetis*, conformiter ad Prisciani locum: *Superat qui fluctibus æquora cuncta*. Vetus Ven. habet *curia* pro *cuncta*. Sed Schraderus in not. legendum conjicit *Non sic ulla*, idemque sibi, nondum inspectis Schraderi adnot. in mentem venisse adfirmat cl. Wassenb. Addit ille, Oudendorpium, quum in Obs. Misc. vol. V, p. 69

In Tenedum cursus, pelagi caput incipit Imbro.
Cespitis hinc proni protendens dorsa Propontis,
Flatibus ex Boreæ tepidum procumbit in Austrum,

conjiceret leg. *Non sic curva Thetis fluctus tumet*, bene abjecisse: sed tales emendationes unius assis non facio.—*Curva Thetis*. Sic Rutil. It. I, v. 315: « Tenditur in mediis mons Argentarius undas, … cærula curva premit ». En.

193. *Extimus olli in Tenedum cursus*. Male cepit verba Dionysii, v. 135: Οὖρον δ' εἰς Τένεδον τεκμαίρεται ἐσχατόωσαν. Οὖρος Dionysio mascul. ἐσχατόωσαν referendum ad Τένεδον. Eumdem errorem interpres latinus Poetæ cummisit, limitem vero in Tenedum terminat extremum. Schr. Debebat Avienus scribere, cursus illi mari est ad extremam usque Tenedon, vel ad extremitatem Tenedi. Neque minus peccavit Avienus in iis quæ adjicit. Quum enim Tenedum quidem secundum Dionysium accepisset de extremo fine maris Ægæi, jam Imbron insulam contra Dionysium, qui dicit ex altera parte Ægæi esse, perperam facit principium Propontidis: *pelagi caput incipit Imbro*. Hoc colligo ex pelagi nomine, quo plerumque solet minora maria, terris interjecta, insignire. Vid. v. 905. W. — *Caput incipit Imbri* omnes exhibent præter unum Vadian. qui correxit *Imbro*, recte. *Intimus Imbri* conjecisse Schraderum notat Fries. sed Schraderus non agnoscit. Est fortasse Heinsii conjectura, qui sic exprimi putavit ἑτέρωθεν, 136.

194. *Cespitis hinc proni protendens dorsa Propontis*. Videtur hoc loco Propontis, ut Pontus, regio ad Propontida dici. Eo ducunt verba *Cespitis hinc proni*, et quæ sequuntur, *populos alit ubere terræ*. Vix aliter capi potest; deest tamen exemplum. Præterea Avienus male expressit Dionysium, qui v. 136 non de ipsa Propontide, sed de augusto αὐλῶνι loquitur, tracto versus Boream intra Propontidem. Schr. Sic quidem recte interpretatur Schraderus, fateor tamen, verba Dionysii sic facile accipi potuisse ab interpretibus, ut αὐλὼν ille diceretur esse intra Propontidem, adeoque Propontis haberetur pro litoribus vel regionibus Propontidi adjacentibus. Quod Avienus *cespitem pronum* dicit, hujus eadem est ratio, ac quæ sequentium *procumbit in Austrum*. Vid. not. ad vs. 35. W. — Pro *Cespitis* Schrad. tentat *Gurgitis*, ut Propontidi conveniat. *Hic proni* ediderunt Cusp. Vad. Pith. *hinc* Huds. quod Schraderus probat ex Dionys. 136, ἔθεν. Pro *protendens* Ambr. *pendens*; unde Schraderus tentat legere *propendens terga*, quia certe proni pendere dicuntur; obstare tamen fatetur, v. 860: « Tanais… in salsam protendit terga paludem ».

195. *Flatibus ex Boreæ*. Recte monet Schraderus, hoc contra Dionysium esse, qui v. 137 Βορέηνδε. Auget errorem, quod statim adjicit, *tepidum procumbit in Austrum*. Hoc enim Dionysius non de Propontide, sed de populis terræ Asiaticæ subjicit. Avienus traxit ad Propontidem, quia hoc nomine non pelagus solum, sed regiones adjacentes complexus est, male quidem, saltem minus accurate et distincte.

Immensæque Asiæ populos alit ubere terræ.
Hinc arctas inter fauces atque obvia saxa
Thracius angustas discludit Bosporus oras,
Bosporus Inachiæ subvector virginis olim.

Multo accuratius hæc exprimit Prisc. v. 132 seq. W. — *Procumbit in Austrum*. An *procurrit?* Huds. Sed vs. 35 ita præcessit : « Via obliqua sali tepidum procumbit in Austrum ». An igitur et illic *procurrit?* Certe *procursus* Oceani memorantur vs. 555 et 803. Sed et alius locus vulgatam defendit, v. 1055 : « Ora Syrum curvi procumbens litoris acta In Notum et Eoi, etc. » Schr. Cur *procumbit* minime mutandum sit, ejus rei rationem satis gravem adtuli ad vs. 35.

196. *Alit ubere terræ*. Hudsonus dicit, malim *terra*. Sed prior lectio multo elegantior est. Nam ut Græci dicunt οὖθαρ ἀρούρης, sic Virg. Æn. I, 531 : « potens armis atque ubere glebæ ». Prisc. Perieg. 218 : « Atque trahens limum complectitur ubere campus ». Auctor Anglus in Obs. Misc. vol. I, tom. II, pag. 274. Ad hæc citat Schraderus, Juret. ad Symm. p. 314; Pricæum ad Apol. Apul. p. 189. — *Ubere terræ* omnes editi.

197. *Hinc arctas inter fauces*. Pro his videri posset legendum *arctas cautes*, quia *cautes* et *saxa* conjunguntur v. 430 : « Porro inter cautes et saxa sonantia Rhenus ». Virgil. Æn. III, 699 : « Hinc altas cautes projectaque saxa Pachyni Radimus ». *Arctas* tamen *fauces* defendit Prisc. 133 : « Angusta trahitur qua fauce Propontidis unda ». Et fauces forte rectius arctæ dicuntur, quam cautes. Schr. Adde nostri v. 640. W. — *Hic arctas* legunt Cusp. Vadian. Pith. sed *Hinc* cum Hudsono legendum esse probat Schrad. e Dionys. 140 : τῇ δ' ἐπὶ θρηϊκίου στόμα. B. et Priscian. v. 135 : « Threicius sequitur post Bosporus ». Cæterum concinnius hunc et sequentem versum format Schraderi conjectura : « Hinc arctas intrat cautes, atque obvia saxa Thracius angusto discludit Bosporus ore ». Diserte Dionys. v. 140, vocat στόμα Βοσπόρου. Noster, v. 200 : « terraque parci Faucibus oris hiat » ; et vs. 222 : « adversusque dehinc se Thracius arctat Bosporus, et tenui vix panditur oris hiatu ». Loco τοῦ *obvia* Ambros. habet *obuli : forte oblisaque saxa :* nam *collisas* dixit inf. v. 211 : « Seu quod collisas Thetis indignata per arces ». Sic Heins. Sed ibi de Cyaneis errantibus agit, hic de saxis ab utraque Bospori parte imminentibus, quæ quomodo dici possint *oblisa*, non intelligo. *Obuli* est *obvii*, ut *l* et *i* sæpe permutantur. Schr. Sic conjecturam Heinsii, quam Schradero tribuit Friesem. repudiat Schraderus.

199. *Inachiæ subvector virginis*. Subvector, qui subvectat, quasi portitor. Fortasse unius Avieni vocabulum est. Alias *vector* navis, *vector* equus. *Inachia virgo*, Io Inachi fluminis filia. Fabulam de Io in vaccam mutata, et furiis a Junone immissis per terras et maria fugata, narrant e poetis Latinis, Ovid. Met. I, a versu 588. Idem, Her. XIV, 85 seqq. Val. Flacc. IV, a v. 348, ubi Orpheus canit. Ero-

Nam vicina sibi stant litora, terraque parci
Faucibus oris hiat, pronam sinus evomit undam:
Proxima non alibi tantum divortia cernis
Cespitis: hac pecoris cursu sternacis in æquor

res ejus enarrat Apollodorus, Bibl. lib. II, cap. 1, et ad hunc Heyn. v. clariss. not. part. I, pag. 255 seq. W.

200. *Nam vicina sibi stant*, ut infra v. 694: « Et vicina sibi lambit confinia pontus ». W.

201. *Parci Faucibus oris*, i. e. modici. Contra vs. 790: « immodici late patet oris hiatus ». Verba « pronam sinus evomit undam » explicet aut illustret alius locus, vs. 640: « Urgent angustæ marmora fauces, Arctaque præcipitant properum confinia pontum ». W. — *Prona sinus evomit unda* vulgarunt Pith. et sequiores. Hudsonus corrigit *pronam undam*, summopere id probat Schr. sed Cuspian. et Vadianus ante hos omnes clare perscripserunt *pronam sinus evomit undam*. Schraderus præterea codicis Ambr. auctoritate id confirmari ait, et addit, requiri quartum casum, ut vs. 423: « tum cæruleum Padus evomit autro Flumen »: sinum autem esse ipsum Bosporon, ut vs. 247 sinus dicitur Cimmeriis.

202. *Proxima non alibi*. Contra Val. Flacc. IV, 714: « Non alibi effusis cesserunt longius undis Litora ». Schr. — Pro *tantum* Venet. *tm* exhibet: *tanti* legit Heins. item Huds. nullo sensu, ut ait Schrad. Requiritur *tam tu*, vel *sibi tam*, ut vs. 233: « Proxima celsorum sic sunt sibi dorsa locorum, Ut ». An forte: « Proxima non tam alibi tanti divortia cernas Cespitis ». Schrad. Ego vix dubitaverim scriptum esse ab Avieno: « Proxima non alibi sibi tam divortia cernas ». Exciderat *sibi* ob similitudinem præcedentium syllabarum in *alibi*, et hiatum versus inde ortum librarius utcumque supplere tentavit compendio voculæ *tm*.

203. *Pecoris cursu sternacis*. Sternax quidem proprie de equo dici solet, qui vel erigendo se, vel cernuando sessorem effundit, ut apud Virgil. Æn. XII, 364: « sternacis equi lapsum cervice »; hic tamen, ubi de pecore exterrito et fugiente sermo est, ita accipiatur necesse est, ut consternati equi dicuntur, atque ut Gellius, XV, 22, de cerva Sertorii: « festinatione ac tumultu consternata in fugam se prorupit ». Certe sequioris ætatis scriptores *sternacem* ponere pro trepido et consternato solent, ut quando Sidon. Apollin. Epist. IV, 12: « Respondit ipse, quamquam esset trepidus et sternax, et præ reatu balbutiret ore ». Glossa Isidori: « Sternaces, pavidi ». Male igitur Drakenb. ad Sil. I, 261, nostrum Avieni locum cum illo Virgilii equo sternaci comparat. W. — *Hæc pecoris* habet Ven. et Cusp. *hac* voluit Camers ad Prisc. 136, idque expresserunt Vadian. Pith. Huds. sed *hoc*, scil. æquor voluit Vlitius ad Nemes. 17, et Heins. atque unice verum pronuntiat Schrad. *pecoris dorso* habent omnes edd. sed hoc stare non potest, quia Inachis non dorso pecoris vecta, ut de Europa narrat Manil. II, 490, sed ipsa in pecus

Inachis illata est; sic pectus canduit ira,
Pellicis et tanto Divam dolor extulit igni.
Illic instabili fama est sale saxa moveri,
Inferrique sibi flabris urgentibus oras:

mutata Bosporum tranavit. Pro *dorso* igitur Schraderus conjicit *forma*. Ego malo *cursu*, quod *dorsa* similins et aptius τῷ *sternacis* est: hoc enim trepidom vel exsternatnm significat, quod de ipsa Io usurpat Ovid. Met. I, 641. Eodem ducunt omnia poetarum loca, quæ *fugam*, *vias*, *labores* Ius ominant, et diserte Ovid. Her. XIV, 101, de Io: « Per mare, per terras cognataque flumina curris ».

204. *In æquor illata est*, sc. cursu, ut Ceres « Dea coocita cursu Fertur » apod Ovid. Fast. IV, v. 461: atqoe ut de ariete Phryxi Val. Fl. I, 281: « Anreus et jnvenem miserantibus intulit undis Vector ». Cursum et ingressum in æquor lnculentius describit Valerins Flaccus, Argooautic. lib. IV, 401 et sequent. « per urbes Raptatur Graias, atque ardua flumina ripis: Oblato donec paollum cunctata profundo Iocidit: absistuot fluctus, etc. » W. — Amplector distinctionem hnjus loci, quam Vadianus editione sua constituit, et Schraderns probavit: « Sic pectus canduit ira, Pellicis et tanto Divam dolor extulit igni. »

205. *Pectus canduit ira Pellicis, et tanto*. Vlitios ad Nemes Cyn. 17, bunc locnm Avieni addocens notavit, pellicis nomine Junonem designari, et videri subinde id nomeo poni pro noverca. Equidem uonnumquam pellicem Juoonem eximie dici, fateor e Nemesiani loc. cit. et alio auctoris de Laud. Herc. (qui idem Nemesianus est) v. 47, adparere, et lncnlenter eam vocis potestatem exposuit Barth. ad Stat. Theb. VII, v. 160. — Et videantur qnæ notata suot ad hnnc locum hnjus Op. nost. t. I, part. II, pag. 299. Ed. — Sed tamen non necesse est ad eam notiooem decurrere, *ira* quippe *pellicis* est in *pellicem concepta*. Nihil clarius Ovidii locis, Met. IV, 277: « quem Nymphæ pellicis ira Contulit in saxum: tantus dolor urit amantes »; et ibid. vs. 234: Invidit Clytie, stimulataque pellicis ira Vulgat adulterium »; ubi vide Burm. Sic *dolor pellicis* apnd Quintil. Declam. X, 9, quem Ovidius *de pellice* dixit. Eamdem distinctionem olim mibi propooebat Wasseoberghius. Schr. — *Et tanto Divam dolor extulit igni*. Val. Flacc. II, 660: « utinam nunc ira Pelasgos Efferat ». Alcim. Avitos, V, 629: « Effertur nigri dux agminis, et Pharaonem Ira subit ». Cæterum boc loco videntur sequi debere vs. 253 et 254: » Huic miraote salo, etc. » Schr.

206. *Illic instabili fama est sale saxa moveri*. Virg. Æneid. V, 866: »Tum rauca assiduo longe sale saxa sonabant ». Schr. — *Saxa movere* dedit Cusp. sed *moveri* correxit Camers ad Priscianum, vs. 136; reliqui pariter.

207. *Inferrique sibi fl. u. oras*, i. e. concurrere et collidi, fere ut supra v. 197 *obvia saxa* vocabat. Sic in Prognost. v. 100: « si moles magna utriusque Occurset sibimet velut obvia ». W.

Hic rigidas errare ferunt per marmora cautes,
Et nunc ora sali vastas prætendere rupes,
Nunc aperire sinum : gemit amplo murmure pontus,
Seu quod collisas Thetis indignata per arces
Sæviat objectis; seu quod brevis exitus undas
Exserat, et strictis eructet faucibus æquor.

209. *Et nunc ora sali.* Malim *arva solo*, aut *arva soli;* ut v. 149, aut *ora salo* eum Oddio. Hudsonus. *Ara* habet Ambr. quod ducere videtur ad *arva*. An igitur emendandum «arva sali vastas prætendere rupes?» Virgil. VIII, 695 : «arva novà Neptunia cæde rubescunt»; ubi Cerda Sedulium citat, III, 227 : «Et vasti premit arva freti». Schrad. Ego malo *ora sali*, nempe illius, quod est inter duo saxa.

210. *Amplo murmure* defendit Schraderus comparato Progn. 102 : «amplaque late Murmura discurrunt». Et Apul. Met. III, p. 137, not. Pric. «rursum præconis amplo boatu citatus accusator». Vid. Pricæum ibi notantem. Schn.

211. *Indignata per arces.* Habuit Avienus ante oculos Virg. Georg. II, 162 : «Atque indignatum magnis stridoribus æquor». Barthius ad Claud. p. 1129, a. sic distinguit : «Seu quod collisas Thetis indignata per arces Sæviat, objectis seu quod brevis exitus undis». Sed obstant sequentia : «seu quod brevis exitus undas Exserat, et strictis eructet faucibus æquor». —*Per artes* Cusp. perperam : *arces* reliqui. *Indignata* ad modum Virgilii, qui de ventis carcere inclusis Æn. I, 55 : «Illi indignantes magno cum murmure montis Circum claustra fremunt».

212. *Sæviat objectis, seu quod.* Sic distinguunt omnes edd. Barthius ad Claudianum avellit *objectis*, et deinceps legit *undis*. Higtius tentavit : «Sæviat objectas seu quod brevis exitus undas Exserat». — Sed hoc Wernsdorfio minus probandum videtur. Ed. — Sed vix fero *objectas undas*. Forte *objectis*, servata distinctione recepta, explicandum : *in obvia*. Sed legamus potius *adjectas undas*, mutata nempe distinctione, ad exemplum illius in Eleg. ad Liv. v. 226 : «Vix capit adjectas alveus altus aquas». Schr. Sed in eo loco *adjectæ aquæ* sunt lacrymarum flumina, quæ Tibris adjicere aquis suis dicitur. Igitur hic locus non satis aptus est nostro. Hinc Ovidius in simili versu, Am. III, 6, 86, «admissas aquas» dixit. Sanum esse videtur *Sæviat objectis*, eo sensu, quo ipse explicat Schrad. Nempe *sævire* cum tertio casu poni posse, docet Ovid. Her. IV, 148 : «Qui mihi nunc sævit, sic tibi pareat amor». Sic etiam apud Valer. Flacc. VI, 613, «stabulis opimis sævit» positum existimo pro *in stabula opima*. W.

213. *Undas Exserat.* Heinsius conjiciebat *Egerat*, quod firmari potest verbis Plinii, Epist. VIII, 20, 9 : «Idem lacus in flumen egeritur». (Add. Luc. V, 464. W.) Sed displicet Hudsoni conjectura *ac arctis*, primo, quia *ac*, seq. vocali, non ponitur (vid. Oud. Ind. Suet.); deinde, quia criticæ regulis plane

Interius lato Pontus se gurgite fundit,
Undarumque procul latus explicat, aurea Phœbi
Qua rota purpureo repetit convexa sub ortu.
Sic obliqua maris panduntur denique dorsa,
Ut matutinis inclinent æquora habenis,
Longior ac Boreæ concedat gurges in axem.
Pontus enim nostræ sinus est amplissimus undæ.

repugnat. Si enim centum codices offerrent *arctis*, unus *strictis*, hoc acciperem : nam *strictus* est *arctus*, *adstrictus*. Conf. Heins. Adv. p. 32. Totus locus sic cohæret : « brevis exitus exserat undas, et. . . eructet æquor ».—*Eructet faucibus*. Similiter Noster de fonte Tanais fl. v. 862 : « Arduus istum Caucasus eructat » ; et Val. Flac. IV, 345 : « Qua rigidos eructat Bosporos amnes ». Confer supra v. 201. W. — Pro *Exserat* Heins. volebat *Egerat*, quod perperam Schradero tribuitur in edit. Fries.

214. *Interius lato*. Schraderus observat, Avienum apud Dionys. v. 146 legisse ἔνδοθι, non, ut hodie vulgatum est, ἐγγύθι.—Similiter variatio τοῦ ἔνδοθι pro ἐγγύθι adparet vs. 82 Dionysii, ubi vulgo scribitur ἐγγύθι, sed Papius amplectitur ἔνδοθι. Hunc autem versum bene exprimit Papius, vs. 146 : « Explicat inde amplo propter se corpore pontus ». Certe male cohærent vs. Avieni 214 et 215. Ed.

217. *Panduntur denique dorsa*. Legendum puto *tenduntur denique dorsa*, quia Dionys. v. 146 παραπέπταται habet, et v. 148 ἐπιτροχάουσι· et usus hujus verbi hac in re apud Avienum valde frequens. Conf. v. 194, 644, 768, 860. Schr.

218. *Inclinet æquor* Venet. Pith. *inclinent* Cusp. et Vadian. *Inclinent æquora* vult Hudsonus, cui adsentit Schraderus : nec aliter in Ambr. legi adfirmat : *Inclinet in æquor* Schradero tribuit Fries. sed Schraderus ipse refutat. — *Inclinent* emendaveram : nec aliter A. Quapropter admittere non timui. Heinsio placebat : *inclinet in æquor*; quod intelligi nequit. *Inclinare* cum dativo reperitur v. 1012 : « Inclinata mari » ; et Or. mar. v. 655 de sole : « quum lumen axi Atlantico inclinaverit ». (Add. Nostri v. 26, 321, 769. W.) Singulare vero est *matutinis habenis* pro sole oriente. Sed Solis nomen omissum videtur propterea, quod præcedit : « aurea Phœbi Qua rota purpureo repetit convexa sub ortu ». Schr.

219. *Longior aut* Ven. Cusp. et Pith. *at* edidit Vad. *ac* corrigit Schrad. e Dionysii, vers. 149 : πρὸς βορέην τε καὶ ἀντολ. et Prisc. v. 139. *Boream Solemque*. *In axe* habent omnes edd. sed *axem* corrigunt Heinsius, Hudsonus, Higtius, Schraderus.

220. *Pontus enim nostræ*. Hic versus et tres seqq. additamentum Avieni sunt non necessarium, connectendi forte caussa ab ipso fictum : in fine enim quædam adtexit, quæ transitui inserviant : « tenui vix panditur oris hiatu. At qua didu-

Hic Asia ab lævis præcingitur, Europamque
Excipit, adversus quam dehinc se Thracius arctat
Bosporus, et tenui vix panditur oris hiatu.
At qua diducto Pontus distenditur æstu,
Et porrecta mari terræ juga longius intrant
In pelagus, tractuque vago sua litora linquunt,
Cespite Paphlagonum prodit saxosa Carambis.

eto, etc.» Simillima his sunt Apuleii verba de Mundo, pag: 60, ed. Elm. «Pontus, sinus amplissimus maris nostri». Schr.

221. *Hic Asiæ ab læva*. Non placet Heinsii conjectura: «Hinc Asia ab læva». Sed vix aliter huic loco consuli posse puto, quam si legatur: «Hic (Pontus) Asiæ ab lævis præcingitur, Europamque Excipit adversam: dehinc sese Thracius arctat Bosporus». Compara Valer. Flacc. IV, 725 et sqq. «hyemem sic unda per omnem Aut campo jacet; aut tumido riget ardua fluctu; Atque hac Europam curvis anfractibus angit, Hac Asiam, Scythicum specie sinuatus in arcum». Schr. — *Hic Asia ablevis*: sic Ven. Cusp. Vadian. *Hic Asiæ ab læva* Pith. et Hudson. ed. Ego inhærendum censeo vetustarum lectioni.

222. *Excipit adversus quæ dehinc*: sic Ven. *qua dehinc* Vad. qui distinguit *Excipit adversus, qua dehinc se Thracius arctat*. Pithœus et reliqui ediderunt *Excipit, adversusque dehinc*. Schraderus legendum credit *Europamque Excipit adversam: dehinc sese Thracius arctat*. Mihi placet, patrociuante vetustarum scriptura, legere *adversus quam*, sc. Europam, *dehinc*, etc.

223. *Bospòrus*. Mentionem Ius, quæ Bosporo nomen fecit, ut Priscianus, omittit. Eu.

224. In Ambr. *discernitur* pro *distenditur* esse dicit Schrad. idque probare videtur collato vs. 108: «Sic discreta freto». Nec mihi illud displicet: *æstui* pro *æstu* habet Venet.

225. *Et porrecta mari*. Haud inepta videtur scriptura A. *Ut*, quam et Heinsius probasse videtur. Et adsunt loca similia, v. 154: «Sic Itala tellus Ut circumfusis latus amplum lambitur undis»; et vs. 1058: «namque duobus Ut conclusa jugis, vallis vice, multa cavatur». Si autem hoc recipiamus, post *linquunt* punctum forte ponendum, ut nova periodus incipiat a *Cespite*:...«tractuque novo sua litora linquunt. Cespite Paphiaco prodit saxosa Carambis. Altera se cautes, etc.» Cæterum singulare est *porrecta mari*. An *projecta mari?* quod firmatur Virgiliano hoc, Æn. III, vs. 699: «projectaque saxa Pachyni Radimus». Ad verba *intrant in pelagus* conferri potest Heinsius ad Ovid. Metam. VII, 492: «Attica classis adest, in portusque intrat amicos», ubi phrasis ea pluribus poetarum locis, etiam nostro Avieni adducto, illustratur. Schr.

227. *Cespite Paphiaco prodit saxosa Carambis*. Locus est doctorum naufragiis infamis. Legendum vero cum Hudsono: «Cespite Paphlagonum». Probat hoc Ambr. *Paphia-*

Altera se cautes similis procul arietis ori,
Dura pruinoso qua torpet Taurica cælo,
Exserit, et tenta late premit æquora fronte.
Eminus istà Notum videt, Arctos eminus illa.
Porro inter fluctus ac fusi marmora Ponti

conu, i. e. Paphlagonum. Nam *i* et *l*, necnon *c* et *g* perpetuo confunduntur. Firmat idem Noster, vs. 959: «tum Paphlagonum sata longa patescunt»; et Priscian. v. 760: «Paphlagones post hos, Mariandynique sequuntur». Et sic tandem Noster liberabitur nota, quam Smetius in adpendice, et alii, Poetæ inusserunt. Miror autem non paucos, quum Hudsonus a. 1712 jam verum vidisset, ad hunc scopulum offendisse. Sic enim Forcellinus in Lex. «*Paphiacus*. Avienus... Carambis est in Paphlagonia. Fortasse ibi Paphiæ Veneris templum fuit. Primam autem syllabam metrica necessitate produxit». Paullo circumspectius Gesnerus in Thes. Fabr. «Paphos, Paphius, Paphiacus». Avienus, Descript. Orbis, vs. 227: «Sed ibi de Paphlagonia agitur. Prima enim producta aliam originem arguit». Aliam viam ingressus Oudendorpius in Observ. Misc. vol. V, t. I, p. 74, ita quærit: «Unde illud nomen *Paphiaco*? Agit de Paphlagonia. An ergo *Paphlageo*? Dicta hæc est regio a *Paphlagone*, sive, uti est apud Stephanum, ἀπὸ τοῦ Παφλάγου, quod a viris doctis temere mutandum non fuisse, mihi videtur». Sed a *Paphlagon* formari nequit *Paphlageus*. Nomen autem Παφλάγου apud Stephanum valde suspectum est. Etenim Eustathius, qui eum de more describit, habet Παφλάγονος· quare e corrupta lectione novum et inauditum vocabulum deduci non debuit. Schr. — *Cespite Paphiaco* Venet. Cusp. Pith. Huds. monstrum vocabuli, quod ne metrum quidem patitur. Sed *Paphlagonum* recte Vad. quomodo post hunc correxerunt Huds. et Schrad. ex cod. Ambr. *Paphlagonum* vocem in libris scriptis et excusis varie corrumpi solere, notavimus ad Epit. Hom. v. 519. — Videatur huj. nost. Op. tom. III, p. 560. Ed.

229. *Dura pruinoso qua*. Heins. conjecerat *Cruda* (conf. Drakenb. ad Sil. XVI, 118); sed hæc conjectura non necessaria est. *Dura* terra est frigore durata. Vulgatum tuentur vicina *torpet*... *pruinoso*. Pro eodem facit Avienus ipse v. 55, 250, 452, 456; Or. Mar. 524; Horat. Carm. IV, 14, 50, etc. Schr.

230. *Tenta late premit æq. fronte*, i. e. promontorio late porrecto (ut supra v. 225) imminet, incumbit mari. Adposite hæc illustrat locus Rutilii, I, 315: «Tenditur in medias mons Argentarius undas, Ancipitique jugo cærula curva premit». — Ubi videsis notata, hujus operis tom. IV, pag. 123. Ed. — Et Noster, Or. Marit. vs. 557 de Pyrene monte: «Et arva late et gurgitem ponti premit». Plura ejusdem modi loca produxit Schraderus, lib. Observ. cap. 7, p. 83. W.

231. *Eminus ista Notum videt*. *Ista* hic refertur ad proximum; *illa* ad remotius. Sic v. 577: «Illos prima dies, celer istos adspicit Auster».

Proxima celsorum sic sunt sibi dorsa jugorum,
Quamvis vasta sali moles interfluit arces,
Ut gemini sit forma maris. Sed brachia Pontus,
Finibus Arctois, Eoæ lucis in ortum,
Et qua prona dies atris involvitur umbris,
Molliter inclinans, Scythici speciem facit arcus:

233. *Proxima celsorum.* Proxima sibi esse dicit promontoria, quæ Carambis et Frons arietis vocantur, quum tamen Dionysius adfirmet, adeo non vicina esse, ut trium dierum iter inter ea pateat, v. 154: οὐ μὲν ἐοῦσαι Ἐγγύθεν, ἀλλ' ὅσον ὁλκὰς ἐπὶ τρίτον ἦμαρ ἀνύσσῃ. Sed videtur Avienus hoc loco distinctionem Sallustii usurpasse quem Nonius testatur, in libro de Situ Ponti duo hæc promontoria dixisse *proxima*, etsi longe remota. Sic enim Nonius, p. 524 ed. Paris. « Proximum dicebant Veteres non solum adhærens et adjunctum, verum etiam longe remotum, si tamen inter duo discreta nihil medium exstitisset. Virgil. Æn. V, 320: Proximus huic, longo sed proximus intervallo, Insequitur Salius. Ita et Sallustius in situ Ponti, de promontoriis Paphlagonum, et quod κριοῦ μέτωπον adpellavit, posuit ». Quod hic Sallustius Carambin « promontorium Paphlagonum » vocavit, hinc etiam Avienus, qui Sallustium præ se habuit, supra vs. 227 scripsit « Cespite Paphlagonum prodit saxosa Carambis ». W. — *Sic sunt sibi dorsa locorum. Lacorum* A. *lucorum* Ven. V. forte *jugorum* Heins. Certe Dionysio (vs. 150) hic memorantur κολῶναι, ejusque paraphrastæ his ὑψηλοὶ τόποι: tum solennis est ista literarum permutatio (vide ad vs. 227). Favet præterea epitheton *celsorum*, quemadmodum apud Ovidium, Fast. II, vs. 306: « Vidit ab excelso Faunus utrumque jugo », ut ibi habent codices quidam pro *loco*. Denique pro Heinsii conjectura facit ipse Avienus, v. 225: « Et porrecta mari terræ juga longius intrant In pelagus ». Schr. — *Dorsa locorum:* sic habent Cusp. Vad. Pith. Huds. — Sed *jugorum* cum Schradero in textum admitto. Ed.

235. *Sed brachia Pontus Molliter inclinans.* Sic supra vs. 25: « inclinans geminis se cornibus ». *Brachia* poetis litora et margines terrarum sunt, ut Ovid. Met. I, 13: « nec brachia longo Margine terrarum porrexerat Amphitrite », sicut et moles sive aggeres, quibus portus muniuntur. Sueton. Claud. cap. 20: « Portum Ostiæ exstruxit, circumducto dextra sinistraque brachio ». Et Juven. XII, 76: « porrectaque brachia rursum, Quæ pelago currunt medio. W.

238. *Scythici speciem facit arcus.* Servius ad verba Virgilii, Æn. III, 533: « Portus ab Euroo fluctu curvatus in arcum », in arcus, inquit, similitudinem, ut: « Excisum Euboicæ latus ingens rupis in antrum », id est, in antri similitudinem. Sic de Ponto Sallustius, unde hic tulit colorem, *nam speciem efficit Scythici arcus.* Conf. Burmanni notam ad istum locum. Wassius Sallustii verba a Servio citata retulit

At tepidi de parte Noti directior oram,
Continuumque jacens, rigidi sub imagine nervi
Tenditur: excedit confinia sola Carambis
In Boream vergens. Boreali rursus in Arcto
Ore sinus patulo Mæotidis alta paludis

in Fragm. p. 104 (p. 150 ed. Hav.) Quod vero Sallustius formam Ponti Scythico arcui comparavit, idem postea fecerunt alii, ut Strabo, II, pag. 187; Agathemerus, pag. 250; Amm. Marc. pag. 244 (lib. XXII, 8); Val. Flacc. IV, 728; Mela, I, 19, 43; Manil. IV, 753; Plin. I, p. 215, 6; IV, 12, 24. Schr.

239. *Directitur*. Forsan *directa fit*, aut *directum iter*. Huds. Jam cum Oddio malim *directior*. Id. *Divertitur* V. Legendum *directior*. Hoc ipsa res docet; docent præterea Dionys. vs. 158: Ἀλλ' εἴη νευρῆς σημήϊα δεξιὰ Πόντου, ἰθὺ διαγραφθέντα. — Quod exprimit Papius: « Dextera nam reddit nervum: rectissima tota Progrediens ». Ed. — Et Priscianus in Periegesi, 149: « recto trahitur nam linea ductu, Extra quam, etc. » *Directus* est *rectus*, *rigidus*; et opponitur *flexo*, *flexuoso* et *obliquo*; ut v. 842: « nunc autem subrigit idem Obliquas arces, et flexilis aera pulsat: Nunc directa solo tentus vestigia figit »; ubi Dionys. vs. 640: Ἄλλοτε μὲν λοξόν τε καὶ ἀγκύλον, ἄλλοτε δ' αὖτε ἴχνεσιν ὀρθότερον. Idem verbum adhibet v. 765: « Directosque super radios vicinior axi Occiduo inclinat »; ubi exprimit Dionys. vs. 585: Ἀκτίνων ἰθεῖαν ἐπὶ κλίσιν ἐρχομενάων. Sic *iter directum*, quod non deflectit: de quo conf. Pric. ad Apul. Metam. p. 549; Gronov. ad Liv. XXXV, 31, 3; Lactant. p. 10, ed. Bunem. Juvenc. II, 361. Comparativus est apud Gell. IX, 1: « ut ictus directiores fiant ». Sed et hoc amplius pro *ora* lego *oram*. *Directior oram* nempe Ponti. Ut enim « Brachia Pontus Molliter inclinans Scythici speciem facit arcus (sub Arcton et ortum) », sic « tepidi de parte Noti directior oram, Continuumque jacens rigidi sub imagine nervi Tenditur ». Est autem græcismus Avieno frequens, ut v. 823: « indeque sensim In matutinos oram conducitur axes ». Schr. — *Directitur ora*, quamvis vitiosum, servant Venet. Cuspin. Pith. et seqq. *Directior* vero olim jam invenit Vadianus et edidit. Præterea Schraderum conjecisse *derectitur*, cl. Friesemannus notavit, quod a viro doctissimo cogitatum non inveni in notis ejus, et sane mirarer, si invenissem. — *Ora*, fere omnes. Ego monente Schradero et probante Wernsdorf. *oram* in textum recepi. Ed.

240. *Continuumque jacens*: sic edd. Camers tantum ad Prisc. 146 legi *Continuoque*, et vs. seq. *Tenditur* pro eo quod Cusp. exhibuit *Tonditur*.

242. *Boreali rursus in Arcto*. *Boreali rursus ab alto* malit Oddius. Ferri tamen potest et altera lectio. Huds. Sic quidem vs. 84: « boreali fusus ab alto ». Sed hic causa mutandi nulla est. Quid? quod vs. 243 legendum: « Mæotidis alta paludis ». Ita autem *alto* et *alta* nimium vicina fierent. Schr.

243. *Mæotidis arcta paludis Æquora*. Forsan *atra*. An, ut Apollon.

Æquora prorumpunt : Scytha late barbarus oras
Incolit, et Matrem Ponti cognominat undam.
Sola parens Ponto, genitrix hæc sola fluento est :
Hoc se fonte trahunt vaga glauci marmora Ponti,
Cimmerio prolapsa sinu; nam Bosporus illic
Cimmerius fauces aperit : circumque superque

Rh. I, 1114 : φαίνετο δ' ἠερόεν στόμα Βοσπόρου· ubi Schol. οἷον ἀερόεν, ἤτοι ὁμιχλῶδες. Et Val. Fl. de Euxino, IV, 729 : « Illic umbrosæ semper stant æquore nubes? » Utique color niger mari et fluminibus procellosis ac profundis a poetis tribuitur. Vid. Hor. Carm. III, 27, 23, Epod. VIII, 3; Virgil. Æn. VII, 801, Georg. IV, vs. 126; Silius, XVII, 258. Et sane vix ferri queunt *arcta* æquora Mæotidis : sunt enim *vasta*. Prisc. vs. 293 : » Cui finem faciunt Mæotidis ostia vastæ ». Cf. Herod. IV, 86, et illic Wesseling. Forcellinus tamen : « Mæotis *palus* dicitur, et *lacus* et *stagnum*, quia præ Euxino ponto angustum spatium occupat; et quia pluribus in locis vadosa est, et non nisi minoribus navigiis navigabilis ». Sed verius videtur legendum esse : » Mæotidis alta paludis Æquora », quæ exigua est, vel potius nulla literarum mutatio; rei autem quam maxime conveniens lectio, quia mare per excellentiam *altum* dicitur; Mæotidis autem unda mox *Mater Ponti* adpellari perhibetur. Quid ? quod hæc correctio Avieni stylo inprimis convenit. Sic enim Noster, v. 372 : « Et modus est olli Serbonidis alta paludis » ; et v. 392 : » et quæ Tritonidis alta paludis Ut circumfuso populorum examine cingunt ». Si Serbonidis et Tritonidis alta paludis, certe ita vocari poterunt Mæotidis tanto majoris. Avienus autem sui ubique similis est. Easdem locutiones, sæpe etiam versus repetit. SCHR. — *Arcta paludis*. Sic vulgatæ.

244. *Æquora prorumpunt*. Sic Pith. et Huds. ediderunt : sed *prorumpunt* Ven. et Vad. *prærumpunt* Cusp.

245. *Incolit, et Matrem Ponti cognominat undam*. An forte leg. *Accolit ?* Sed *matrem ponti* quod adtinet, conf. Dionys. vs. 165; Herod. IV, 86. Similia contulit Valck. ad Herod. l. c. cap. 52 : in his Melæ locum. Neque aliter frequentantur voces *pater* et *parens*. Ipse Noster pergit : » Sola parens ponto, genetrix hæc sola fluento est » ; idem, v. 437 : » Abnoba mons Istro pater est » : v. 903 de Oceano : « Gurgitis Oceanus pater est » : de eodem in Or. mar. v. 393 : » hic parens nostri maris ». Haud aliter Solin. p. 40. B. « Nigri fluminis quem patrem putant Nili » ; p. 49. C. « Ex illo parente (Choaspe fluv.) Cydnus miram trahit suavitatem » ; p. 16. D. « Pindus Acheloum parit ». SCHR. — Conferantur quæ nos ad Prisciani v. 155 notavimus, tom. præced. pag. 273. ED.

248. *Cimmerio prolapsa sinu*. Sic *prolapsum aquæ* vocabat supra v. 84, quando ex alto per angustas fauces in latius mare provolvitur. W.

249. *Cimmerius fauces aperit*. Leg. *Cimmerias*. HUDS. Cur? Dionysius, vs. 140 : Θρηϊκίου στόμα Βοσπόρου. Avienus, vs. 222 : » se Thracius ar-

Cimmerii, gens dura, colunt. Hic ardua Taurus
In juga consurgit, cælumque cacumine fulcit
Verticis, et celsis late caput inserit astris.
Huc, mirante salo, quondam sese intulit Argo

ctat Bosporus ». Rursus Dionys. vs. 167: Κιμμερίου διὰ Βοσπόρου· v. 549: Κιμμέριον διὰ Βόσπορον. Forte putabat epitheton venustius transponi, ut in « Adstringit Scythicum glaciali frigore pontum », pro *Scythico glacialem frigore*. Schr. — *Circumque superque*. Forte *supraque*. Lactant. Phœn. vs. 91 : « Ore dehinc succos membris circumque supraque ». (V. huj. op. t. II, pag. 359. Ed.) Virgil. Æn. VII, 33 : « variæ circumque supraque Adsuetæ ripis volucres »; et ipse Avienus, Phænom. 858, ubi sic legendum : « Inter nimbiferas nubes spectabilis exstet Ara poli longe, ut glomerent circumque supraque Feta pruinarum se vellera ». Add. Lucret. V, 319; Pacuv. apud Varr. de Lingua Lat. IV, p. 8. Schr.

250. *Cimmerii gens dura colunt*. *Cimmerius* A. Ven. *Cimmerium* V. Prior lectio repudianda, posterior non spernenda est. An vero hoc pro *Cimmerion* accipiendum? an contracte ut *discipulûm*? Cf. v. 960 : « Et Mariandynûm gens incolit »; nec non Val. Flacc. IV, 171 : « Et Mariandynûm patrias penetravit ad urbes ». Præfero tamen lectionem vulgatam. Schr. Similiter infra loquitur vs. 302 : « gens late prisca virorum, Lotophagi includunt ». W. — *Cimmerii gens dura* : sic Vad. et Pith. *Cimmerias*, sc. fauces conj. Camers ad Prisc. 155, qui tamen et *Cimmerii* probat. *Cimmerius* Cusp.

251. *Cacumine fulcit, Verticis et celsis*. Sic distinxit et edidit Pith. et Huds. Sed *cacumine fulcit Verticis, et celsis* Vad. probavit Heins. Huds. in Add. Oudendorp. Obs. Misc. vol. V, t. I, p. 73 : confirmat nostri vs. 841 : « ac verticis ardua ducit Indorum ad pelagus ».

253. *Huic, mirante salo*. Sic falso edid. Pith. et seq. *Huc* conj. Huds. et hoc dudum habuerunt A. V. Ven. Cusp. Vad. *Argo* habent A. V. codd. et omnes vetustæ edd. excepto Pithœo, qui mendo manifesto dedit *agro*, quod per conjecturam sustulit Barth. Adv. XXVIII, 16, et Ableg. IV, 19. Et Schraderus in notis suis adjiciebat : Quis non miretur talia Pithœum ingessisse ! — Probo lectionem V. A. Venet. *Huc*, quam confirmat similis vs. 513 : « Huc se prisca Locri gens intulit ». Totus autem hic locus additamentum est Avieni, importune, ut videtur, ingestum. Ponitur enim Argo post Taurum, Cimmerium Bosporum, Mæotidem, Pontum. Et quid Argonautis cum Cimmerio Bosporo? Melius ergo hæc inserentur v. 205, ubi Bosporus Thracius memoratur, ut iste locus sic constituatur : « ... Hoc pecoris dorso sternacis in æquor Inachis illata est. Sic pectus canduit ira Pellicis, et tanto Divam dolor extulit igni. Huc, mirante salo, quondam sese intulit Argo Thessala, et innantem stupuerunt æquora cymbam ». Schr. Videtur Avienus hoc additamento revocare Ponti Euxini, quem hactenus fuse et per ambages descripsit, mentionem voluisse, et quasi

Thessala, et innantem stupuerunt æquora cymbam.
Sic vasti moles pelagi interfunditur oras:
Sic se forma maris toto procul explicat orbe.

Nunc tibi tellurem versu loquar: incute docto,
Phœbe, chelyn plectro. Musis interminа vita

redire ad ejus principium, Bosporum Thracium et Symplegades, quas Argonautarum transitus inprimis memorabiles fecit, ut intelligeret lector, hactenus actum esse de extremo sinu maris mediterranei, de quo mox universe pronuntiat: «Sic vasti moles pelagi, etc.» W. — *Symplegades* quidem hoc loco ad quem redire videtur nominat Dionysius. Ed. — *Mirante salo.* Respexit forte Virgilium, qui de classe Æneæ Tibri amne subvecta Æneid. lib. VIII, vs. 91 seqq. «Labitur uda vadis abies: mirantur et undæ; Miratur nemus insuetum, fulgentia longe Scuta virum fluvio pictasque innare carinas». Add. X, 22. Schr. De ipsa Argo similiter Catullus, Epith. Pel. v. 15: «Emersere feri caudenti e gurgite vultus, Æquoreæ monstrum Nereides admirantes». W.

254. *Stupuerunt æquora cymbam.* De *stupore freti* similiter loquutus Val. Flacc. IV, 711: «Tum freta, quæ longis fuerant incognita sæclis, Ad subitam stupuere ratem». Et noster Claud. Bell. Get. v. 9: «stupuere superbæ Arte viri domitæ Symplegades». Ubi sane *superba* rescribendum. *Ars superba*, quæ contempta mortalitate sua cum mari humanum genus composuit. Barth. Adv. XXVIII, 16. Ad *cymbam* locum similem nota in Phæn. vs. 757: «neque enim se Thessala cymba Solenui in faciem rostro movet». Schr.

255. *Sic vasti moles pelagi interfunditur oras.* Alias cum tertio casu hoc verbum legitur Descript. Orb. 1100, Or. mar. 581; Phænom. 711. Sed et Horatius cum quarto casu posuit Carm. I, 14, 19. Schr. Cæterum hic et sequens versus formulam, vel epiphonema continet, quo auctor maris mediterranei et partium ejus enarrationem claudit. Pari formula supra usus est finita descriptione Oceani, v. 73 seq. W.

257. *Incute docto, Phœbe, chelyn plectro.* Sic v. 817: «incute doctam, Phœbe, chelyn». *Docto plectro* dicitur, ut «pollice docto, bipenni, falce».

258. *Phœbe, chelym* scribit Pith. *chely* habet Ven. *chelin* Cusp. *chelyn* Vad. Huds.—Probo scripturam *chelyn*, more græco, qui poetis placuit: quam in rem lege Voss. Art. Gr. p. 226. Sic *Tethyn* v. 31, atque adeo et *chelyn* v. 818. *Capyn* Ovid. Fast. IV, 34, etc. Schr.—Pro *vita* A. habet *vincta*, et *vitæ* voluit Heins. Sed Schraderus, an, inquit, *interminus* cum genitivo? — *Musis intermina vita. Interminum* æternum dixit. Sic Prudent. Peristeph. XIII, 42: «futura Quæ Deus ipse viris intermina fortibus spopondit». *Exterminum* eleganter pro exterminato

Permanet, et memori laus semper pullulat ævo.
Indefessa tuæ sint mentis acumina, lector,
Sudorisque mei patulo bibe carmina rictu:
Dulcis in his haustus, meritum grave, gratia perpes.

Ergo solum terræque Libystidis ora per Austrum
Tenditur, Eoæ procul in confinia lucis.
Gades principium est; caput hujus cespitis autem
Arctius angusto conducit litora tractu,

vel exsule nsnrpat Auctor Sodomæ: « Eia age, Loth, exsurge, tuamque adsnme jugalem, Et uatas duplices; atque hinc exterminus ito ». BARTH. Adv. XXIV, cap. 9. Supra vs. 74 Oceanum dicebat *interminum*, i. e. immensum. — *Conterminus* autem est viciuus. ED.

260. *Indefessa tuæ sint mentis acumina*, h. e. Ne te tædeat adtendere, mentis aciem advertere, rebus, quæ a me dicentnr. Claudian. Rapt. Proserp. II, 201: « Non leve sollicitæ mentis discnrrit acumen ». Huic et sequenti versu 261 Schraderus adscripsit, « sordere eos præ reliquis ». Spectavit haud dubie *sudoris* imbibendi et *patuli rictus* ideas, quæ sane indecoræ et insuaves sunt. Sudori adjuncta notio bibendi offendit, mnlto magis bibendi patnlo *rictu*, quod nomen melioribus poetis non nisi ferarum et bestiarum est, cæterum de hominum indecora distortione oris dicitur. Sed serior latinitas nonnullis verbis asperitatem et fastidium nsu et consuetndine deterait, ut de verbo *ructare* notavi ad carm. Licentii v. 28.—Et vide quæ ipsi adjecimus, h. l. huj. op. t. III, p. 425. ED.—Interim *bibere* carmina, pro legere vel audire, vulgatum est. Ovid. ex Pont. III, 4, 55: « Illa bibit sitiens lector, mea pocula plenus », nempe carmina. Add. Trist. III, 5, 14. Ipse Avienns moderatiore phrasi nsus est in Prognosticis, v. 119: « cape solers singula mente, Præceptisque virum sitientia pectora pande ». W.

261. Pro *rictu* Ven. *ritu*.

262. *Gratia perpes* Ven. Cusp. Vad. et Pith. in ed. Paris. sed *propes* in Lngd. *præpes* ed. Hnds. Schraderus in notis tnetur *perpes*, quod Ven. babet, et necessario reqniritur. Sic in Phænom. vs. 8: « perpes substantia lucis ». Idque vocabulum frequens esse poetis Christianis, e Bunemanni ad Lact. adnotatione, p. 982, probat. Addi potest Sev. Sancti carm. bucol. v. 131 (huj. op. t. I). Olim Schrad. in schedis conjiciebat *gloria perpes*.

263. *Ergo solum terræque Libystidis*. Incipit descriptionem terrarum a Libya, quam partium orbis primam nominaverat v. 18. SCHR.

265. *Caput hujus cespitis*. Confer vs. 104.

266. *Angusta conducit litora*, h. e. contrahit in acutum solnm. Sic Rutil. I, vs. 567, de confluentibus Arno et Ausere fluv. « Connm pyramidis coenntis flumina ducunt ».

Oceanique salum cuneo subit: istius oræ
Terminus immensis Arabum concluditur undis.
At latus hoc terra diffusius explicat agros,
Arvaque tenta patent. Hæc pingui cespite tellus
Æthiopum est nutrix, qui nigros propter Erembos
Extremi Libyæ curvo sola vomere sulcant:
Et rursum Æthiopes soli subjecta cadenti
Arva tenent. Sic scissa virum gens ultima terræ

Mela, I, vs. 4, « adductam » eam partem vocat, loquens de Africæ forma: « fastigat se molliter, et ideo ex spatio paullatim adductior, ubi finitur, ibi maxime angusta est », quod bene cum vs. 267 convenit.

267. *Salum cuneo subit*, i. e. ingreditur Oceanum forma cunei, seu terræ in acutum fastigium exeuntis. *Istius* post *hujus* v. 265 positum ad idem subjectum pertinet, ut v. 876: « Hujus valle procul Phasis gemit, istius antro Agmina provolvit ». W. —*Subit istius oræ. Terminus immensis.* Sic perperam distinxit Pith. et seq. Sed Hudsonus distingui vult *subit: istius oræ Terminus*, quod olim jam a Vadiano factum in ejus exemplo reperio. Eadem interpunctio consignata fuit in libro Gronov. et tamquam ex ed. Ven. enotatum a P. Burmanno in quodam exemplari suo, vidit Wassenberghius, vir clar. Adsentit Schraderus et addit: « Sed jam Morellius: ἄχρι θαλάσσης. Sic Avienus: *istius oræ Terminus* ». Nempe Morellius forte Vadiani exemplum habebat.

268. *Immensis Arabum undis.* Sequitur Dionysium, non hoc loco, sed, ut sæpe, diverso, nempe v. 632: Κόλπους ... Περσικὸν, Ὑρκάνιόν τε, καὶ Ἀῤῥάβιον βαθυδίνην. Schr.

271. *Nigras propter Erembas* edid. Pith. et Huds. *nigros Erembas* habet Ven. Cusp. Vad. Sed Hudsonus corrigit *nigros propter Erembos.* — Sequor Hudsonum: nam *nigros* jam jam A. V. Ven. habent, Ἐρεμβοὺς autem adpellant passim veteres Hom. Strab. Steph. Miretur autem aliquis nigros hic dici Erembos, quum Dionysius Æthiopas ita vocet v. 179, κελαινῶν Αἰθιοπήων. Sed mirari desinet, si cogitaverit, poetam sæpe epitheta ex diversis locis sumere, ut hoc ex Dion. 965... ἀμφὶ δ' ἄρα σφιν Ἰνδοῖ θαλπομένοισι μελαίνεται αὐαλέος χρώς, ubi Priscianus, v. 894: « Qui solis radiis nigrescunt corpus adusti ». Schr. — Notata de Erembis vide ad Prisc. v. 170. Ed.

273-276. Hi quatuor versus additamentum sunt Avieni. Occasionem dederant verba Dionysii v. 180: κελαινῶν Αἰθιοπήων τῶν ἑτέρων. Hinc explicare voluit, qui alii Æthiopes ad Occidentem essent. Præterea sequitur hic Avienus Virg. Æn. IV, 480: « Oceani finem juxta solemque cadentem, Ultimus Æthiopum locus est, etc. » Quod observare neglexit Cerda. Schr.

274. *Sic scissa virum gens.* Burmannus ad Lactant. Phœn. 144, ubi de v. *pictus*: « Id restituendum Avieno existimabat Cel. Oudendorpius, Descr. Orb. v. 274: *sic scissa*

Incolit: hos adflant rutilæ incunabula lucis;
Hi jam præcipitis terrentur solis habenis.

virum gens ultima terræ Incolit ». (Sed vide ipsam Burmanni notam, quæ Oudendorpii sententiam explicat.) Equidem invitus ab amicissimo Oudendorpio dissentio; sed cogit veritas. *Scissa* enim servandum esse docent verba: « Hos adflant rutilæ incunabula lucis; Hi jam præcipitis torrentur solis habenis »; docet Homerus, Odyss. I, vs. 23: Αἰθίοπες, τοὶ διχθὰ δεδαίαται, etc. Plin. I, pag. 252, 5: « verissima opinione eorum, qui desertis Africæ duas Æthiopias superponunt, et ante omnes Homeri, qui bipertitos tradit Æthiopas, ad orientem occasumque versos »; ubi nugatur Harduinus. *Picta* autem hic vel repudiat latinitas. Sic enim vocantur, qui corpora variis coloribus pingunt, ut « picti Britanni », de quibus alibi; non autem, « quos adflant rutilæ incunabula lucis », aut « qui præcipitis torrentur solis habenis ». Quod vero scribit, « picta virum gens », i. e. κυανέαις κατάστικτος φολίδεσσι, καὶ οὕτω ποικίλη, ut ait scholiastes Dionysii, Perieg. v. 183, qui dicit Æthiopes pelli pantherinæ similes esse, toto cælo aberrat. Hæc enim verba non de Æthiopibus, sed de Libya capienda sunt. Conf. Dionys. v. 181 seqq. Scal. ad Manil. pag. 316; Casaub. ad Strab. pag. 192; Boch. Hieroz. pag. 787; Phal. 296. Schr. De eodem errore a Prisciano commisso egimus in Excursu IX ad Prisc. 172. W.

275. *Hos adflant rutilæ incunabula lucis.* Respexisse videtur verba Virg. Georg. I, 250: « Nosque ubi primus equis Oriens adflavit anhelis ». Sed aptius Virgilius τὸ *adflare* adhibuit, jungens *equis*, quorum flatus est proprius (vide Val. Flacc. II, 130), quam Avienus, qui *adflare incunabula*, h. e. primordia lucis dicit. Sed tamen *adflare* poetia de quovis levi adpulsu vel sensu rei longinquæ usurpari, monui ad vs. 62, qui huic plane similis est. W. — Sed vs. 62 *adflare* multo aptius. Ed.

276. *Hi jam præcipitis terrentur.* Admitto lectionem certissimam, ab Hudsono etiam probatam: « Hi jam præcipitis torrentur solis habenis », præcipue quum *torrentur* nitatur auctoritate A. et V. sive *torrentur* sit scriptura C. Ambr. non conjectura Heinsii. Schr. Ego vero antiquam lectionem *terrentur* non temere abjiciendam arbitror. Etenim *torreri* fere gentes ad solem Orientem aut medium dicuntur, ad Occidentem non item. Et verbo *terrentur* Avienus respicere vanam opinionem Veterum potuit, qua putabant adspectum solis in Oceanum cadentis, et suborientium inde tenebrarum, quemdam horrorem adferre hominibus ad Occidentem incolentibus. Observanda est vox *præcipitis* solis. Nam quod putabant Veteres, solem occidentem velut ex alto deorsum ferri, hinc vereri poterant homines barbari, ne aliquando præceps fieret. Ipsam Tethyn hoc vereri Phœbus apud Ovid. Met. II, 67 seq. dicit: « Ultima prona via est, et eget moderamine certo, Tunc etiam, quæ me subjectis excipit undis, Ne ferar in præceps, Tethys solet ipsa vereri ». Addamus verba Flori, lib. II,

Propter proceras Zephyri regione columnas
Mauri habitant; his fluxa fides et inhospita semper
Corda rigent; trahitur duris vaga vita rapinis.
Proxima se late Numidarum pascua tendunt,
Massylique super populi per aperta locorum
Palantes agitant. Certi laris inscia gens est:
Nunc in dumosas erepunt denique rupes,

c. 17, 12: « Peragrato victor Oceani litore, non prius signa convertit, quam cadentem in maria solem, obrutumque aquis ignem, non sine quodam sacrilegii metu et horrore deprehendit ». Et Juvenal. XIV, 280, inter horrores, qui Atlanticum mare navigantibus occurrant, refert, quod solis occidentis ingentem stridorem audiant: « Audiet Herculeo stridentem gurgite solem ». W. — *Hic jam præcipitis.* Sic editt. Ven. Cusp. Pith. Sed Vadianus recte *Hi jam*, atque ita correxerunt deinceps Huds. et Schrad. in marg. Trogn. qui in notis lectionem eam certissimam dicit. Nam de diversis gentibus Æthiopum sermo est, atque hinc post *hos* præcedentis vers. jam sequi debet *Hi*. Ibidem *terrentur* habet Ven. Pith. et Huds. *torrentur* edid. Cusp. et Vad. Ego tamen receptam in antiquis lectionem *terrentur* retineo.

278. *His fluxa fides et inhospita*. Additamentum est Avieni. Citat autem hæc verba Drakenb. ad Sil. VIII, 322, ubi Heinsius *fluxa* pro *laxa*. Conf. Coler. ad Sallust. Jug. cap. 56, p. 298. Sall. Jug. cap. 111: « Bocchus Maurus ne fluxa fide usus popularium animos averteret ». Fortasse hunc, aut similem locum, respexit Avienus. Schr.

279. *Trahitur duris rapinis* habent vulgatæ. Sed *diris* conj. Huds. quæ conjectura et Schradero incidit, et pluribus locis ab eo firmatur, ut Martial. XI, 41, 5, et XII, 53, 7.

280. *Proxima se late Numidarum... Massylique*. Distinguit Numidas et Massylos, uti et Prisc. vs. 176 seq. « Post hos immensæ Nomadum de semine gentes, Atque Masæsylii, nec non Massylia proles ». Dionysius autem in Nomadibus fuisse docet Masæsylios et Massylos, uti Polybius et alii. Schr. — Idem adfirmat Cluv. Introd. Geogr. lib. VI, cap. 5, et Masæsyliorum gentem inter Malvam et Mulucham flumina ponit. Ed.

281. *Massaliique* Pith. cum Ven. et Huds. *Massiliique* Cusp. *Massyliique* corrigere voluit Hudsonus contra metrum, quemadmodum et V. et Aldret. pag. 392 habere ait Schrad. Sed *Massyli* per unum *i* scribendum monet Camers ad Prisc. 177. Porro *Massylique* edidit Vad. quod probavit Schrad. quoniam sic vocantur poetis, ut Virg. Sil. et aliis.

282. *Pallentes agitant* exhibet Ven. *Pallantes* Cuspin. Vadian. *Palantes* Huds. — *Certi laris inscia gens est*. Conveniunt quæ de Gætulis refert Silius, III, 290: « Nulla domus: plaustris habitant: migrare per arva Mos, atque errantes circumvectare penates ». W.

283. *Nunc in dumosas erepunt denique rupes*. Heinsius conjicit « in

Nunc quatiunt campos, nunc silvas inter oberrant

dnmosæ subrepuut », vel « perrepunt devia rupis ». (Vide ad Sil. I, 297, Adv. p. 51 et 373.) Etiam Aldretus, Antiq. pag. 392, pro *denique* legit *undique*. Sed nullam earum conjecturarum probare possum. Nou cogitabant illi usum voculæ *denique*, quæ familiaris tum aliis, tum Solino, ut pag. 15. A. « Himeræum cælestes mutant plagæ: amarus denique est, dum iu Aquilonem fluit, dulcis, ubi ad meridiem flectitur »: inprimis autem Avieno, et quidem eadem versus sede, ut solet poeta. Phænom. 461: « Namque subest, teretisque poli simul orbe nutatur Andromeda inceudi, quæ semper luce coruscans Sponte oculos in membra rapit: face denique vertex Ardet anhelanti, etc. » Descript. Orbis 475: « uuus Iberos Limes habet, limes tenet alter denique Graios ». Vers. 828: « similis nequaquam est forma duabus, Nec modus est compar: secat nnns denique poutus Europam et Libyam ». Vers. 1222: « veteres accedere Colchos Nulla inerat menti fiducia; denique ab illa Medorum soboli magicæ furor artis inhæret ». Add. v. 316: « Hic fata canit venerabilis Hammon, Mugit arenosis nemus illic denique lucis ». Or. mar. v. 225: « inde tenditur jugum Zephyro sacratum: denique arcis summitas Zephyris vocata ». Voculæ ergo hic usus est, ut sit fere probatio dictorum alias *Etenim*, Græce τοιγαροῦν. SCHR. Pariter, ut hic, verbo *erepunt* usus est Noster infra v. 1144: « erepunt ardua semper Culmina saxorum ». W. — Pro *erepunt* alios *irrepunt* legere notat Hudsonus: *irrumpunt* *denique* edidit Vad. « perrepunt », vel « subrepunt devia rupis » conjecit Heinsius, quas conjecturas Schradero quidem cl. Friesemannus tribuit, sed Schraderus refutat.

284. *Nunc quatiunt campos.* Sic Stat. Protrept. Crisp. v. 136: « An juga Pannoniæ mutatoresque domorum Sauromatas quaties? » Idem, Silv. IV, 3, 5: « Nec dux advena pejerate bello Campanos quatit inquietus agros »; v. Marckl. SCHR. *Quatere campos* dicitur de magna hominum turba super solum discurrentium, præcipue de equitibus, ut infra v. 1245. Virgilius, quem sequutus videtur Noster, Æn. XI, 513: « equitum levia improbus arma Præmisit, quaterent campos ». Heynius hoc ad incessum equorum refert, atque hinc Avienum etiam de Massylorum equitatione velim intelligere: hac enim insignes Massyli; Virg. Æn. IV, 132; Lucan. IV, 682. E pluribus poetarum locis hunc usum verbi *quatere* demonstrarunt Gron. ad Sen. Hercul. Œt. 1523, et Heins. ad Sil. I, 297; et conf. quæ ipsi notavimus ad carm. Petronii de Somniis, v. 12 (hujus op. t. III, p. 298. Ed.) W.—Adposite Valer. Flacc. III, 21: « Dum volucri quatit asper equo, silvasque fatigat Cyzicus ». ED. — *Nunc silvas inter oberrant.* More rudium et silvestrium hominum, qui agri culturam nesciunt, de quibus Claud. Rapt. Pros. III, 42: « pecudum si more pererrant Avia, si frangunt communia pabula glandes ». W. — *Inter oberrat.* Constructio Avieno familiaris. Supra v. 162: « Cretæisque jugis mox Syrtes inter oberrat ». ED.

Conjugibus natisque simul: cibus aspera glando
Omnibus: haud illis sulcatur cespes aratro:
Non his mugitus pecudum strepit. Inclyta post hos
Mœnia consurgunt Tyriæ Carthaginis: illa
Urbs Phœnissa prius, Libyci nunc ruris alumna,

285. *Conjugibus natisque simul: cibus aspera glando.* Heinsius ad Sil. Ital. I, 297, legebat et distinguebat: « nunc silvas inter oberrant, Conjugibus natisque simul cibus aspera glans est ». Sed servo distinctionem receptam. *Simul* enim cum sexto casu frequentatur. Vid. Burm. ad Val. Flacc. I, 408, IV, 86, ubi citat h. l. Schr. — *Cibus aspera glando Omnibus.* Apud eumdem eruditissimum poetam Avienum notandum est, *glandinem* pro glande, quod communi usu invaluit, dici: cujus vocabuli exemplum nunc non suppetit: « cibus aspera glando Omnibus ». Barth. Adv. XXIV, c. 9. *Glando* Ven. *glado* Pith. *glans est* Trogn. et Ambr. Sed *glando* recurrit 1187: « quem ramis æsculus altis Illicit et pingui dependens subere glando », quod omnes ibi edd. etiam Trogn. exhibent et Ambr. Accedit auctoritas Gloss. a Vulcanio ed. 102, 45, *glandine*, βαλάνῳ. Schr. — *Cibus aspera glando* Pith. Huds. *aspera glans est* Cusp. et Vad. Sed præferenda est antiqua lectio *glando*.

286. *Non ullis sulcatur cespes aratro: Non his mugitus.* Haud ulli volebat quidem Heinsius: sed male. Nam primo repugnat Dionysius, v. 191: Κείνοις...Οὐδὲ βοῶν μυκηθμός. Deinde mos Avieni, qui *ille* et *hic* de eodem adhibet. Sic vs. 1044: « Hinc solers Asiam facili cape carmine totam: Forma sit hujus enim talis tibi: quatuor illam In latera effusam cordi dato ». Or. mar. 166, de insula quadam: « Sed vis in illa tanta naturalis est, Ut si quis hanc in navigando accesserit, etc. » Corrigendum vero h. l. *illis* aut *ollis*. Schr. Conf. quæ supra ad vs. 267 de usu *hujus* et *istius* observavimus. W. — *Omnibus; haud ullis sulcatur:* sic Pith. et seq. *Omnibus haud ullus sulcatur cespes aratro* Cusp. sed hoc minus placet.

289. Probo lectionem edit. Madrit. *Libyci nunc juris alumna* pro vulgata *ruris.* Sic enim Dionysius, Καρχηδὼν, Λιβύων μὲν, ἀτὰρ πρότερον Φοινίκων. Atque ita loqui solet Avienus, ut Or. Mar. v. 428: « Tartessiorum juris illic insula Antistat urbem »; et v. 309: « Hinc Erythia est insula Diffusa glebam, et juris olim Punici. Habuere primi quippe eam Carthaginis Priscæ coloni ». Pricæo ad Apul. Apol. p. 74 Libyci ruris alumna est metropolis. Sed alio nos ducit Dionysius, et ipse Avienus. Schr. Ad rationem locorum eorum, quæ pro lectione *juris* adducuntur, Avienus Carthaginem *Phœnicii juris* dicere debebat, non *Lybici.* Nunc significat esse *Lybici ruris*, hoc est, coloniam Phœnicum in Libya collocatam. Hoc admittunt verba Dionysii, et vox *alumna* magis poscere *ruris*, quam *juris* videtur, siquidem alumnus pro incola, indigena, cultore poni solet, ut v. 312, ubi *Germaniæ alumni* dicuntur, atque ut ex aliis perspici locis potest, quos Heins. ad Ovid. Met. IV, 421, produxit. W. — *Libyæ*

Paci blanda quies, et bello prompta cruento.
Ast hinc in Syrtim præceps ruit unda minorem,
Ulteriusque dehinc qua lux se reddit Olympo,
Major vasta sibi late trahit æquora Syrtis,
Infidumque rati pelagus furit : ardua quippe
Undarum moles Tyrrheno cogitur æstu,
Curvatumque salum quatit amplo litora fluctu;

nunc ruris alumna dedit Cusp. et Vad. *nunc fusis alumna* Ven. corrupte. *Libyci nunc ruris* vult Camers ad Prisc. 177, qood dedit Pith. et Huds. — Conf. hujus operis tom. præced. pag. 276. Ed.

290. *Paci blanda.* Schradero hic occurrebat Ovid. Fast. I, 704: «paeis alumna Ceres», et fortasse hine adlubescebat *Pacis*, quod ipsum edidit Vadian. Sed tamen præstare videtur *Paci*, ut respondeat *bella* sq.

291. *Præceps ruit una* habet utraque ed. Pith. ex Ven. Sed *ruit unda* correxit Cusp. et Vad. idque in textum recepturus erat Schrad. quia illud exhibet V. et sententia requirit; nec aliter Anon. apud eum, Heins. et Huds.

292. *Ulterius ..... qua lux.* Syrtis enim major remotior ad Orientem est. Ed.

293. *Major vasta sibi late trahit æquora Syrtis.* Hudsonus ad Dionys. v. 199, adfirmabat Avienum ibi non ἔρχεται ἄλλη, sed, ut alii habent, legisse ἕλκεται ἅλμη· id verum est quoad prius, falsum quoad posterius (duas memorat Syrtes poeta: ἄλλη est altera major). Schr. Adludit Avienus ad nomen Syrtium, qnod est a σύρειν, *trahere*. Qoomodo et Sallustius, Jug. e. 78 (e. 80 Haverc.), in descriptione Syrtiom: «Ubi mare magnum esse, et sævire ventis cœpit, limum arenamque et saxa ingentia fluctus trahunt». Cæterum *sibi trahit* positum pro *in se* vel *ad se trahit*, quemadmodum Noster infra v. 905 de sinu maris Caspii: «Et sinus inde tibi pelagus trahit». ubi *sibi* legendum, ut hic. Et supra v. 207: «Inferrique sibi flabris urgentibus oras». W.

295. *Undarum moles.* Sic Sil. III, 46: «Mira dehinc cernit surgentis mole profundi Injectum terris subitum mare». Schr. Cf. not. ad v. 123.—In Veneta legitur *Tyrrheno cognitus æstu :* quod repetiit Cusp. Hinc Camers ad Prisc. 187 corrigit *Tyrrhena concitat æstu*, ut sensus et ordo sit : Ardua moles undarum Tyrrheno æstu concitat pelagus infidum rati. Hoc sequitur Vad. addit tamen Camers, alios legere *cogitur*, quod licet non placeat Camerti, multo liquidius tamen est, atque e corrupta primæ edit. scriptura *cognitus* quasi sponte sequitur, meritoque receptum a Pith. et Huds. et sequentibus. Confirmatur præterea hæc lectio superiore loco, plane gemino, Nostri v. 156 seqq. qui conferendus est; tum consonante versu Prisciani 188: «Qua tumor immensus Tyrrheni pellitur æstus».

296. *Curvatumque salum.* Sil. Ital. I, 471: «sonat ille procul, flatuque tumescens Curvatis pavidas transmittit Cycladas undis». Schr. Vid. not. ad v. 192.

Ecce alias lento prorepit gurgite Nereus,
Undaque vix tenuis siccas prætexit arenas.
Immemor ergo modi semper natura duabus
Syrtibus, et classem sors crebro cæca fatigat.

297. *Ecce alia lento prorepit.* Præstaret *ecce alias*, quod firmatur simillimo loco Progn. vs. 262: « Ecce alias primo nascentis Solis ab ortu ». Descr. Orb. v. 92: « En tibi rursum Æquoris Hesperii tractus loquar »; v. 1235: « Ecce sub immenso portarum vertice Parthi Rura tenent ». Erunt tamen forte, qui ex A. legendum contendant: *Nunc, alias;* ut apud Cic: « Sed id alias, nunc quod instat ». Vid. Turs. de Part. p. 65. Schr.—*Ecce alias*, nempe alia tempestate, qua facies Syrtium mutatur. Latius explicet Sallustius, Jug. 78, cujus imitatorem Avienum hic, ut aliis in locis, facile deprehendas: « Proxima terræ prealta sunt; cætera, uti fors tulit, alta; alia in tempestate vadosa ». W.—*Lento prorepit gurgite Nereus*, h. e. pedetentim et quasi furtim subripit se, lente decedit, et e medio Syrtis ad oram *prorepit*, usque dum unda *vix tenuis arenas* jam *siccas prætexat*, oram tantum adluat: Cf. v. 163. Sic Lucan. IX, 317 de Syrtibus: « jam brevis unda superne Innatat, et late periturum deficit æquor ». W.—*Ecce alia* Ven. Cusp. et Pitb. cum seq. Camers ad Prisc. 187, legit *Parte alia*, eumque sequitur Vad. Pro *Ecce* A. habuit *tunc*. Heinsius conjecerat *Ecce sali*. Schraderus olim in sch. conj. *Ecce alias*, quod et aliis conjecturis præfert in notis. Atque rationibus ejus e stylo Avieni ductis permotus scribendum putavi *Ecce alias*. Hæc lectio hoc aptior præ illa Vadiani *Parte alia* censenda est, quia hic non de alia parte Syrtium, sed de alia tempestate sermo est, qua Syrtes antea fluctu obrutæ, rursus nudantur, et *lento prorepit gurgite Nereus.*

299. *Immemor ergo modi*, id est, inconstans in modo servando, ut modo altum, modo vadosum sit mare. Accipio *modum* consueta significatione Avieni, pro quavis mensura, magnitudine, vi, ut vs. 40, 829. Ergo, inquit, propter subitas tempestates et incertos fluxus et refluxus undarum *natura* maris in *Syrtibus semper immemor modi* est, vel numquam modum servat in vicibus suis, dum repente furenter exæstuat et Syrtes obruit, rursusque languide et tenuiter fluit, adeoque sæpe fit, ut classes forte accedentes inopinatis et numquam prævidendis casibus involvantur. W.

300. *Classem sors cæca fatigat*, i. e. vexat, adfligit, urget. — *Sors cæca* quæ arte caveri nequit. Ed.—Pariter v. 548: « quumque quid atri Immineat eventus, ut vulgi corda fatiget Sors rerum ». Observa *sortem* præcipue usurpari de incertis casibus tempestatum, sigillatim de periculo navium in brevia et syrtes illisarum; videturque Avienus id vocabulum hoc loco, auctore Sallustio, quem imitari solet, posuisse. Is enim l. c. « cætera, uti fors tulit, alta; alia in tempestate vadosa sunt ». Lucan. IX, vs. 330: « Sors melior classis, quæ fluctibus incidit altis, etc.» Seneca, Agamem. v. 407: « Nam certa fari sors maris dubii

Ambarum medio procera Neapolis arcem
Subrigit; hanc rursum gens late prisca virorum
Lotophagi includunt: diros Nasamonas at inde
Adspice, queis quondam populorum examina multa
Versavere solum, multæ sonuere per agros

vetat ». Sic etiam loquitur Albinovanus in fragm. de navigat. Germanici in Oceano (quod nos huic operi inseruimus, tom. III, pag. 222. Ed.): « jam sidere limo Navigia, et rapido desertam flumine classem, Seque feris credunt, per inertia fata, marinis Jam non felici laniandos sorte relinqui ». W. — In Ambr. fuit *et classem cerebram sors*, unde Heins. conj. *crebram sors cæca;* sed Cusp. Vadian. Pith. et rel. constanter *et classem sors crebro cæca fatigat*.

302. *Hanc rursum* omnes edd. Heinsius tamen conjiciebat *Graium virorum*, quod vix placere potest. *Rursum* continuandæ enarrationi rerum inservit. Et Dionysius hoc ipso loco, vs. 208, ad Nasamonas transiens ea particula utitur: Κεῖνον δ' αὖ περὶ χῶρον.

303. *Durosque Nassamonas inde Accipe*. Sic Venet. Pith. *Nasamonas* citat Aldret. p. 399. Sic autem corrigit Anon. et edidit Huds. qui tamen addit: Al. *Mesammones;* quod ubi repererit, ignoro. Plin. lib. I, pag. 249: « In ora Syrtis Nasamones, quos antea Mesammones Græci adpellavere ab argumento loci, medios inter arenas sitos ». Sed hæc scriptura metro refutatur. Meam conjecturam « duros Nasamonas at inde » protuli in præf. ad Emend. pag. 28. Eamdem fecere N. Heinsius, Withofius, et, ut sero vidimus, ante hos omnes Jos. Scaliger. Sed et hoc amplius corrigendum puto: « Nasamonas at inde Adspice »; quod probant Dionys. v. 208: μέλαθρα Ἀνδρῶν ἀθρήσειας ἀποφθιμένων Νασαμώνων · et Prisc. vs. 193: « Hos licet ad fines desertas cernere terras, Exstinctis populis Nasamonum Marte Latino ». Denique pro *duros* forte legendum *diros*, quia caussa non adparet, cur duri dicantur: deinde hoc magis congruet Dionysii verbis, qui Διὸς οὐκ ἀλέγοντας adpellavit. Schr. Verborum Dionysii sensum et caussas exitii Nasamonum copiosius exponimus Excursu II ad Prisc. vs. 194. W. (huj. op. tom. IV, p. 413. Ed.) — Locus multis modis vexatus. *Durosque Nassamonas indit* habet Venet. *Nasomonas indit* Cusp. *duri hanc Nasamones oberrant* correxit Vad. ex ingenio, ut opinor. Emendationem invenit Schr. quam quoniam et græco Dionysii et memorabili fato Nasamonum aptissima est, ipse recipiendam duxi.

304. *Accipe quis quondam* Ven. Cusp. *queis* Vad. Pith. *populorum examina multa* recurrunt infra v. 315.

305. *Multos sonuere per agros Balatu pecudes*. Heinsii conjectura est *multæ sonuere per agros Balatu pecudes:* et sic citat Aldretus, p. 399: firmare etiam videntur verba Ovid. Met. XIII, 821: « multæ quoque vallibus errant; Multas silva tegit, multæ stabulantur in antris ». Facilius tamen est *multo*, ut conjecerant Huds. et Higt. Favet Avienus,

Balatu pecudes : nunc lati jugera campi
Et grege nuda jacent, et sunt cultoribus orba.
Ausonis hæc duro vastavit dextera bello :
Ausonis invicti gens roboris una per orbem

v. 938 : « nullis pecorum balatibus agri Persultant », et Virgil. Æn. VII, 498 : « actaque multo Perque uterum sonitu perque ilia venit arundo », Schr. — *Multo* quoque suaserat Camers ad Prisc. Perieg. v. 194 : quem vid. huj. op. t. præc. p. 278. Ed. — Mihi nihil verius videtur emendatione Heinsiana, quam tuentur præcedentia *populorum examina multa.* Oppositio enim est inter *populos* et *pecudes.* Wd. — *Multos sonuere per agros* Cusp. Vad. Pith. *multæ sonuere*, emendavit Heins.

306. *Nunc lati jugera campi Et grege nuda jacent. Vacant* videtur voluisse, aut *tacent.* Virgil. Georg. lib. III, vs. 476 : « Nunc quoque post tanto videat, desertaque regna Pastorum, et longe saltus lateque vacantes ». Elegantius tamen *tacent*, ob præcedd. *multæ sonuere per agros Balatu pecudes.* Sed fortasse nihil mutandum ob *jugera grege nuda.* Schr. — *Læti jugera* pro *lati* alios legere notat Huds. in Add. mihi *læti* h. l. importunum videtur. — Hic enim *lati* idem sonant ac deserti, sterili solitudine patentes. Multis autem describit quod Dionysius et Priscianus uno vix versu significaverant. Ed.

307. Pro *jacent* Heins. conj. *vacent* aut *tacent.* — Cæterum *jacere* et *vacare* aliquando mutari ostendet Burmann. Anthol. Lat. tom. I, pag. 449. Ed.

308. *Ausonis hæc duro vastavit.* Acciderunt hæc sub Domitiano, ut constat e Zonara, Eusebio et Hieron. Vid. Scal. ad Euseb. p. 203 ; Salm. ad Sol. p. 292, b. Parva tamen victoria fuit ; aliter enim celebraturi fuerunt adulatores fœdissimi Martialis et Statius. Ad verba Dionysii Διὸς οὐκ ἀλέγοντας compares velim Claudian. Stil. I, 255 : « nec quamvis tristibus Ammon Responsis alacrem potuit Nasamona morari ». Schrad. — *Duro vastavit dextera bello. Ferro* V. Virg. Æn. VI, 148 : « nec duro poteris convellere ferro ». — Dionysius, ἀπώλεσεν Αὐσονὶς αἰχμή, quod sane melius τῷ *ferro* exprimitur. Ed. — Millies autem hæc verba confusa, ut apud Lucan. VI, 200 : « Hunc aries ferro, balistave limine portæ Submoveat », ubi in aliis *bello ;* sed leg. *vallo*, probante Oudendorpio. Apud Avienum nostrum vulgata defenditur loco Virg. Æn. VIII, 374 : « Dum bello Argolici vastabant Pergama reges ». Schr. — Edit. Ven. corrupte legit *duro vasta dextera bello*, non melius Cusp. *vastatur dextera.* Sed Camers ad Prisc. 194 correxit *vastavit dextera*, quod servant reliqui.

309. *Ausonis invicti gens roboris, una per orbem.* Heinsius et Oudendorpius O. M. V. p. 73, *una* referunt ad præcedentia. Ego ab his dissentio et nullum pono signum : « Ausonis invicti gens roboris una per orbem Arma tulit » : nec aliter citat Aldretus, p. 399. Cæterum hoc Avieni additamentum minus aptum videtur : quid enim huc faciunt

Arma tulit: pubem Latiam ferus horruit Ister,
Romanas aquilas Rhodanus tremit, Italidum vi
Mœsta paludivagos Germania flevit alumnos.
Illi cæruleas adtingunt æquoris undas:
At qua navigero tellus discedit ab æstu,

victoriæ Germanicæ et Gallicæ? Schr. De distinctione ejus versus adsentio Schradero, aut potius *una* refero ad *tulit arma*, hoc sensu: Ausonis gens *una*, i. e. ita ut non alia gens, *tulit arma*, nempe *invicto robore* et *per orbem* universum tulit, quum ferocissimos etiam populos, sibi repugnantes, perdomuerit, ut ad Istrum Dacos et alios, ad Rhodanum Gallos, denique Germanos. Quo pacto devicti Nasamones exigua pars virtutis et gloriæ Romanæ videri possunt. Sic expositum additamentum Avieni satis pulchrum adparet. W. — *Gens roboris, una per orbem*. Sic distinguunt antiquiores edd. Vad. Pith. sed post *una* distinguunt Heins. et Oud. in Obs. Misc.

311. *Romanos aquilas* Cusp. vitiose, quod correxit Camers ad Prisc. 194. — *Italidum vi*. Ambr. corrupte *ut alia vi*: forte *Italidarum*. Heins. Sed nullo sensu et constructione. Vox autem ipsa Italidæ deest in Thes. Gesn. et apud Forcell. sed Græcis in usu fuit Ἰταλίδαι. Anthol. I, 67, 29, 2: ... εὐγενέταις γνώριμος Ἰταλίδαις. Schr. *Italidæ* formatum recentiore latinitate, sicut *Iliadæ* pro Trojanis, de qua voce diximus (huj. op. t. III, p. 509; sed et vid. ibid. t. II, pag. 314. Ed.) Contra *Iliades* priscis poetis sunt Trojanæ mulieres. W. — Sed Ovidio Remum et Romulum designant, Fast. III, 62. Ed.

312. *Paludivagus* ex hoc uno loco citatur. Cæterum tales fere describuntur, ut Propert. IV, 6, 77: « Ille paludosos memoret servire Sicambros ». Cf. Barth. ad Claud. Stil. III, 304, p. 298; b. ubi citat hunc locum Avieni. Similia dant Mela, Tacitus. Schr. *Paludivagos* Avienus videtur formasse ad Phædri Fab. I, 2: « ranas vagantes liberis paludibus ». Sidonius tamen dixit Epist. IV, 1: « paludicolas Sicambros ». Add. Claud. IV Cons. Hon. 451: « venit accola silvæ Bructerus Hercyniæ: latisque paludibus exit Cimber, etc. » W.

313. *Illi cæruleas*. Absolvit hic enumerationem gentium, quæ oram Africæ maritimam accolunt. Illi, inquit, populi, quos hactenus memoravi, adtingunt mare mediterraneum. At qui a mari discedunt longius in interiora Africæ, nunc memorabuntur. W.

314. *Navigero discedit ab æstu*, h. e. longius abest a mari. Sic vs. 370: « Pars quæ cyaneo discedit ab æquore »; et mox vs. 325: « quantum terrarum interna recedunt ». In *navigero æstu* quidem mera descriptio maris est, sed quæ parum apta huic loco videtur. Loquitur enim de populis, qui retro a regione Syrtica habitant. Sed sinus Syrticus tantum abest ut *naviger* adpellari possit, ut alius nullus fuerit naufragiis magis infamis, magis inhospitalis habitus. Silius, XVII, vs. 639: « semper naufraga Syrtis ». Virg. Æn. IV, vs. 41: « Et Numidæ infreni cingunt, et inho-

Innumeræ gentes, populorum examina mille
Arva tenent. Hic fata canit venerabilis Hammon;
Mugit arenosis nemus illic denique lucis.
Adstat Cyrene propter vetus, erigiturque

hospita Syrtis ». Sed Avienus in epithetis deligendis parum accuratus esse solet. W.

315. *Innumeræ gentes*. Dion. 211: Ἀσβύσται δ' ἐπὶ τοῖσι μεσήπειροι τελέθουσι· qui de more sequitur Herod. IV, 170: ἐπὶ θάλασσαν δὲ οὐ κατήκουσι Ἀσβύσται. Itsque Poeta nomen proprium convertit in adpellativum. Sic autem sæpius erravit, ut v. 379: « ex quo Cernere sit longe Palleuidis intima terræ », ex Dionys. v. 258: ἧχί περ ἄκραι Φαίνονται σκοπιαὶ Παλληνίδος Εἰδοθεαίης. Rectius Priscianus, vs. 243: » Et Pharos Idothees scopuli Pallenidis alti ». Contra proprium fecit ex adpellativo, vs. 371: « Notiam pars vergit in oram »; ex Dionys. v. 252: Ἠδ' ὅσσοι νοτερῇσιν ἐπ' ἠιόνεσσι θαλάσσης. Adde v. 827, « Platamona » Dionys. v. 626. Vers. 937: « Ultima Epetrimos tellus habet », Dionys. 758. Vers. 946: « pernix Durateum gens », Dionys. 767. Vers. 1205: « Opbietidis arcis in arvis », Dion. 1013. Eodem modo Val. Flaccus peccavit. Schr. Verum est, Asbystas Dionysii, quos et Priscianus habet, ab Avieno non nominari, contra *Innumeras gentes* Avieni non reperiri in Dionysio. Sed propterea uomen proprium ab Avieno hoc loco conversum in adpellativum, aliter perspicere nequeo, nisi statuamus, Avienum aliter, atque hodie in græco est, legisse, pro Ἀσβύσται forte Ἄσβεστοι, vel ἄσπετοι, idque sensu innumeræ multitudinis accepisse. Nec tamen hoc admodum verisimile. Crediderim potius, Avienum Asbystas neglexisse memorare, sicut paullo post Phaurusios Dionysii, v. 216, omisit, cætera pro lubitu, atque ut ipse rem animo conceperat, enuntiasse, siquidem eadem dicta repetit infra v. 389-393. W.

316. *Fata canit venerabilis Hammon*. Similiter Silius, III, vs. 10: « Inter anhelantes Garamantas corniger Hammon Fatidico pandit venientia sæcula lueo ». W.

317. *Mugit arenosis*. Schol. Statii ad Achill. I, 524: « Tandem fessa tremens longis mugitibus ora Solvit », hæc subjicit: « *Mugitibus* ait, quia vates uon videbantur ipsi loqui, sed alii intrasse majori voce, quam humana, unde Virg. *ter centum tonat ore Deos*, touat dixit ». Sidon. Apollin. Carm. V, vs. 263: « doctis balatibus Hammon Si sanctum sub Syrte gemit ». Schr. — *Nemus... lucis*. Hæc conjungi solent haud raro. Propert. IV, 9, vs. 24: « Lucus ab umbroso fecerat orbe nemus ». Conf. Senec. Hercul. OEt. v. 956; Lucan. I, v. 453, et Ovid. Met. V, 265: « Silvarum lucos circumspicit antiquarum ». Cæterum conjectura Heinsii, hoc loco iterum pro *denique* tentantis *undique*, non admittenda est. Schr.—*Mugit*, forte adludens ad formam arietinam, sub qua Jupiter colebatur. Ed.

318. *Adstat Cyrene... Urbs procera arces*. Sic v. 670, » Et procera caput ». Or. marit. v. 605: « Setius inde mons tumet Procerus arcem ».

Urbs procera arces, et Apolline dives alumno:
Marmaridæ juxta; procul hi tamen ultima regni

Legebat autem apud Dionys. 213: Κυρήνη τ' εὔπυργος, non εὔιππος. Sed id jam Morellius animadvertit. Schr. Quid legerit in Dionysio Avienus, incertum est, nec opus est quærere. Nam adparet, plane alia eum de Cyrene, ac Dionysium, proferre voluisse. W.

319. *Et Apolline dives alumno.* Apolloniam videtur significare, urbem Cyrenæ propinquam, cujus meminit Strabo. Ortel. Sed primo sic interpretis urbs ignota Dionysio. Deinde *procera arces* est εὔπυργος, quod apud Dionysium est epitheton Cyrenes. Græca non inspexerat Ortelius, vel non intelligebat. Vix tamen video, quomodo Cyrene « dives alumno Apolline » dici possit. Sed eadem manet difficultas, etiamsi Apollonia intelligitur. Schr. — Schraderus præterea ad verba *dives alumno* citaverat Virg. Æn. I, 447: « Hic templum Dido Junoni..... Condebat donis opulentum et numine Divæ ». Sed hic locus parum aptus ad sensum eorum verborum videtur. Cur Cyrene a Nostro « dives Apolline alumno » dicatur, id optime explicabit Callimach. Hymn. in Apoll. vs. 94 seq. non alii urbi Apollinem, adfirmans, tot bona concessisse, quot Cyrenis, neque ipsos Cyrenæos plus Phœbo alium Deum colere: Οὐδὲ πόλει τόσ' ἔνειμεν ὀφέλσιμα, τόσσα Κυρήνῃ,... οὐδὲ μὲν αὐτοὶ Βαττιάδαι Φοίβοιο πλέον θεὸν ἄλλον ἔτισαν. Divitiarum urbis seu agri ejus testis est Arrianus in fine Indicorum, pag. 359 Gronov. qui eam, quamvis in desertioribus Libyæ locis sitam, tamen herbosam, fertilem et irriguam esse prædicat, saltus et frequentia prata habere, omnisque generis fructus et jumenta ferre (καρπῶν παντοίων καὶ κτηνέων πάμφορον). Ob singularem ubertatem amœnitatemque κᾶπος Ἀφροδίτας, *hortus Veneris*, dici a Pindaro meruit Pyth. Od. V, v. 31, πολύμηλος καὶ πολυκαρποτάτα χθὼν Pyth. IX, v. 11. Has autem opes, atque hæc decora Cyrenæi referebant ad Apollinem, quem auctorem urbis et coloniæ eo deductæ ferebant, et singulari solennique cultu venerabantur, Apollinem Καρνεῖον adpellantes. *Alumnum* Cyrenes vocat Avienus, quem interpretor indigetem et proprium Deum, eumque beneficum, patrio ritu cultum. Sic enim infra vs. 709 Apollinem Deli, et vs. 619 Herculem Gadium *numen alumnum* vocat, et vs. 1040 Aratum Solorum urbis *vatem alumnum*. Plura de opulentia Cyrenarum et cultu Apollinis legas a Spanhemio collecta ad Callim. Apoll. vs. 65 et 94. W.

320. *Marmaridæ juxta procul hic:* sic vetustæ Cusp. Pith. Aliter distinguit Vad. *Marmaridæ juxta; procul hinc tamen;* eum sequitur Huds. qui et *hinc* vult. — Malim « Marmaridæ juxta: procul hi tamen ultima regni Ægypto incliuant »; plane ut vs. 672: « Carpathus hic rupes adtollitur: hæc tamen axem Respicit occiduum ». — Hanc lectionem probat et sequitur Wernsdorfius Ed. — *Ultima regni.* An *regna?* Huds. Vulgatam defendit vs. 274: « Sic scissa virum gens ultima terræ Incolit ». Ovid. Metam. IV, 300: « stagni tamen ultima vivo Cespite cinguntur ». Conf. Lucan. Pharsal.

Ægypto inclinant: tergo Gætulia glebam
Porrigit, et patulis Nigretæ finibus errant.
Protinus hinc Garamas late confinia tendit,
Trux Garamas, pedibus pernix, et arundinis usu
Nobilis: at quantum terrarum interna recedunt,
Ut procul Oceano tellus vicina madescat,

IV, 147, VIII, 226, X, 273. SCHR.

321. *Ægypto inclinant.* Novum exemplum τοῦ *inclinare* cum tertio casu. Sic vs. 218: « Ut matutinis inclinent æquora habenis ». ED. — *Tergo Gætulia terram Porrigit. Retro* HUDS. — Sed vulgatæ favere videtur versus 836: « Hic et in Euxini prorepit marmoris undam, Et Zephyrum tergo spectat procul ». Et vid. v. 974 et 461. SCHR.

322. *Patulis Nigretæ finibus errant. Nigretes* V. ut Dionys. 215, et Prisc. 200; Strab. p. 1184; Steph. B. in Νιγρῆτες. Sed vero terminationes *lis*, *tes*, *bus* ita non leviter aures lædunt. Itaque retinendum *Nigretæ*, quod æque latinum est. Sic autem vocat eos Mela, I, 4; Plin. V, 8; Strab. p. 1182. Etenim terminatio duplex est Nigretæ vel Nigritæ, et Nigretes, ut Samnitæ et Samnites. Noster, vs. 522: « Samnitæque truces ». SCHR.—*Nigretes finibus* Cusp. Vad. ediderunt, quod Voss. habere dicit Schr. Hoc et Cœlius in adnot. ad Dion. adserit. Sed Pithœus eum Huds. edidit *Nigretæ*, idque e Venetæ scriptura *patulis ingrate finibus errant* duxisse videtur.

323. Hudsonus hic versum excidisse suspicatur, quod Phaurasii non memorentur, qui a Dionysio, vs. 216, et Prisc. vs. 201, inter Nigretas et Garamantas ponuntur. Sed Avienus parum se adstringi verbis Dionysii patitur, at plura illius omisit. Schraderus exempli caussa adfert v. 916 et 1069. —Videatur quoque nota ad vs. 315. ED.

324. *Trux Garamas ... et arundinis usu Nobilis.* Hoc loco N. Heinsius in not. ad Propert. pag. 759, et Adv. p. 29, utitur ad firmandam lectionem Propert. IV, 10, 42: « Mobilis erectis fundere gæsa rosis ». Sed meliore judicio Grævius, Syll. Burm. IV, pag. 434, in Propertii loco præferebat *Nobilis;* victas tandem manus dante Heinsio, p. 436. Nec dubitari debet, quin et hic Avienus dederit « arundinis usu Nobilis, » quod Anon. Higtius et With. conjecerant. Sic enim loquuntur optimi scriptores, Claud. III Cons. Hon. 136: « pars nobilis arcu »; Horat. Carm. I, 8, vs. 11: « Sæpe trans finem jaculo nobilis expedito »; Vell. Patercul. II, 34: « coactis XXIV millibus juvenum, velocitate pernicibus, ... sagittarum usu celeberrimis »; et ipse Avienus, v. 916: « clari pharetris agilique sagitta Massagetæ». Eadem hæc lectio firmatur auctoritate cod. Ort. Cæterum millies hæc vocabula confusa. Vid. Marckl. Stat. IV, 3, 61; Bentl. ad Horat. Carm. I, 7, 14. SCHR.

325. *Mobilis* dedit Pith. forte e Ven. Sed Cusp. Vad. Huds. *Nobilis*, quod multis defendit Schraderus, etiam auctoritate codicis Ortel.

326. Forsan *Aut procul.* Hudson.

Æthiopum populos alit ampli cespitis ora,
Terminus Æthiopum populos adit ultima Cerne.
Post Blemyes medii succedunt solis habenas,
Corpora proceri, nigri cute, viscera sicci,
Et circumvincti nervis exstantibus artus.

Verum *Et procul*, dein *madescit* malit Oddius.

327. *Æthiopum populos alit..... Terminus Æthiopum populos alit.* Sic pro *adit* utroque versu præter Hudsonum correxere Withof. Higt. Heins. et Is. Vossius ad Scyl. pag. 127, ed. Gron. p. 61, ed. Huds. cui laus inventi debuerat tribui. Posset etiam legi *habet* e Plinii luco, VI, 1, 36: « Cerne...Æthiopas tantum populos habere proditur »; quem sequutus videtur Aviens. Sed Dionysii βόσκονται unice firmat *alit.* Schr. — Sed in altero versu non descrendum esse *adit* veterum edd. censeo. « Æthiopum populos adit ultima Cerne », h. e. propinqua, vicina iis populis est. Sic vs. 704: « Cyclades accedunt Asiam », atque hoc convenit græco Dionys. v. 219: Αἰθιοπῆες... πυμάτης παρὰ τέμπεα Κέρνης. Et sic refutatur upiuio Vossii ad Scylac. l. c. qnasi Avienus Æthiopes in Cerne insula posuerit, contra Dionysium. W. — *Populos adit* hoc et sequente versn exhibent omnes vetustæ. Sed *alit* utroque versu primus correxit Is. Vossius ad Scyl. p. 25, et p. 117 ed. Gron. qui tamen loco eo Avieni proposito, nihil aliud quam *alit* scribit, et sic legendnm pronuntiat. Vossii lectionem seqnutus est Hudson. in edit. cum aliis. Probavit inprimis Schraderus, etsi hic etiam *habet* legi posse existimat.

328. *Cernæ* habet Ven. — Insulam quidem Cernen, non longe a Carthagine ponunt nonnulli, dulcibus aquis scatentem. Vid. Salmas. ad Solin. t. II, p. 1243. Sed hic intelligenda est insula Menuthias Plinio dicta *Cerne*, nunc *Madagascar*, i. e. Luna insula. Ed.

329. *Blemyes* habent omnes edd. et lectionem hanc servare se Schraderus adfirmat, quamquam A. præferat *Blemii*, qui forte voluit *Blemyi*, ut Priscian. v. 209. — *Succedunt solis habenas.* Malim *suspectant solis habenas*, ex v. 369, 534, 835. Pro *succedunt* tamen faciunt versus 917 et 1212. Huds. — Sed nihil movendum est, quia sic Poeta, vs. 1212: « gelidi succedunt plaustra Bootis »; et *succedunt, suspectant* nimis differunt. Pro *habenas* Scalig. vult *habenis;* sed vetat Poeta, vs. 1212, et vs. 917: « Massagetæ glanci succedunt flumen Araxis »; et Phænom. 990: « Partibus iste tribus se tantum circulus effert, Quinque latet creperi succedens stagna profundi », uti bene Grot. et ed. Ven. pro *succendens.* Schr. — *Succedunt habenas* explicandum est *cedunt, concedunt* sub habenas. Confer, quæ prius ad Prisciani vs. 107 et 398 observavimus. W.

330. *Corpore proceri* et *viscere sicci* legit Camers ad Prisc. 209. — *Viscera sicci* sunt graciles corpore, duri, non pingues. Vide quæ notavimus ad Gratii Cyneg. vs. 276, huj. op. tom. I, pag. 57. Ed.

331. *Circumvicti* Ven. Cusp. Pith. *circumvincti* Vad. et Huds. Tale est

Hi celeri molles currunt pede semper arenas,
Nec tamen impressæ linquunt vestigia plantæ.
Eminus evolvunt hinc sese pinguia Nili
Flumina, et intenti prolabitur æquoris unda.
Hic qua secretis incidit flexibus agros,

Manilii, IV, 717: « Asperior solidos Hispania contrahit artus ».

332. *Hi celeri molles currunt pede semper arenas.* Mirum ni manibus potius, quam pedibus currerent. Sed epitheton pedum ab altero paullo elegantiore et ob hoc corruptiore deglutitum est. Emenda: « Hi celeri emolles currunt pede semper arenas ». *Arenas currere* est Virg. Æ. III, 191: « trabe currimus æquor ». Cum ejusdem imitatione, qui *edurum* pro valde duro, vel Junio Pelarguro teste usurpavit in Georgicis, « emolles arenas » erudite adpellavit Avienus. Talia multa hic præstantissimus poeta, sepulta fere inscitia librariorum et typographorum. *Emollis* exstat apud Rad. Ardentium sermone in Domin. 1 post Trinit. etc. Barth.—Et vocem *emollis* e Barthii Advers. in Thes. retulit Gesn. Ego vero vocem Poeta indignam penitus rejiciendam puto, vulgatamque unice servandam. Etenim « mollis arena, molles arenæ » centies occurrunt; *emollis* autem vox est barbara et Avieno indigna. *Celeri* tamen, pro *celeres*, recipiendum, probante ac firmante Ambr. et sic conjecerant Anon. et Heins. Advers. p. 204. Schr. — *Hi celeres molles* Ven. Pith. sed *celeri molles* Cuspin. et Vadian. quemadmodum postea Heinsius et Hudsonus correxerunt. Barthius, Adversar. lib. XXVIII, cap. 16, et Ablegm. IV, 19, *celeres emolles* voluit, id vero vocabulum improbat Schraderus.

333. *Nec tamen impressæ linquunt vestigia plantæ.* Contra vs. 1033: « Impressæque solo liquit vestigia calcis ». Utitur autem nostro loco Drak. ad Sil. III, 306. Schr. — Formula ea poetis familiaris ad designandam summam velocitatem. Virgil. Georg. III, 195, de equo: « per aperta volans, ceu liber habenis, Æquora, vix summa vestigia ponat arena ». Latius id describit Æn. VII, 808: « Illa vel intactæ segetis per summa volaret Gramina, nec teneras cursu læsisset aristas ». A Græcis, Homero et Apollonio, eam comparationem fluxisse ostendit Heynius V. C. ad l. c. Imitatur Silius, XIII, 327; Stat. Theb. VI, 638: Claudian. IV Cons. Honorii, 547; ubi vide not. nost. edit. tom. I, p. 310. Ed.

335. *Et intenti prolabitur æquoris unda.* An *extenti?* Huds. Minime. Poeta, vs. 506: « donec Sicana fluenta Intendant pelagus »; et vs. 52: « Qua se blanda satis intendunt flabra Favoni ». Cf. Oudend. Misc. Obs. vol. V, p. 78. Schr.

336. *Hic qua secretis.* Vox *secretus* de Nilo frequentatur. Claudianus, XLVII, Idyll. IV, vs. 10 et seq. « Fluctibus ignotis nostrum procurrit in orbem, Secreto de fonte cadens, qui semper inani Quærendus ratione latet ». Stat. Thebaid. VIII, 358: « Qualis ubi adversi secretus pabula cæli Nilus, et Eoas

Æthiopum lingua Siris ruit; utque Syenen
Cærulus accedens diti loca flumine adulat,

magno bibit ore pruinas ». Porro quod dicit : « incidit flexibus », id singulare est, et sine exemplo. In V. *incedit*. Schr. Rarum quidem *incidere* de fluvio, iterum tamen eo utitur v. 1171, ubi lacus Thospitis faciem Tigri fluvio perrumpente *incisam* dicit. Alias similibus utitur, ut vs. 940 : « nusquam terras intersecat amnis »; et v. 925 : « Sugdias, ingenti quam flumine dissicit Oxus »; et vs. 1072 : « Bostrenus jugera findit ». W. — Ad *incidit flexibus* Schraderus quærit, an forte *incedit flexilis*.

337. *Æthiopum lingua* omisso *in* cod. Ambr. idque probare videtur Schraderus, et mecum sentit. (Vulgatæ *Æthiopum in lingua* habent.) Nam sic usus fert, copiosa probatione non indigens, et mox similiter: « Nomine se claro Nilum trahit ». — *Siris ruit*. Forsan *cluit* Huds. Withof. Favet κικλήσκεται · rejicit Oudendorp. vol. V, pag. 74. Avienus antiquorum verborum captator, nusquam tamen *cluo* adhibuit. Cæterum de voce Siris vid. Jablonsk. Panth. Æg. II, pag. 144, 145, 146. Schr. — Hoc nomen Nilo orienti inditum *Siris* confirmat notitia lacus, quem Nilus primum permeat et qui nunc *Zair* et *Zembre* dicitur. Cæterum *Astapus* quoque cognominabatur, quod Æthiopum lingua significat aquam e tenebris profluentem; item *Astabores* et *Astusapes*. Ed. — Pro *ruit* forsan *cluit* conj. Hudson. et Schrad. in marg. Trogn. id tamen in notis spernere videtur. *Siene* habet Cusp. *Syene* Pith. *Sienes* vir doctus in margine Cuspin. edit. scripsit. *Sienen* edidit Vad. et hoc volunt Huds. et Oudendorp. in Obs. Misc. confirmans vs. 704 et 909. *Syenæ* Heins. alii *Syenas*, quod multum præferebat Schraderus, quamquam, ut in re incerta, recepturus erat *Syenæ*. Ego malo cum Vadiano scribere *Syenen*.

338. *Diti loca flumine adulat*. Sic Attius Prometheo : « Pinnata cauda nostrum adulat sanguinem ». Ortel. Sed *adulat* Ven. Ad verba *diti flumine* compara Ovid. Amor. III, 6, 39 : « Ille fluens dives septena per ostia Nilus »; et v. 94 « divitias » vocat aquas copiosas. Val. Flacc. « divitem Hebrum » adpellat IV, 463. Schr. E singularibus Avieni est *adulat flumine*, quod item infra v. 571 videtur reponendum, etsi vitiose ibi in vulgatis legitur *adsuleat*, et Vadianus edidit *aduleat*. Quoniam *adulare* proprie de canibus dicitur, quando et cauda adludunt, et lingua mulcent (confer Horat. Carm. II, 19, 31, et Gell. V, cap. 14), hinc *adulare* idem esse videtur, ac *lambere*, quod de fluminibus frequentatur. Conf. vs. 575. De aquarum blando adlapsu idem verbum adhibuit Statius, Theb. IX, 324, ubi de Crenæo per Ismenum fluv. vadente : « Lætus adulantem nunc hoc nunc margine ab illo Transit avum », ubi Barthius etiam nostrum locum adducit ». Verbo *adludere* usus est supra vs. 121. Wd. — *Flumine adulat* scribit Pith. cum Venet. *adundat* Cusp. et Vad. sed hoc verbum lexica non agnoscunt. *Alludat* V. habere tradit Schrad. quod metathesi literarum facta confirmare lectionem *adulat* videtur.

Nomine se claro Nilum trahit, inque jacentem
Ægyptum fusus fluctu premit arva marito,
Fecundatque solum : procul illinc agmina cogit
In Boream, scissusque vagis anfractibus æquor
Proserit, et ponto septem ferus explicat ora.

339. *Nomine se claro* Nilum : sic Cusp. Vad. Pith. et rel. *clarum Nilum* A. et V. quod repudiat Schrad. et conjicit « nomine se claro Nilus trahit ». Nec repugno : sed tamen vetus lectio defendi potest superiore versu 337 : « Æthiopum lingua Siris ruit ». — *Inque jacentem Ægyptum fusus.* Similiter Lucan. II, 416 : « Si non per plana jacentis Ægypti Libycas Nilus stagnaret arenas ». Markl. Stat. pag. 40. b. Schr. Sic *terrenam Syenen*, id est, campestrem, non scruposam, vocat Gratius, Cyneg. v. 507. W.

340. *Fluctu premit arva marito.* Maritum, ut hic, pro adjectivo positum multis locis probavit Heins. ad Ovid. Heroid. XIV, 19, et ad Claud. Bell. Gild. 407. Schr. — Usum vocis *maritus*, quando pro quolibet fecundante ponitur, hoc loco præstat observare. « Maritos imbres » vocat Pervig. Ven. v. 4 et 61 ; quos Virgilius, Georg. II, vs. 325, « fecundos imbres » dixit. « Zephyrum maritum » tigris Claud. Rapt. Proserp. III, 265, quem et « glebas fecundo rore maritare » dicit Rapt. Pros. II, vs. 88. Conf. Epith. Ausp. v. 2 (huj. op. t. III, p. 386. Ed.) Avieni loco similis est Marii Victoris, lib. I Genes. pag. 317 Fabr. « Ad gremium sacri nemoris, quod silva coronat, Fons scatet, et diti prolem virtute maritat ». Pro *fluctu marito* Noster in Phænomenis, v. 795 et seqq. « undam alumnam » tribuit Nilo : « Pharium pars altera Nilum Commemorat, largo segetes quod nutriat amni, Arentesque locos unda fecundet alumna ». W.

341. *Illic*, quod vulgatæ habent, in *illinc* mutant Hudson. With. et Schraderus, rectissime. Firmat Schraderus ex Dionysio, vs. 225 : Κεῖθεν δ' ἐς Βορέην · et Priscian. vs. 214 : « Hinc Boreæ currens ad partes ».

342. *Æquor Proserit*, h. e. exserit, protendit, propellit. Hoc verbum fere peculiare Avieno est. Vs. 702 : « Cererique Thasus dilecta profundo Proserit albenti se vertice » ; v. 580 : « Et matutinus qua lucem proserit ortus » ; vs. 995 : « In qua vitiferæ Tmolus juga proserit arcis ». Et in Phænom. v. 1123 : « Proserit Hydra caput ». W.

343. *Et ponto septem serus explicat ora.* Cum Oddio lege *ferus*, aut *sero*. Huds. — Non animadvertit Hudsonius errorem in quantitate, sed Oddius id emendat *ferus* contra orationis filum. Poeta flumen Ægypti ut maritum repræsentat, ideoque lego : « et ponto septemfluus explicat ora ». Est aperta versio Dionys. 227 : Ἑπτὰ διὰ στομάτων εἱλιγμένος, εἰς ἅλα πίπτει. Propert. II, 1, 32 : « Nilum, quum tractus in urbem Septem captivis debilis ibat aquis ». Priscian. Perieg. v. 216 : « Septenoque ferit Pellæum gurgite pontum ». Auct. anonym. in Obs. Misc. vol.

Non olli compar quisquam fluit, inclyta quamquam
Undique se totis eructent flumina terris.
Nilus enim immensos ulnam dispergit in agros,
Et fovet invecto sata gurgite: Nilus honorem
Telluri reparat: Nilus freta maxima pellit.
Hic Asiam ab Libya disterminat, axe Favoni

I, tom. II, pag. 274. Verum est, hic Nilum describi ut beneficum in Ægyptum: sed nihil impedit, quominus tamen « procul a fecundis arvis, agmina cogat, æquor proserat », et *ferus in pontum* efferatur. B. Editor ibidem. *Serus* primâ brevi Smetius, Vossius et alii dudum gravi nota damnaverunt. Sed numquam dubitavi, quin *serus* ex precedentibus *septem serit* fluxerit. Quid autem dederit Avienus, controversum est. *Septemfluus* rei et Dionysio congruit. Sed quis ferre possit: « ... ponto *septemfluus* explicat ora. Non olli compar quisqusm *fluit*, inclyta quamquam Undique se totis eructent *flumina* terris ». Verius itaque videtur *ferus*, quod Anonymus et Oddius conjiciunt; ut « ferus Ister » vs. 310; « ferus Hadria » vs. 527. Nilus autem *sævus*, *asper* et *atrox* vocatur a Mela, I, 9. Dicet aliquis, talem fluvium describi *fontibus vicinum*; contra *placidum*, ubi se in ora septem scindat. Fateor: sed forte id non attendit vel curavit Avienus. Favere certe videtur Statius, Theb. VIII, 358: « Qualis ubi aversi secretus pabula cæli Nilus, et Eoas magno bibit ore pruinas, Scindit fontis opes, septemque patentibus arvis In mare fert hiemes ». Ipse Phænom. vs. 799: « Vel quod de medii prolapsus parte diei, Vastus in æquoreas pelagi sese inferat undas ». Schr. — *Septem serus explicat* edidit Pith. *Septemfluus* vult anon. Anglus in Obs. Miscell. t. I, p. 274. Schraderus olim in schedis conjecerat *suus explicat*: in notis post alias conjecturas recipit *ferus*, quod dudum posuerunt Cusp. et Vad.

345. *Eructent flumina.* Vide notata ad vs. 213. Ed.

346. *Nilus et immensos:* sic vulgatæ: et *immersos* conj. Heins. *Nilus enim mersos* Higtius: neutrum probat Schraderus. Mihi placet *Nilus enim immensos*. *Ulnam dispergit* Pithœus vulgavit, unde et alii: sed *ulvam* habet Ven. Cusp. Vad. cum Ambr. cod. idque deinceps per conjecturam invenerunt Heins. ad Ovid. Met. XIV, 103. Huds. Bronckhus. Quod tamen miratur Schraderus elegantibus hominibus placere potuisse. Igitur scribit *limum*, idque copiose et docte defendit. Mihi tolerabilis lectio *ulnam* videtur, præfero tamen cæteris *vitam dispergit in agros*. — Vid. Excursus III ad calcem hujus carminis. Ed.

349. *Hic Asiam ab Libya disterminat.* Elegantius foret: *Hic Asia Libyam disterminat*, quia sequitur: *axe Favoni Secernens Libyam:* nec aliter Dion. 230: Ὅς ῥά τε καὶ Λιβύην ἀποτέμνεται Ἀσίδος αἴης · et Prisc. v. 219: « Hic latis Libyen Asiæ disterminat oris ». Nihil tamen muto, quod sic *ab* ejici debet, et casus commutari. Habere etiam potuit cod. similem Bodl. 5, qui exhibet:

Secernens Libyam; redeuntis solis ab ortu
Disjungens Asiæ medio confinia fluctu.
Nec procul illa virum gens incolit, axibus olim
Quæ prior humanas leges et jura notavit,
Vomere quæ duro, quæ longi pondere aratri
Sollicitavit humum, quæ fetus edere sulcis

Ὅς ῥά τε καὶ Λιβύης ἀποτέμνεται Ἀσίδα γαῖαν· Schr. — Schraderus malit *Hic Asia Libyam disterminat.* Quam tamen mutationem, nexum et sententiam orationis satis perpendens, non desidero.

350. Pro *solis ab ortu* Schraderus tentabat *at ortu*, ut *axe Favoni Secernens Libyam.*

352. *Actibus olim* edidit Pithœus cum Ven. quem sequitur Huds. *artibus* dederunt Cusp. et Vad. quod etiam conjecit Huds. admisit Schraderus, sed Burmannus emendavit *actibus olim Quæ prior humanis.* — *Actibus olim Quæ prior humanas leges et jura notavit.* An *artibus?* Huds. forte *artibus.* With. *Actibus olim Quæ prior humanis leges et jura notavit* ita legendum ex veteri codice: perperam vulgati *humanas.* Burm. ad Ovid. Met. VII, 58. Pro *notavit* forte *rogavit.* Confer. Lucret. VI, 3; Manil. II. 19. Similiter With. encæn. p. 445. Schr. Sed his conjecturis nondum castigatus est locus. Et miror viris acutissimis non in mentem venisse, quod obvium erat. Nempe legendum *axibus olim Quæ prior humanas leges et jura notavit.* Axes sunt tabulæ sectiles, ut explicat Pomp. Festus. Et talibus axibus leges incidebantur antiquitus. Gellius, lib. II, cap. 12: « In legibus Solonis illis antiquissimis, quæ Athenis axibus ligneis incisæ sunt, etc. » Idem significat Horat. Art. Poet. 399: « Fuit hæc sapientia quondam, . . . Oppida moliri, leges incidere ligno ». Jam *axibus* restitutis, *rogare* non locum habet, sed retinendum *notavit.* Nam *notare* est scribere vel incidere. Vid. Ovid. Her. V, 22; Calpurn. I, 21, III, 43. Wd.

354. Verba *vomere duro* et *longi aratri* illustrabunt similia aliorum loca, ut Hor. Serm. I, 1, 28: « Ille gravem duro terram qui vertit aratro »; Virg. Georg. I, 162, qui « inflexi grave robur aratri » nominat, quomodo et Val. Flac. VII, 555, Avieni ipsius v. 170, Propertii II, 25, 47, Claud. Ruf. I, 202. Vereor tamen, ne Poeta inconsiderate loquutus sit: in molli enim solo Ægyptio *levia* aratra sufficiebant. Schr.

355. *Sollicitavit humum.* Sic Virg. Georg. II, vs. 503: « sollicitant alii remis freta cæca ». Ed. — *Quæ rectis cædere sulcis Tellurem docuit.* Heinsius legit: *quæ fœtus edere sulcis.* Huds. — Hic nempe ad Ovid. Fast. I, 351, ita scribendum ex veteri libro Mediolanensi judicat, nisi mavis *credere sulcis.* Veneta habet *secus*, unde Pithœus fecit *rectis:* cujus correctionis fundus Dion. v. 235, ἰθυτάτης αὔλακος, collat. Hesiod. Oper. et Dier. 443; Theocr. X, 2. Plinius, XVIII, 19: « Omne arvum rectis sulcis, mox et obliquis subigi debet ». Sed ita bis terve idem dici, et omitti vide-

Tellurem docuit, quæ cædens partibus æthram
Prodidit obliquo solem decurrere cælo.
Istius ergo tibi formam regionis et oras
Expediam versu. Blandus prætenditur aer,
Prodigus herbarum cespes jacet, aspera nusquam

tur, quod Dionysius addiderat, καὶ σπόρον ἁπλώσαντο. Quid? quod latinum non videtur, cædere tellurem sulcis; quod sensisse videtur Higtius, corrigere conatus *scindere*. Et propria quidem loquendi genera sunt findere, scindere, proscindere, profindere terram, arva, aratro. Sed ne multa, *secus*, quod habet Ven. leviter mutari debuerat in *fetus*. Hoc docent codices Ortel. et Ambr. unde N. Heinsius veram lectionem eruit. Adpositus est ad hanc firmandam et probandam locus Cicer. de Orat. II, 30: « Ager novatus et iteratus, quo meliores fetus possit et grandiores edere ». *Docere* autem ponitur, ut Virgil. Georg. II, vs. 77: « huc aliena ex arbore germen Includunt, udoque docent inolescere libro ». Schr. — Prima Ven. habet *quæ secus edere sulcis*. Cusp. et Vadian. vulgarunt *quæ sectis edere sulcis*. Pith. et Hudson. *quæ rectis cædere sulcis*. Heinsius tandem ad Ovid. Fast. I, 351, ex veteri libro Mediol. recte emendavit *quæ fetus edere sulcis*, quod etiam scriptura Venetæ offert, et Schraderus bene illustrat. Hic tamen olim in margine edit. Trogn. notaverat, lego *tractis cædere sulcis*.

356. *Cædens partibus æthram*, uti legendum monuimus in var. lect. significat describens in partes, et lineis distinguens cælum, quod *cælum metari* dixit Ovid. Fast. I, 309, sumpta a Geometris locutione. Græcis est διαγράφειν. Consule Heins. ad l. c. Hujus artis inventum pariter Ægypto adsignat Claudian. Cons. Mall. vs. 126 seqq. « Invenit ætherios signantem pulvere cursus; Quos pia sollicito deprendit pollice Memphis ». W. — Cuspian. edidit *Tellurem docuitque cedens a partibus ethram*. Camers ad Prisc. 221 legit « Tellurem docuit, cædensque a partibus æthram », ut carmen stet. Eum sequutus Vad. *cedensque a partibus* edidit. Pithœus cum Hudsono: *quæ cedens partibus æthram*. Hudsoni conjectura est *scindens* vel *cædens*. Schraderus memorat Anonymum conjecisse *scindens*, Higtium *cædens*, Nic. Heinsium *artibus*, qui in margine hæc adjecit: forte aliud latet, *scandens artibus æthram*; ingeniose utique, respiciens forte locum Ovidii, Fast. I, 298. Horum tamen omnium nihil ipsi satisfecisse videtur. Mihi placet, quæ plurium emendatio est, *quæ cædens partibus æthram*.

357. *Decurrere cælo. Procedere* A. forte adhæsit e præcedenti *cædens*. Vulgatæ favet Dion. δρόμον ἠελίοιο, et Prisc. « Obliquos solis tractantes pectore cursus ». Schr. — *Decurrere cælo* præferunt omnes edd.

358. Vulgatæ habent *oræ*, sed Schraderus dubitat, an leg. *oras*, comparans Dionys. 238, et Prisc. 225. Atque hoc mihi ob plures rationes præferendum videtur.

359 et 360. Salubritatem aeris, fertilitatem et planitiem Ægypti multis locis veterum scriptorum

Culmina consurgunt, portus cavat ora frequentes.
Quidquid terra dehinc redeuntis sufficit anni
Tempore, præ cunctis stupeas specieque modoque.
Trina loco frons est, sed laxior axe Bootis,
Luce sub Eoa constrictior, usque Syenen

adprobatam videas a Barthio ad Claud. pag. 13o b. 132 b. 152 a. Ad verba : « aspera nusquam culmina consurgunt », audi inprimis Cic. de Divin. I, c. 42 : « Ægyptii, ut Babylonii, in camporum patentium æquoribus habitantes, quum ex terra nihil emineret, quod contemplationi cæli officere posset, omnem curam in siderum cognitione posuerunt ». Hinc Noster jam supra v. 339 Ægyptum vocavit jacentem, quia collibus caret. Schr. — *Aspera nusquam* Cusp. Vad. Pith. sed Camers ad Prisc. 221 legit *numquam*, quod minus probo.

361. *Portus cavat ora frequentes*. V. habet *frequenter*. Schottus hypallagen esse statuit, pro *portus frequentant oram*. Similiter dixit Solinus, cap. 39, p. 49. D. « specus montem cavat ». Et Avien. vs. 680 : « Lucis ab exortu Pamphylia qua cavat æstum Prolabentis aquæ ». Schr. — *Portus cavat ora frequentes*. Sic Cusp. Vad. Pith. sed Camers l. c. vult *cavat unda frequentes*.

363. *Speciesque modoque* Ven. *specieque modoque* Cusp. et Vad. sic et codices Ortel. et A. habere monet Schrad. eamque lectionem non spernendam esse, quia *stupere* cum ablat. frequens sit. Sed Camers ad Prisc. 221 corrigit *præ cunctis stupeas, speciesque modosque*. Et sic ediderunt Pith. et Huds.

364. *Trina loco frons est*. Locus pro terra, vel regione, ut Virgil. Æn. I, 53o : « Est locus, Hesperiam Graii cognomine dicunt ». Frons autem, quod alias latus, limes, margo dicitur. Dionys. 242 : ἐπὶ πλευρῇσι. Prisc. vers. 229 : « Marginibus laterum formatur at undique ternis ». Mela, lib. I, 3, 29, de Hispania : « Hæc in occidentem, diuque etiam ad septemtrionem, diversis frontibus vergit ». *Frontis* et *laterum* voce Melam promiscue uti docet Ciaccon. ad Mel. l. c. Schr.

365. *Luce sub Eoa constrictior*. Pariter Dionysii verba, 243 : ὀξὺ δ' ἐπ' ἠῶ, Priscianus intellexit, v. 231 : « Ast ortus angusta petit ». Sed Holsten. ad Dionys. v. 332 : « πρὸς ἠῶ, versus meridiem. Sic et v. 243 ; unde adparet eum ἠῶ non pro Oriente, sed pro Meridie accipere. Vide Eustathium ad v. 243. Utrobique errorem sequuntur Avienus et Priscianus ». Schr. In margine verba Eustathii protulit Schraderus; quibus opponit : hic non agi de Delta, sed de tota Ægypto; memorari enim Thebas. Provocari quidem ad Strabonem, I, p. 59, et X, p. 697, loca Hom. Iliad. XII, et Odyss. XXII, 191, in hunc modum pariter explicantem. Sed has sibi nugas videri : non Strabonis interpretationem esse, sed Aristarchi. Significari in locis citt. Homeri nihil aliud, nisi Orientem et Occidentem. Et sic quidem Avieni caussam adversus Holsteninm tnitus est Schraderus. Wass. Conf. quæ nos diximus ad Prisc.

Tenditur, unde pii volvuntur flumina Nili.
Hic urbs est Thebæ, Thebæ quæ mœnibus altis
Præcinxere larem: Memnon ubi Tithoneus

v. 231. W. — *Construetior* habet Ven. *Sienem* Cusp.

366. Pro *Tenditur* in Ambr. est *Panditur*, perperam. *Tenditur* est Dionysii ἑλκόμενον. Millies autem voces permutautur. — Pro *unde pii* A. legit *undosi:* sed hæc lectio nonadmittenda, quia sequitur Avienus et vertit (quamvis loco non suo) Dionysii versum 221: Ἔνθεν πιοτάτοιο κατέρχεται ὕδατα Νείλου. Quod vero dicit, *unde* (h. e. ex Syene) *volvuntur flumina Nili*, id Dionysius hoc loco non babet, sed Avienus id forte collegit e versn 223: οἱ δὲ Συήνης Ἐνναέται στριφθέντι μετ' οὔνομα Νεῖλον ἔθεντο. Schr. Ita vero contra veritatem scripsit Avienus. W. — *Pii flumina Nili*. Pius dicitur beneficus et salutaris. Sic apud Claud. Cons. Prob. 97, *pius amnis* Tiberis, qui Romnlum et Remum pueros servavit: *pia Memphis* apud eumdem Cons. Mall. 127, quæ cæli et astrorum scientiam iuvenit: *piæ undæ* in Lact. Phœn. v. 37, quæ corpus immersum Phœnicis recreant: *pius ignis* iu Lucilii Ætna, v. 599, qui non adtingit et nocet. W.

367. *Hic urbs est Thebæ*. *Hic* est hac regione, quæ a Syene incipit, et prima trium partium Ægypti est, quas versn 364 proposuit, quæque Thebais sdpellata, a primaria urbe Thebis. W. — *Urbs est Thebæ*. Ven. *Thebe*. Eversa erat Thebe tempore Dionysii et Avieni. Vid. Boch. G. S. p. 279; tamen ut florens et superstes celebratur. Schr. Nempe Dionysius antiquissimos plerumque scriptores sequitur, neque quid mntat Avienus. W. — *Thebe* hsbent Cusp. et Vad. *Thebæ* Pith. et reliqui.

368. *Quæ mœnibus altis Præcinxere larem*. Similiter Noster, Or. mar. 699: « Stagnnm ambit urbem, et unda lambit oppidnm Laremque fusa »; item v. 197: « sub nivoso maxime Septemtrione collocaverant larem »; et Descr. Orb. 870: « Transvexere larem »; iu quibus omuibns singularis numerus occurrit. Forte tamen *m* adhæsit ex subseq. *Memnon*, et auctor dedit: « Thebæ, quæ mœnibus altis Præciuxere lares; Memnon ubi Tithoneus »; et v. 495: « Romanosque lares lapsu prælsmbit alnmno »; et 1071: « Sidoniique lares ». Schr. — *Memnon ubi Tithoneus*. Perperam scribitur *Tithonæus* in Ven. Pitb. Huds. et Cnsp. Scribendum est *Tithoneus*. Nam ut a Φοῖβος, Φοίβειος, sic a Τιθωνὸς, Τιθώνειος. Nec aliter Ambr. exhibet et citat Heins. ad Virgil. Æn. I, 201; conf. Scal. ad Manil. p. 218. Aliis est *Tithonius*. Idem recurrit Phænom. v. 1034: « Nam Titboneo quum sunt elata profundo, Rursus in occiduos merguntur singula flnctus, Ordine partito ». Hanc enim correctionem (quam fecit Grotius ad Avieni l. c. et ad German. p. 21, pro eo, quod est in vulgatis, *Namque Titaneo quum sunt*) firmat et probat ed. Ven. quæ pro *Titaneo* dat *Tithonieo*. In alis quidem N. Heinsius ad Diras Cat. v. 40, discedit, corrigendum pronnntians: « Namque ea cysneo quum sunt elata profundo ». Sed correctionem refutant *occidui fluetus*, qui docent Eoum profun-

Suspectat roseas Auroræ matris habenas.
Pars quæ cyaneo discedit ab æquore, septem

dum requiri; atque adeo Aratus, Phæn. v. 534. Indidem vero patet, quid tribuendum sit pejori conjecturæ, quam protulit in notis ineditis ad Avien. l. c. « Namque Atlanteo ».—Etiam *Tithoneus* edidit Vad.

369. *Suspectat roseas Auroræ matris habenas*. Dionys. v. 250: ἀντέλλουσαν ἑὴν ἀσπάζεται Ἠῶ. Salutat exorientem matrem suam Auroram. Loquitur de statua Memnonis saxea, forma colossi, quæ erat Thebis Ægyptiis in templo Serapidis. Plinius, lib. XXXVI, c. 7: « quotidiano solis ortu contactum radiis crepare dicunt ». Tacitus, Ann. II, 61: « Cæterum Germanicus aliis quoque miraculis intendit animum: quorum præcipua fuere Memnonis saxea effigies, ubi radiis solis icta est, vocalem sonum reddens ». Juvenalis, XV, 5: « Dimidio magicæ resonant ubi Memnone chordæ, Atque vetus Thebe centum jacet obruta portis ». Significat sonitum ejus, solis radiis percussi, similem fuisse chordæ in cithara percussæ. Vetus scholiastes adnotat, statuam ipsam tenuisse citharam. Quod autem *dimidium* vocat Memnonem, id explicat Strabo, lib. XVII, p. 816, superiorem a sede partem ejus statuæ, memorans, terræ motu corruisse. Pausanias in Attic. cap. 42, a Cambyse destructam esse narrat, et superiore parte dejecta reliquum truncum adhuc sedere, et quotidie sub ortum solis sonum edere. Wd. — *Suspectat roseas Auroræ matris habenas*. *Roseas bigas* eidem tribuit Auson. Perioch. XVII Odyss. et *roseas quadrigas* Perioch. VIII Odyss. et Virg. VI, 535, VII, 26. Illic tamen pæne puer corrigere conabar: *Aurora in* croceis *fulgebat* lutea *bigis*. Consentit Bentl. ad Lucan. IV, 125, in adnotatis diu postea vulgatis, pariter conjiciens. Dissentit Heynius: nec tamen sententiam muto. Nam sic Auson. Perioch. VIII Il. qui totus poetarum versus in sua carmina transferre solet: « Aurora in croceis fulgebat lutea bigis ». Deinde *croceæ bigæ* congruunt *luteæ* Deæ, et ipsum *lutum* Virg. *croceum* vocat Ecl. IV, 44. Præterea scriptores duo verba conjungere solent, ut Claud. de Nupt. Hon. et M. 211: « Para infecta croco velamina lutea Serum Pandite ». *Luteas* autem *bigas* Auroræ tribuit Pacuvius Thyeste: « Non illic luteis Aurora bigis ». Vulgatæ tamen lectioni favet Palladius in Anthol. Burm. p. 303: « Lutea fulgebat roseis Aurora capillis ». Sed cum Voss. liber offerat *roreis*, parum abest, quin et hoc in *croceis* mutandum censeam. Certe Francius, teste Burmanno, præferebat *croceis*. Propterea Ovid. Fast. IV, 715: « Memnonis in roseis lutea mater equis ». Schr.

370. In edit. Madrit. *pars quæ coeat*. Forsan *pars ea quæ coeat*, vel *pars ea quæ Eoo discedit*, vel potius *pars quæ cyaneo discedit*. Huds. Unice probo, ut legatur *cyaneo*, quemadmodum Heins. ad Diras Cat. v. 40, in Anth. Burm. t. II, p. 658. In Ven. *coeandis cedit*, unde partim bene Pith. *discedit : coean* compendiose scriptum pro *coeaneo*; hoc autem corrupte pro *cyaneo*, ut *Illœrium*, *Mæsia* pro Illyrium, Mysia. Conjectura Anonymi *Mæreo* vix

Oppida sustentat : notiam pars vergit in oram,
Et modus est olli Serbonidis alta paludis;

refutari debet : nemo dixit *Mœreus.* Schr. — *Pors quæ cyaneo discedit ab æquore.* Hoc est, Pars altera, media Ægypti, quæ Heptanomis, vel Heptapolis vocatur. W. — Ex Ven. quæ *cocondis* habet Cusp. et Vad. expresserunt *Pars ea quæ Oceani discedit ab æquore.* Pithœus magis corrupit *Pars quæ coeat, discedit ob æquore.* Hudsoni editio nescio unde habet *Parsque cocam discedit.* Hinc variæ conjecturæ.— *Cyaneis* iterum occurrit inf. v. 769, infra. Ed.

371. Claudicat versus. Forsan legendum : « Pars ea, quæ coeat, discedit ab æquore, septem Oppida sustentatque; noti pars vergit in oram ». Huds. *Notis* A. leg. *Notiam.* Hoc adjectivum non tantum Plinius et Manil. usurpant, sed et Noster, Phænom. 826. Cepit autem male verba Dionysii, 252: Ἠδ' ὅσσοι νοτερῇσιν ἐπ' ἠϊόνεσσι θαλάσσης Παῤῥαλίην ναίουσιν, aut pro νοτερῇσιν legit νοτίῃσιν, ut auctor scholiorum minorum : καὶ ὅσοι πρὸς τὰ νότια μέρη τοῖς αἰγιαλοῖς τῆς θαλάσσης τὴν Αἰγυπτιακὴν πάραλον κατοικοῦσιν ἕως τῆς Σερβωνίδος λίμνης. Withofius: forte *Notiam*, aut *ponti.* Posterius minus peccaret. Verius tamen videtur *Notiom.* Schr. Neque vero necesse est, *notiom oram* de meridiali vel australi intelligere, quamvis ea notio frequens est. Sed νότιος idem significat, quod νοτερὸς Dionysii, humidum, humectum. Igitur litoralem, maritimam partem Ægypti, quæ, ut alibi Noster, *mari vicina madescit* (v. 326) significat. Qua observata significatione Avienus plane absolvitur erroris, et intelligitur, eum verba Dionysii νοτερῇσι et Παῤῥαλίην exprimere voluisse. Malo igitur minore litera *notiam* scribere, quam *Notiam.* Wd. — Pithœus et Huds. adhuc dederunt *Oppida sustentat: noti pars.* Hudsonus sic mederi voluit in Add. « septem Oppida sustentatque; noti pars ». A. habet *notis.* Sed Cuspin. edit. « noctis pars vergit in oram », et Vad. « noctis pars vergit in axem ». Hæc lectio non solum facilis esse videtur ob similitudinem vocum *noti* et *noctis*, sed etiam exprimere Dionysii v. 253 Παῤῥαλίην. Nam maritima pars Ægypti ipsa est septemtrionalis, quam *noctis oro* vel *axis* significat, perinde ut πρὸς ζόφον apud Homerum de septemtrione intellectum esse tradit Strabo, lib. I, pag. 59, Alm. Ego tamen vereor, ne sit ea lectio solo Vadiani ingenio reperta, et nonnullis durius esse videatur noctis axem vel oram vocari septemtrionem. Schraderus jampridem in schedis, tum in Observ. p. 44, *Notiam* legendum censuit. Olim in marg. Trogn. malebat *ponti*, quod Græco Dionysii consentaneum est, qui hoc loco maritimam partem Ægypti describit. Sed *Notiam* tamen ipse postea prætulit. Atque ego probo eo sensu, quem in hac nota expono.

372. Cusp. habet *Est modus est olli.* Camers ad Prisc. 238 ex eo fecit *Ast modus est:* melius Pith. et Huds. *Et modus est.* — *Serbonidis alta paludis.* Probo *olta* ex v. 392. Constructio illustrari potest hoc Propertii loco, IV, 1, 10 : « Unus erat fratrum maxima regna focus »;

Altera pulsatur genitabilis ore Favoni.
Hic urbem posuit Pellææ dextera gentis;
Hic inter celsas late surgentia nubes
Templa Sinopæi Jovis adstant nixa columnis,

et IV, 9, 20: « Nobile erit Romæ pascua vestra forum ». Cæterum hinc adparet, Avienum legisse: ναίουσιν ἕως Σερβωνίδος ἅλμης, ut ἕως Ἰνδῶν v. 890. Nec aliter scholiastes legebat notans κατοικοῦσιν ἕως τῆς Σερβωνίδος λίμνης Schr. — Porro *Serbonidis alta paludis* Corp. et Pith. cum seqq. sed *Serbonidis ora paludis* posuit Vad. offensus haud dubie nominativo num. pluralis conjuncto cum singulari *modus est*. Quam ob rem etiam cl. Friesemannus *unda* vel *alga paludis* legi posse existimavit, quamvis infra v. 392 *Tritonidis alta paludis* occurrant. Præfert deinde *Serbonidis acta Paludis*. Sed difficultatem hic obversantem sustulit, et vulgatam lect. defendit Schrad. Cæterum *modus est olli* significat terminus ejus est, ut v. 100.

373. *Altera pulsatur genitabilis ore Favoni*. Dionysius sic v. 254: Τῆς πρὸς μὲν ζεφύροιο Μακηδόνιον πτολίεθρον. An igitur *altera pulsatur* est *alteram partem?* Vid. Grot. ad Phæn. 708, ubi is etiam *altera* explicat *alteram partem*, ut de serpente, v. 244: « Nam qua dextra manus sinuoso adfigitur Angui, Parcius ab domino terga explicat, *altera* porro Plurimus, ac multo per lævum pondere lapsos Funditur ». Adde v. 766, 767, 1222. Sed quum A. habeat *præsolatus*, et singulare est *genitabilis ore Favoni*, num forte legendum *Altera solatur genitabilis aura Favoni?* Lucret. I, 11: « Et reserata viget genitabilis aura Favoni », ubi Creech et Havercampus contra metri leges *genitalis*. Schr. Servo lectionem vulgatam *Altera pulsatur*, i. e. qua alteram partem. Ne accipias igitur *Altera* pro nominativo *altera pars*, et putes alteram partem hic distingui ab ea, quæ v. 371 dicitur in oram notiam vergere, i. e. maritima. Altera pars hic opponitur Serbonidi paludi, quæ alter terminus partis maritimæ Ægypti est, alter ad Favonium est urbs Alexandrina. W.

375. *Hic inter celsas late surgentia nubes*. *Densas* A. quomodo corrigendum vult Heius. ad Claud. Id. I, 90, et Advers. p. 41. Ego caussam mutandi nullam video, præsertim quum ipse Poeta pro vulgata faciat. Or. mar. v. 507: « Mox quippe Sellus (omen hoc monti est vetus) Ad usque celsa nubium subducitur »; et 640: « At rupis illud erigentis se latus, Quod edit amnem, geotici cognominant Solis columnam; tanto enim fastigio In usque celsa nubium subducitur ». Schr.— *Inter densas* pro *celsas* habet A. quomodo corrigendum voluit Heinsius, Schraderonon adprobante. Pro *late surgentia* Schraderus quærit an *alte surgentia*, ut v. 502, « insurgentibus alte Cautibus ».

376. *Templa Sinope Jovis adstabant nixa columnis*. Forsan: « Sinopitæ Jovis adstant ». Legitur etiam, *Sinopæi Jovis adstant*. Mavult tamen Heinsius *Sinopæis Jovis adstant nixa columnis*. Huds. Recte cl. Hudsonus e Dionysio, ut opinor, *Sinopitæ Jo-*

Divite saxorum circumvestita metallo,
Auro fulta gravi, niveo radiantia dente.
Nec minus hic speculæ vertex subducitur, ex quo

vis adstant. Sed cur non potius *Sinopei?* Oudendorp. Obs. Misc. vol. V, t. I, p. 79. Heinsium vide in Advers. p. 41; ad Claud. Id. I, 90; ad Ovid. Fast. III, 529: ubi *Syenæis columnis* vult. Amplector lectionem Ambr. *Templa Sinopæi Jovis adstant nixa columnis*, quia a Σινώπη formari debet Σινωπαῖος, ut ab Acte, Actæus, a Crete Cretæus, a Dodone Dodunæus, etc. Columnas *Synopæas*, atque adeo *Syenæas* refutat Dionysius, v. 255: Σινωπίταο Διὸς μεγάλοιο μέλαθρον, quem N. Heinsius medicinam facturus inspicere neglexit. Schr. Inspecto Stephano et collato Dionysio forsan erit, cui præplaceat Hudsoni emendatio *Sinopitæ*. Wass.—*Templa Sinopæi Jovis adstant.* Sinopæum Jovem hic dici Serapidem, qui præcipue Alexandriæ colebatur, non dubium est. In magnifico ejus templi splendore extollendo apprime cum Avieno convenit Amm. Marcell. lib. XXII, cap. 16, p. 373: « His accedunt altis sublata fastigiis templa; inter quæ eminet Serapeum, quod licet minuatur exilitate verborum, atriis tamen columnariis amplissimis et spirantibus signorum figmentis, et reliqua operum multitudine ita est exornatum, ut post Capitolium, quo se venerabilis Roma in æternum adtollit, nihil orbis terrarum ambitiosius cernat ». Cur Sinopitæ vel Sinopæi Jovis nomen tulerit Serapis, caussa est ejus numinis e Sinope, Ponti urbe, in Alexandriam recens conditam translatio, quam Ptolemæus Lagi, oraculo per quietem monitus, fieri jussit. Memorat Eustathius ad hunc locum Dionysii, plenius Tacitus, Hist. IV, 83 et 84. Wd. — *Templa Sinope Jovis adstabant.* Sic Cusp. Pith. Huds. Camers ad Prisc. 238 correxit *Templa Sinopæi Jovis adstant nixa columnis*, qui simul tentat *Templa Sinadæis Jovis adstant nixa columnis*, quam, licet deteriorem, lectionem sequutus est Vad. *Templa Synadæis*, etc. Synadæum, vel potius Synnadicum marmor notum, sed hujus vocis prima semper producitur. Heinsius tamen legi vult *Sinopæis columnis*. Hudsonus: *Sinopitæ Jovis adstant*, magis convenienter Dionysio, qui et *Sinopæi Jovis* adfert, quod probatur Schradero. Atque hæc emendatio, primæ scripturæ optime conveniens, primo Camerti debetur.

377. *Divite saxorum circumvestita metallo*. Sic Or. mar. v. 296: « stanui gravis Ramenta volvit, invehitque mœnibus Dives metallum ». Schr. *Divite saxorum metallo* interpretor divitibus saxis, h. e. pretiosis, opere metallico excisis, marmoribus fossilibus. Sic plane Statius, Silv. III, 1, 5: « Sed nitidos postes, Graiisque effulta metallis Culmina ». Nam metalla etiam lapicidinæ sunt, et similiter *silicum metalla* dicit Lucan. IV, 304: *divitem gemmam* Propert. III, 3, 26. W.

378. Schraderus legendum censet *Auro culta gravi*. Sed *fulta* omnes edd. servant, et quæ a Schradero loca poetarum, in quibus *fulta*, adducuntur, ipsa pro lectione vulgata militant.—Vid. Excurs. IV, ad calc. huj. Carm. Ed.

379. *Nec minus hic speculæ vertex*

Cernere sit longe Pallenidis intima terræ.
At qua surgenti terræ pars conscia Phœbo est,
Aggere murorum Pelusia mœnia surgunt.
Gens hic docta sali tumido freta gurgite currit,
Inque procellosos lembum convertere fluctus
Ludum habet, et rauca vitam producit in unda.

subducitur. Speculam numinat turrim in Pharo insula, cujus de vocis usu dixi ad Rntil. I, 4n5. *Subducitur* est extollitur, ut vidimns ad v. 99. Ipsam Pharón describit Cæsar, Bell. Civ. III, 112, et Lucan. X, 509: « Tunc claustrum pelagi cepit Pharon: insula quondam In medin stetit illa mari, sub tempore vatis Proteos: at nunc est Pellæis proxima muris ». W.

380. *Ex quo Cernere sit longe Pallenidis intima terræ.* Dionysius, v. 258 sic: ἦχί περ ἄκραι Φαίνονται σκοπιαὶ Παλληνίδος Εἰδοθεείης. Prisc. v. 243: « Et Pharos Idothees scopuli Pallenidis alti ». His cum Avieno comparatis misere eum errantem videmus. Deceptum autem fnisse suspicor libro, qui exhibebat ἦχί τε μακραὶ Φαίνονται σκοπιαὶ Παλληνίδος ἔνδοθεν αἴης, aut ἔνδοθι γαίης. Schr. Nullum dubinm est, sic deceptum, uti Schraderus conjicit, Avienum errorem commisisse, qui pudendus et absurdns est. Nam dum e Pallenide (Idothea, Protei filia) terram facit, Pallenen, peninsulam Thraciæ, quæ patria Protei dicitur Virgilio, Georg. IV, 390, et σκοπιὰς Dionysii de longo prospectu accipit, hinc absurde pronuntiat, e specula ad Alexandriam per tantum maris spatium prospici usque in Thraciam interiorem posse. Fortasse et Pallenen confudit cum Pella urbe, unde Pellæus, Macedonicus, et per Pallenidem terram intellexit Ægyptum, vel regionem Alexandrinam. Impetu ingenii sæpe abreptus est Avienus, ut verba Dionysii minus consideraret, nec veram sententiam exquireret. W.

381. *Surgenti conscia Phœbo est.* Sic plane Juvencus, I, 224: « Gens est ulterior surgenti conscia soli ». Schr. Conscius poetis sæpe est utcumque particeps, adtingens, vicinus; ut Claud. Id. IV, 14 de Nilo: « Flumina profundens alieni conscia cæli ». W. — Alii *quæ*, Huds. At *qua* sententia requirit.

382. *Aggere murorum.* Virg. Æn. XI, 382: « Dum distinet hostem Agger murorum, nec inundant sanguine fossæ ». Schr.

383. *Freta gurgite currit.* Sic *ire freta* dixit Grat. Cyneg. 64, ad quem locum in Excursu plura ejus generis exempla congessi. Et Noster supra v. 332: « Hi celeri molles currunt pede semper arenas ». W. — *Gurgite currunt* Ven. Casp. Vad. *currit* edidit Pith. et Huds. Sed illud fere doctius et Avieno dignius videtur.

385. *Ludum habet.* Pro levi facilique negotio habet. Virgil. Æn. IX, 606: « Flectere ludus equos, et spicula tendere cornu ». De navigatione facili usurpat Claud. Stil. III, 158: « Quod sedem mutare licet, quod cernere Thulen Ludus, et horrendos quondam penetrare recessus ».

Talis forma jacet Libyæ, talique recessu
Ab Zephyro Eoum tellus incumbit in axem.
Istius extenti sola cespitis undique sulcant
Gentes innumeræ, quæ sparsæ litore longo
Oceani australis vada late cærula tangunt;
Et quæ multimodis media tellure agitantes
Arva domant, et quæ Tritonidis alta paludis
Ut circumfuso populorum examine cingunt.

Ad quem locum pluribus eam locutionem illustravit Heins. Couf. etiam Sil. XVI, 573. W. — *Rauca vitam producit.* Apage coujecturam editoris (Hudsoni) *glauca*. Passim poetæ mari daut *raucum sonum*, et *raucas aquas*. Vide Ovid. Heroid. Ep. X, 26; XVIII, 26. Cel. Burm. ad Valer. Flacc. I, 333, « raucos ad litoris ictus »; et omnino ad lib. V, 141, ubi *raucos rivos* apud Claudianum ab ill. Heinsii conjectura, in *flavos* vel *glaucos* mutare conantis, egregie viudicat. Noster qnoque, v. 141: « Alta petuut rauco penitus repeutia fluctu ». Oudend. Observ. Misc. vol. V, t. 1, p. 79. — *Rauca vita producit* Pithœus vitiose in utraque edit. Cusp. Vad. et reliqui *vitam*. Pro *rauca* Heins. et Huds. conjeceruut *glauca*. Schraderus autem *rauca* firmari ait additis *tumido gurgite*, et *procellosos fluctus*.

386. *Talique recessu.* Tali tractu et extensioue ad interiora et fines. *Excursu diffusi agri* dicit vs. 417; *recessus* a Nostro de interioribus terris vel mediterraneis regionibus usurpatur. Infra v. 1061: « Pars procul a pelago terras colit, inque recessu Gens agitat. » W.

388. *Sala cespitis* pro *sola* vitiose præfert utraque edit. Pithœi.

389. *Gentes innumeræ.* Minus venusta esse videntur *ræ*, *quæ*, *sparsæ*. Placet, ut citat Aldretus, Antiq. p. 442: « Innumeræ gentes, quæ sparsæ litore longo ». Schr. Et sic supra ipse Noster, v. 315. W.

391. *Media tellure agitantes Arva domant.* Prisciau. 251: « mediis habitaut telluris iu arvis ». Sed uihil muto. Noster v. 1061: « Pars procul a pelago terras colit, inque recessu Gens agitat ». Nec aliter Sallustius, Jug. 19: « Super Numidiam Gætulos accepimus, partim in tuguriis, alios incultius vagos agitare ». Schr.—Et vide notam ad vs. 459 iufr. Ed.—Omues quidem edd. habent *multimodi*. Sed quia hoc convenire non potest nominativo *quæ gentes*, hinc cum *agitantes* conjungendum est, tamquam adverbium, et scribendum *multimodis agitantes*, h. e. varia ratione agentes vitam. Frequentat hauc vocem Lucretius et Plautus. Sed antiquos imitari Avienus solet.

393. *Examine tingunt.* Verba *tingere* et *cingere* sæpe confunduntur in codicibus. Avieuus, Orb. Descr. 1103: « Et latera ab gemiuo sale tingitur ». Ubi etiam iu codice MS *cingitur*: contra ibidem v. 392 ex eodem codice legendum, « Et quæ Tritonidis alta paludis Ut circumfuso populorum examine cingunt »

Nunc tibi et Europæ fabor latus: hæc, ubi terras
Intrat Atlantei vis æquoris, accipit ortum.
Unus utramque sali fluxus secat, et procul unum
Distinet os ambas; eadem insinuatio ponti

Vulgo *cingunt*. Sic Burm. ad Ovid. Met. IV, 21. Amplius hoc probo Nostri v. 853: « Mæotæ primi salsam cinxere paludem ». Val. Flacc. VI, 68: « Quique lacum cinxere Bicen ». Prisc. v. 327: « Hi ripas Istri porrectas undique cingunt ». Schr. — Vadianus edidit *Hic circumfuso* pro *Ut circumfuso*, quod non congruum videtur. *Examine tingunt* falso edidit Pith. quum omnes alii rectius legant *cingunt*.

394. *Hæc, ubi terras.* Heinsius voluit *hic ubi terras*, quod reprobat Schraderus.

395. *Intrat Atlantæi vis æquoris.* *Intrat mare terras*, et vicissim *terra intrat maria* Avieno descriptione Orbis terrarum haud infrequenter. Tale illud v. 400: « Terras Intrat Atlantei vis gurgitis ». Perperam *Instat* edebatur. Sic et Rutilius, Itin. non semel. Val. Flaccus, I, 590: « quum flens Siculos OEnotria fines Perderet, et mediis intrarent montibus undæ ». Heins. Adv. p. 237; item ad Virgil. Georg. I, vs. 221. *Atlanticus fluctus, sinus, mare, salum* apud Avienum passim occurrit, ut apud Prisc. Perieg. v. 39. *Atlantiacus* dixit Auson. Mosell. v. 144: « Talis Atlantiaco quondam balæna profundo », quæ vox restituenda Avieno in Descr. Orb. v. 395: « hæc, ubi terras Intrat Atlantiaci vis æquoris, accipit ortum ». Vulgo male est *Intrant Atlanti vis:* posses etiam *Intrat Atlantei vis æquoris*, ut apud Stat. Achill. I, v. 223: « Gurgite Atlanteo pelagi sub valle sonora ». Vide Nic. Heinsium ad Claud. Cons. Olybr. v. 35. Drakenb. ad Sil. XV, 37. Ego scribendum edendumque puto: *Intrat Atlantei vis æquoris*, propterea quod litera tantum distat a scriptura Ven. et analogia probatur: nam ab adamas, adamanteus, a gigas giganteus, a Laodamas Laodamanteus, ab Abas Abanteus. In Lucretio tamen, V, 36, Lambinus auctoritate Turnebi dedit *Propter Atlantæum litus*. Codices tamen ducunt ad *Atlanteum*. Schr. — Pithœus vitiose codicem suum exscripsit *Intrant Atlanti vis æquoris*. Idem tamen in Emendat. legendum censuit *Intrat Atlantæi vis*. Sed ipsum hoc ante viderunt Cuspin. et Vad. scribentes *Intrat Atlantei*, ut scribi vult Schr. — Dionysio, v. 30, Oceanus dicitur Atlas: Ἄτλας Ἑσπέριος κικλήσκεται. Et vs. 559: Ἄτλαντος περὶ χεῦμα. Ed. — Eodem versu *accipit undam* ediderunt Cusp. et Vad. sed Pith. *accipit ortum*, quod rectius est.

396. *Unus utramque salis.* Malo *sali*, quod exhibet Ambr. S. — *Unus utrimque* Cusp. et Vad. *utramque* Pith et reliqui. *Sali* pro *salis* mavult quoque Pith. in Emendationibus. — *Utramque*, scilicet Europam et Africam: eo aptius quod sequitur *ambas*. Ed.

397. *Distinet os ambas.* Usum verbi *distinet* pluribus adstruxit Heinsius ad hunc locum Ovidii, Heroid. VIII, 69: « Qua duo porrectus longe freta distinet Isthmos ». Appositus inprimis huic nostro locus est,

Europam et Libyam rapido disterminat æstu.
Sed prior illa tamen tepido perfunditur Austro,
Hæc subit insanos tergum curvata Aquilones.
Ambæ Asiam rursum simili sub limite tangunt:
Æquus utrimque modus protenditur: at simul ambas
Si conferre sibi quisquam velit, una parumper
Ut credatur humus, mediique interflua ponti
Subtrahat; extemplo, quali nux pinea forma est,

quem ibi adducit, Lucretii, V, 204: « Et mare quod late terrarum distinet oras ». Schr. Nempe *distinet* est dirimit, distendit, vel discludit, ut supra v. 198 dixit: « Thracius angustas discludit Bosporus oras ». W.

399. *Sed prior illa tamen. Prior illa* non intelligi potest de Europa, quæ priore loco, et ante Libyam, nominata est: nam ei non congruit, quod sequitur, *tepido perfunditur Austro;* sed habendum est de Libya, licet ea post Europam nominetur: et *prior illa* Libya est, quæ prior in descriptione fuit, de qua hactenus actum est. W.

402. *Æquus utrimque modus protenditur.* Ex utraque parte, Europæ et Africæ, æqualis terræ tractus porrigitur ad limitem Asiæ. W. — Ab hoc vs. ad 407 Higtius sic conjiciebat *Æquus utrique modus protenditur.* Jam pergit Poeta: « ut simul ambas Si conferre sibi quisquam velit, una parumper Ut credatur humus,... Singula versanti talis succedat imago Europæ et Libyæ ». Inficetum est, quod legitur « *Ut* si quis conferre velit, *ut* una credatur humus ». Quapropter recipio scripturam libri Mediolanensis :... « At simul ambas Si conferre sibi quisquam velit... Singula versanti talis succedet imago Europæ et Libyæ ». Dionysius ita v. 275 :... Εἰ δέ κε θείης Ταύτας ἀμφοτέρας γαῖαν μίαν. Sic autem solet Avienus, ut Phæn. v. 169: « Inde pruinoso si lumen ab usque Dracone In convexa feras, oculosque in proxima mundi Declives, qua parte globo tumet altior ortus, Illa laboranti similis succedet imago». Ibid. v. 539: »Hinc si vicino flectaris lumina visu... proles tibi Dercia Pisces Surgent Bambycii ». Adde v. 1082: « Signiferi in summum, medio de tramite si quis », etc. Schr.—Higtius conjecit *utrique*, quod non præfero: *ut simul ambas* omnes legunt editi. Schraderus, *at simul* recipit, ita ut constructio procedat ad *succedet imago Europæ et Libyæ.* Recte hoc omnino, atque ipsi totum locum, ut ea ratio poscebat, distinximus.

403. *Si conferre sibi*, i. e. inter se, vel invicem, ut mox v. 410, « ambæ coeunt sibi cespite terræ ».

405. *Subtrahat extemplo, quoli nux.* Forsan: *Subtrahat; exemplo, quali;* dein post *forma est* comma ponendum. Huds. Quæ conjectura, saltem qua verba, convenit cum Cuspiniano. Sed idem Huds. in conjectur. et emend. potius, « Subtrahat extemplo, quali nux pinea forma est, Singula versanti talis succedet imago». Enimvero sic omnia cor-

Singula versanti talis succedet imago
Europæ et Libyæ: sic nam latus explicat ambas,
Unum et utrique caput, similis quoque finis utrique.
Sed tamen Hesperii qua spectant æquoris undam,
Ambæ producto coeunt sibi cespite terræ;

rumpes. Qnalis enim constrnctio? Ut si quis ambas couferre velit, et interflua ponti subtrahat, talis snccedet imago! ut snccedet! *Extemplo* firmat ipse Poeta, Phæn. 172: « Illa laboranti similis succedet imago Protinus ». S. — *Quali nux pinea forma est.* Nucis pineæ formam hic nominat, quam formam conj. Dionysius, v. 277: ἢ κεν ἐπιπρὸ Σχῆμα πέλοι κώνου πλευρῆς ἴσον ἀμφοτέρῃσιν. W.—Vnlgata Pithœi uno tenore legit: « Subtrahat extemplo quali nnx pinea forma est ». Editio Madr. cum distinctione *Subtrahat extemplo, quali nux:* quomodo et distinguit Hnds. in Add. emendat. Cuspinianus aliter: *Subtrahat exemplo quali nux.* Camers ad Prisc. 261 hic correxit *qualis nux*, quod sequutus est Vad. sed alia cum distinctione: *Subtrahat, exemplo qualis nux pinea forma est.* Schraderus illud *exemplo* profligat, defendit *extemplo*, idque conjungeudnm docet cnm sequente *succedet*, quod adoptat pro *succedat.* Atque hoc ipse sequor.

407. Frustra Hndsonus pro *sic nam* tentat *nam sic.* Illud enim sæpe secundo loco post aliam vocem ponitur a Nostro æque, ac aliis. Vid. Avien. Descr. Orb. 881; Or. mar. 528, 646; Phæn. 624, 702. Conf. Bentl. ad Horat. Serm. II, 6, 78; et vir. doct. forte Jortinum, Misc. Obs. vol. I, p. 388. Schr. Advocari inprimis merebatur Virg. Æn. I, 444. W. — *Latus explicat ambas.* Panllo luculentius Noster supra v. 268: « At latus hoc terra diffusius explicat agros, Arvaque tenta patent ». Schr.

408. Sequor conjecturam Higtii scribentis *Unum et utrique caput, similis quoque finis utrique.* Sic enim v. 396 *utramque*, et v. 401 *ambas* (Europam et Libyam) dixit. Schr. —Vad. et Pithœus distinxerunt *latus explicat ambas Unum, et utrimque caput.* Hndsonus mutavit *explicat ambas, Unum et utrimque:* quod et mihi rectins videtnr. Camers ad Prisc. 261 sic legit, « Unum et utrique caput, similis quoque finis utrique ». Hoc adsnmendnm videtur, propter præcedens *ambas.* Hudsonus vero mavult *utrisque.*

409. *Sed tamen Hesperii.* Clarius hæc apud Dionysium, interprete Papio: « Hæc Boream, Noton illa tuens: quas corpus in unum Si statuas coiisse tibi, mox ductibus æqnis Amborum conns laterum se proferet ingens: Arctior Hesperius, medium sed latus in ortum ». Quam coni similitudinem ut aptiorem probavimus ad Prisciani locum citatum. Ed.

410. *Ambæ producto coeunt*, forte *prœducto.* Heins. An *conducto?* Hoc primo suadet oppositio: *Latior* ambabus species *distenditur*,... quæ reperitnr item v. 563:..... « Isthmi Quippe caput summnm conducitur, arctaque vergit In Boream tellus, et Graios adjacet agros. Cætera sub folii specie disteuditur arva »; ubi

Qua matutinis sol istas ignibus adflat,
Latior ambabus species distenditur. Unum
Hoc agili sub mente tenens, velut obvia habebis

Dionys. v. 405 : Ἄκρῳ μὲν γάρ ἔοικεν ἐεργόμενος στενὸς ἰσθμὸς Πρὸς Βορέην. Similiter v. 822 : « *Vastius* est Asiæ diti caput, indeque sensim In matutinos *oram conducitur* axes ». Deinde eo ducere videtur Dionys. v. 278 : Ὀξὺ μὲν ἑσπέριον, πλατὺ δ' ἀντολίην ὑπὸ μέσσην. Et quando reddit Dionys. v. 166 : Εἰς μυχὸν ὀξυνθεῖσα, idem verbum adhibet : « caput autem cespitis hujus Arctius angusto *conducit* litora tractu, etc. » Denique *con* et *pro* in compositione interdum miscentur, ut 1274, *provolvens* A. exhibet *convolvens*. Quin immo pæne necessario sic legendum : agitur enim de *cono* Europæ et Libyæ; contra de Asiæ v. 822; et nisi legas *conducto*, ὀξὺ non exprimetur. SCHR. Sed conjunctis duobus ejusdem compositionis verbis *conducto coeunt* merito quis offendatur. Verbo *coeunt* τὸ ὀξὺ satis exprimitur, eoque posito alterum *conducto* superfluum erat, satiusque erat *producto* ponere; quod eum sensum minime impedit, sed juvat. Quippe *productus* Avieno est ex latiore parte longius excurrens, et in acutum desinens. Hac significatione supra v. 17 *protentum* dixit, idque pariter, ut hoc loco *productum*, opposuit *latiori*. Itaque nihil equidem hic mutare velim. W. — *Ambæ prœducto* conjecit Heins.

411. *Ignibus adflat. Adflare* pariter de sole occurrit aliis Nostri locis : sic v. 62 : « has oras ardor Titanius adflat » ; et vs. 275 : « Hos adflant rutilæ incunabula lucis ». Proprie quidem dicitur de equis, ut apud Virg. Georg. I, 250 : « Nosque ubi primus equis oriens adflavit anhelis ». Sic Val. Flacc. Argon. II, 130 : « innumerum flatus confugis equorum », sed et de effectu longinqui corporis dicitur, quemadmodum *aura*. Horatius, Serm. II, vs. 8, 95 : « Canidia adflasset pejor serpentibus Afris ». ED. — *Matutinis*, quod Heinsius conjecit, non sperno, quia hoc ποιητικώτερον. Sic autem v. 218 : « Ut matutinis incliuent æquora habenis ». SCHR. — Heinsius conjecit *Qua matutinis sol instans fluctibus*, vel *Qua matutini solis vis fluctibus*. Priorem ejus conjecturam quodammodo juvat Ven. quæ exhibet *Quas matutinus*. Rejicit autem ea Schrad.

413. Verissima lectio, et in contextum recipienda est, *Hoc agili sub mente tenens*, quæ et Ambr. firmatur ac probatur. In V. et Ven. *hoc agili sub mento teneas*, unde Pithœus *hoc agili sub mente teras* ; sed quis dixit *terere sub mente*. Participio hic etiam Dionysius utitur, v. 279 : ἰδὼν πόρον ἀμφοτεράων Ἠπείρων, ῥέα τέρμα κιχήσεαι Εὐρωπείης. Firmatur porro correctio sic satis certa locis valde adpositis Avieni. Descr. Orb. v. 1333 : « Latera agris undique in Indis Quatuor esse tene », v. 1049 ; Progn. v. 323 : « Id qua parte poli spectaveris, adfore ab ipsa Parte tene ventos ». Stat. Achill. II, 279 : « Attamen hunc, quem mœsta mihi solatia linquis, Hunc saltem sub corde tene ». Denique quando Heinsius conjecit *vigili sub mente*, satis tueri *agili* pluribus locis possumus, ut Senecæ de Tranq. An. cap. 2 : « Natura humanus animus agilis

Cætera terrarum. Tellus Europa columnis
Proxima magnanimos alit æquo cespite Iberos.
Hi super Oceani borealis frigida tangunt
Æquora, et excursu diffusi latius agri

est, et pronus ad motus»; Gratii, v. 194, qui «sensum agilem» vocat, et Manilii III, 203, qui «agili corde notandum». Schrad. — Vadian. quoque *Hoc agili sub mente tenens*, quod et Ambros. probat. Cuspinianus similiter, nisi quod ille *Hæc* scribit pro *Hoc*. Hudsonus: Forsan *si mente feras*, vel *sub mente terens*, quod placuit Oddio, sed Schraderus rejicit.

414. *Cætera terrarum*. Sic etiam vs. 1331, *terræ* pro terra. Schr. — *Tellus Europa*. An imitatur Dionysium, v. 152, γαίης ὑπὲρ Εὐρωπείης, qui simpliciter Εὐρωπεΐη pro Εὐρώπη, 280, 562, 615. Multi multa hujus generis contulisse putantur; sed pleraque sunt adjectiva. Schr. — *Tellus Europa* antique, ut «Africa terra» Virg. Æneid. IV, vs. 37, et «Campania terra» Tibull. I, 10, 37. Plura exempla producit Columna ad Fragm. Enn. pag. 188 Hessel. W.

415. *Magnanimos*. Fideliter exprimit Dionysium: Ἀγχοῦ στηλάων, μεγαθύμων ἔθνος Ἰβήρων. Cæterum notandum est plerosque Geographos Europæ descriptionem ab Hispania ordiri. Ita Cluver. Introd. Geogr. lib. II, cap. 2: «Prima terrarum est Hispania: altrix semper Martiarum gentium regio, etc.» Ed. — *Æquo cespite*, h. e. feraci, facili, benigno. Contra vs. 503: «scrupus sola creber iniqua Asperat». Schr.

416. *Hi super Oceani borealis*: sic Cusp. Pith. et alii: sed Vad. *super Oceanum borealem*, et Hudsonus quærit: An *super Oceano boreali*? Viri hi decepti sunt vocula *super*, quam pro præpositione acceperunt, quum adverbium sit, et *super* Avieno sæpe usurpetur de locis versus Septemtrionem sitis, ut vs. 249, 480, 1289. Supra versu 290 eadem dictio, «Oceani australis vada cærula tangunt».

417. *Tangunt Æquora, et excursu*. Pro *et* lego *ut*, hoc est, *ubi*, quia locus aliter non cohæret. Fundus emendationis Dionysius, vs. 281: Τῆς ἤτοι πυμάτην, etc. Ignorantia significationis mutavit *ut* in *et*. Sed Avienus sæpe *ut* pro *ubi* posuit. Phæn. vs. 141: «hunc quoque, ut artus Longius effusum, spatiosa volumina tendunt», quod Grotius male mutabat in *ubi*; v. 803: «ut procul ille Tenditur effusi vi gurgitis», ubi idem ingerere conabatur *hic*. Vs. 650: «Imus ut australi descendit circulus axe Signifer», quo loco idem: Lege *ubi*. Sed se corrigens prudentius subjicit: nisi Avienus *ut* pro *ubi* posuerit. Nam et supra legitur: «ut artus Longius effusum spatiosa volumina tendunt». Schr. Ego vero, cur locum hunc minus cohærere existimet vir summus, nisi *et* mutetur in *ut* pro *ubi*, non satis perspicere potui. Itaque nihil mutavi. W. — *Diffusi latius*. An forte Avienus hic significare vult raritatem Hispaniæ incolarum, ob quam quidam putaverunt Hispaniæ nomen datum, a græco σπανία. Sed alii ab Hispano rege nominatam affirmant. Ed.

Arva tenent, duris nimium vicina Britannis;
Flavaque cæsariem Germania porrigit oram,
Dumosa Hercyniæ peragrans confinia silvæ.
Inde Pyrenæi turgescunt dorsa nivalis,
Gallorumque truces populi per inhospita terræ

418: *Auris nimium vicina Britannis*. Forsan *arvis* pro *auris* legendum sit, vel *duris*. Huds. — Quod ad me attinet, inquit Jortinus in Obs. Misc. vol. I, pag. 275, credo veram lectionem esse *Cauris*. Virgilius, lib. III Georg. v. 356: « Spirantes frigora Cauri ». Cæsar, Bell. Gall. lib. V, cap. 6: « Corus ventus navigationem impediebat, qui magnam partem omnis temporis in his locis flare consuevit ». Avienus sæpe utitur voce *Caurus*. His subjicit Burmannus: « Duo codices, unus, qui fuit olim Ortelii, et alter, quem Heinsius consuluit, habent: « duris nimium vicina Britannis ». *Dira agmina Britannorum* vocat v. 749: *dura* autem et *dira* passim confundi notum est. Ego vero unice tueor lectionem *Arva tenent diris nimium vicina Britannis*. Nam in Ven. *duris: diris* autem scribendum epitheto Britannis veluti proprio. Provoco in eam rem ad Observ. meas, p. 5, ad Avienum ipsum, v. 1268, coll. 749: « Dira Britannorum sustentant agmina terris ». Schr. — *Auris nimium vicina Britannis* vulgatæ Pithœi et Huds. editiones præferunt, sed hoc variis conjecturis locum fecit. Et Heins. ex codice emendavit *duris animum*. Sed *duris nimium* dudum ediderunt Cusp. et Vad. quod ipse verum puto et auctoritate priscorum librorum fultum, licet Schraderus *diris* malit. Nam hic non mores Britannorum exprimere vult auctor, sed clima boreale, propter quod *duri* sunt Britanni. — Sic vs. 451 *Arctos dura* dicitur, et eo sensu *rigidi flabra Aquilonis*, infra v. 441. Conf. quoque vers. 1289 et 456. Ed. — Cæterum pleræque edd. Vad. Pith. Hudsoni, puncto post *tenent* posito, verba *duris vicina Britannis*, cum sequente versu conjungunt, ut Germania dicatur vicina Britannis. Sed Oddius recte censuit conjunctim legenda esse hæc: « Arva tenent, duris nimium vicina Britannis: Flavaque, etc. »

419. *Porrigit oram* pro *ora* jam olim Schraderus in schedis emendavit. Sed in notis dubitat, an id liceat, quum *oram* vix conveniat genti. Enim vero non hic de gente sermo est, sed de terra Germaniæ, quamvis hæc a proprietate gentis suæ, *Flava cæsariem*, describitur, ut fecit Manil. IV, 715: « Flava per ingentes surgit Germania partus ». De terra vero insulsum est dicere *porrigit ora*, i. e. vultum vel capita; contra aptissimum *porrigit oram*, i. e. protendit limites suos, quod continuatur versu sequente: « Hercyniæ peragrans confinia silvæ ». Schrad. quidem in Emend. p. 170, probavit, nomina regionum sæpe pro gentibus poni; sed hoc ita fit, ut gentis ipsius characteres explicentur. In nostro loco secus est. Itaque necessariam puto emendationem *porrigit oram*.

422. *Gallorumque truces populi*. Sic et dicuntur Claud. in Ruf. II, 110. Ad *vitam agitant* conf. v. 1143

Vitam agitant : tum cæruleum Padus evomit antro
Flumen, et extento patulos premit æquore campos.
Hic prius Eridani propter nemorosa fluenta
Fleverunt liquidæ lapsum Phaethonta sorores,
Mutatæque manus planxerunt pectora ramis.

et 1297 : « et qui per inhospita late Arva agitant. Schr. Sup. v. 391.

423. *Padus evomit antro.* Antra sæpe de fluminibus, ut v. 876, 1157, 1290; Stat. Theb. IV, 705; Claud. Id. IV, 8. Schr.

424. *Patulos premit æquore campos.* Respicit crebras exundationes Padi, quibus intumescens, sub exortu Canis, opprimere longe lateque campos dicitur, quamquam ille ob abundantiam aquarum non modo in flumina et fossas diductus est, sed et in plures paludes egeritur, quæ septem maria adpellantur. Vid. Plin. Hist. Nat. lib. III, cap. 16. Exundantem Padum inprimis describit Lucan. VI, 272 seq. « Sic pleno Padus ore tumens super aggere tutas Excurrit ripas, et totos concutit agros, etc. » Ut violentum et impetuosum amnem describit Virg. Georg. IV, 372, ad quem locum consule Heynium. W.

425. *Hic prius*, id est, olim, antiquitus. Monuit Barth. ad Stat. Theb. IV, 32; et ad Grat. Cyneg. v. 2; ubi ipsum hunc Avieni locum adducit. Addi potest Horat. Carm. II, 4, 2 : « prius insolentem Serva Briseis niveo colore Movit Achillem ». W.

426. *Fleverunt liquidæ lapsum Phaethonta sorores.* Hæreo in *liquidæ sorores* : non enim tales fuerunt sorores Phaethontis. Convenit epitheton numinibus aquosis. Videatur Ovid. Metam. I, 704, et Heroid. XIV, 89. An igitur erravit Avienus? an legendum *liquidi?* Sed sic epitheton integro versu distaret ab Eridano. Schr. *Liquidæ* sorores sunt liquentes in lacrymas, et pro lacrymis electra stillantes. Ovid. Metam. II, vs. 364. Hinc electrum idem et *liquidum* et *lacrymosum* dicitur Virgilio, Æn. VIII, 402, et Cir. 434. *Liqui* enim maxime dicuntur lacrymantes, ut mater Drusi in Eleg. ad Liv. 101; ipsæque *liquidæ* fontium Deæ, Nymphæ propterea factæ dicuntur, quod aliquando liquefactæ fletu nimio essent. De Egeria Ovid. Met. XV, 549 : « Liquitur in lacrymas; donec, pietate dolentis Mota, soror Phœbi gelidum de corpore fontem Fecit ». De Cyane Claud. Rapt. Pros. III, 252 : « Liquitur, in roremque pedes et brachia manant ». W.

427. *Planxerunt pectora ramis.* Forsan legendum : « Mutatæque manus planxerunt pectora in alnis ». Burm. ad Lotich. p. 220. Sane poetæ Heliades in alnos mutant, quod arboris genus in ripis Padi frequens. Vid. inter primos Virgil. G. II, 451. Sed vehementer dubito, an latinitas ferat *pectora in alnos.* Latinissime autem dici potest : « Mutatæ manus planxerunt pectora ramis »; ut Albinovan. vs. 109 : « Sic plumosa novis plangentes pectora pennis, Œniden subitæ concinuistis aves ». Schrad. Similiter hunc luctum Heliadum expressit German. in Arat. vs. 362 : « Hunc nova silva Planxere, ignotis mœstæ

Nec procul hinc rigidis insurgunt rupibus Alpes,
Nascentemque diem celso juga vertice cernunt.
Porro inter cautes et saxa sonantia Rhenus,
Vertice qua nubes nebulosus fulcit Adulas,
Urget aquas, glaucoque rapax rotat agmine molem
Gurgitis, Oceani donec borealis in undas
Effluat, et celeri perrumpat marmora fluctu.
Quin et Danubium produnt secreta repente
Barbara, sed discors tamen est natura fluento.
Abnoba mons Istro pater est: cadit Abnobæ hiatu

Phaethontides ulmis », nisi hoc loco *ulnis* legendum est, ut eloquutus est Noster, Phæn. vs. 794: « Illum prolixis duræ Phaethontides ulnis Planxerunt ». W.

428. Schraderus hic confert vs. 502: « Tunc Lucanorum regio insurgentibus alte Cautibus horrescit ».

429. Confer Licentii, Carm. vs. 67 (huj. op. tom. III, p. 430. Ed.)

431. *Nubes nebulosus fulcit Adulas.* Sic *nubiferum* Apenninum dicit Ovid. Met. II, 226. Et similiter Rutil. I, 432: « Incipit obscuros ostendere Corsica montes, Nubiferumque caput concolor umbra levat ». Vide quæ notavimus ad hunc locum. Ed. — *Adulas* vera est lectio, ut habet V. et ostendunt scriptores, Strabo, IV, pag. 313, A. vel pag. 326, C. Ptolem. II, cap. 9, p. 52; Marcian. Heracl. p. 50. Schr. — *Fulcit Atulla* Pithœus e Ven. dedit: hinc *Adula* Huds. sed rectius Cusp. et Vadian. *Adulas.*

433. Antiquiores editiones Vad. Pith. perperam distingunt *Gurgitis Oceani, donec borealis*, etc. Hudsonus vero recte distinxit « Gurgitis, Oceani donec borealis in undas Effluat ». Compara Dionysium, v. 283, et Avienum ipsum v. 416, ubi pariter « Oceanus borealis » dicitur. Barthius ad Claud. pag. 974, prava distinctione deceptus est, ut *Oceani* hoc loco pro adjectivo acciperet. Schr.

435. *Produnt secreta repente Barbara.* Barbara secreta sunt interiora et minus cognita vel inaccessa loca barbariæ, ut Tacitus, Germ. c. 40, « secretiora Germaniæ », et cap. 45 « secreta Orientis » dicit. W.

437. *Abnoba mons Istro pater est.* Veram lectionem *Abnoba* adserunt Plin. IV, 2; Tacit. Germ. cap. 1: nec aliter scripsit Ptolemæus, pag. 57, 26, 43, et 59, 3, quamquam editur Ἀβνοβα· nam Coislin. codex habet Ἄβνοβα et Ἀβνοβαίων. Schr. — *Pater est.* Dictio Avieno familiaris. Similiter v. 903: « Gurgitis Oceanus pater est ». Ed.

438. Recte distinxit Hudsonus: « cadit Abnobæ hiatu Flumen ». Minus autem fero ejusdem conjecturam: *Eoosque statim.* Ita idem et alio loco *autem* mutavit in *agmen*, sine ulla necessitate. Schr. — Pithœus et antiquiores interpungunt post *hiatu*, et continuant *Flumen in Eoos autem.*

Flumen; in Eoos autem convertitur axes,
Euxinoque salo provolvitur; ora per æquor
Quinque vomunt amnem, qua se procul insula Peuce
Exserit: hinc rigidi qua spirant flabra Aquilonis,
Sarmata, Germani, Geta, Bastarnæque feroces,
Dacorumque tenent populi, tenet acer Alanus,
Incola Taurisci Scytha litoris; indeque rursum
Díra Melanchlæni gens circumfusa vagatur.

439. *Ora per æquor Quinque vomunt amnem.* Dionysius, vs. 301: Πενταπόροις προχοῇσιν ἑλισσόμενος. Hic autem de more sequutus est Herodotum, IV, 47. Totidem dant Ephorus apud Strabon. VII, 469. B. Scymnus Chius, Fragm. 29, p. 45, ed. Huds. Arrian. Peripl. Pont. Eux. p. 23, ed. Huds. et Expedit. Alex. I, 3, V, 3; Claud. de Bell. Get. 337, de IV Cons. Honor. 630. Vid. Barth. ad Claudian. p. 710. a. Schr. Conferri simul possunt notata a nobis ad Prisc. v. 290. W. — *Ora per æqua Quinque vomens amnem* olim conjecit Schraderus in schedis, sed post repudiasse videtur.

441. *Hinc rigidi... t. pop. Hunc* fortasse verum. Singulare tamen, populi *ter[illegible]nt fluvium*, pro inhabitant circum. At favere videtur vs. 456: « Hæ gentes Istrum, qua se plaga dura Bootis Porrigit, incumbunt ». Schr. — *Hinc rigidi* Pith. et Huds. sed *hunc rigidi* Ven. Ambr. Cuspin. Vadian. quod non negligendum videtur.

442. *Bastarnæque feroces.* Hanc scripturam (Bastarnæ) Heinsius ad Claud. de IV Cons. Hon. vs. 446, tuetur contra Salmas. ad Vopiscum, pag. 434. *Bastarnæ* recte editum in Liv. XL, 5, 10, 57, 58, XLI, 19. Heinsii sententiam firmat vetus inscr. apud Grut. p. 453, probat et Tab. Peuting. in qua *Reges Blastarni* pro *Bastarni*, et Alpes *Bastarnicæ*. Schr. — *Basternæque feroces* scribunt Cusp. et Pith. sed *Bastarnæ* vult Cœlius Calc. in adnott. ad Dion. et sic edidit Huds.

444. *Incola Taurisci Scytha.* Nomen hoc *Taurisci* similibus illustrari formis potest, quibus sæpe utuntur scriptores in nationibus adpellandis, ut *Syrisci* apud Comicum, *Hunnisci* Veget. Art. Vet. IV, 6. *Dacisci*, Lactant. de M. Pers. cap. 27. Schr. Plura ejus generis nomina, sequioribus maxime temporibus usurpata, recenset Salmas. ad Jul. Capitolini Maximin. cap. 3, et ejusdem Verum Imp. cap. 6, p. 423, tom. I, Scr. H. Aug. W. — *Incola Tauristi Schytu* Ven. et Cusp. Hoc Camers ad Prisc. 300 corrigit *Taurici Scytha.* Vadianus dedit *Incola dehinc Tauroscytha litoris.* Pith. *Incola Taurisci Scytha*, quod idem voluisse Camers videtur, et apud eum mendose impressum esse suspicor.

445. *Dira Melanchlæni. Dira* adserendum esse arbitror contra Hudsonum, qui *dura* conjecit. Diri enim dicuntur ob vestes nigras. Caussam nominis *Melanchlæni* explicat Herodotus, IV, 107. Amm. Marcellinus, pag. 341 et 671 ed. Gron. scripsit *Melanchlænæ*, et *Melanchlænas*, non

Proxima Neurorum regio est, celeresque Geloni,
Præcinctique sagis semper pictis Agathyrsi.
Inde Borysthenii vis sese fluminis effert
Euxinum in pelagus : tunc æquora Panticapæi

Melanchlæni et *Melanchlænos*. Schr. Similiter Tacitus, Germ. cap. 43, Arios præ aliis *truces* adpellat, quod « insitæ feritati arte ac tempore lenocinentur, nigra scuta; tincta corpora; atras ad prælia noctes legant ». W.

446. *Proxima Neurorum regio est, celeresque Geloni*. Suspicari possis *celerisque Geloni*. Sed imitatio forsan est Dionysii, v. 304 seq. Similia et alibi reperiuntur. Ipse Avienus, Or. mar. v. 422 : « Sunt Massieni; regna Cilbicena; sunt Feracis agri et divitis Tartessii ». Descript. Orb. 586: « Bœotumque dehinc sese confinia jungunt, Et Locris, et patuli sulcator Thessalus agri ». Confer Burm. ad Vell. Paterc. II, 40, pag. 298, ubi regionum et gentium nomina sæpe a scriptoribus misceri docet. Schr. — *Proxima Nervorum* Venet. sed *Neurorum* Cuspinian. et reliqui. — *Celeresque Geloni*. Dionys. v. 310 : Νεύροι θ', Ἱππόποδές τε, Γελωνοί τ', ἠδ' Ἀγάθυρσοι. Etiam Priscianus proprium nomen agnoscit v. 301 : « Post Hippomolgi sunt, Hippopodesque feroces ». Atque hic recte, ut videtur. Nam id voluisse Dionysium patet e Mela, III, 6; Plin. t. I, pag. 220, et Solin. c. 19, qui omnes Hippopodas nominant. Cum Avieno, qui apud Dion. legebat ἱππόποδές τε Γελωνοί, quod jam observavit Morellus, facit Lucan. III, 283 : « Massagetes ... volucresque Geloni ». Paraphrasta ad *Neuros* retulit. Schr.

447. *Præcinctique satis semper*. *Satis* error typographi Genev. (edit. Pith.) pro *sagis*. Editione Genev. (sive etiam Lugd. Pith.) usus est Barthius, Adv. p. 1339. *Sagis* Ven. Pith. Trogn. Salmasius, Plin. Exerc. p. 133. b. C. « Festus Avienus pictos Agathyrsos apud Virgil. de pictura vestis accipiebat. Sic enim in paraphrasi Dionysii posuit : *Præcinctique sagis semper pictis Agathyrsi* ». Sed an latine *pictus homo*, indutus sago picto? an eos sagis instruxit ob id, quod Dionys. dixerat, v. 319 : ὑπὸ ψυχροῖς Ἀγαθύρσοις? nimirum sagis eos Avienus instruxit ad frigus arcendum, more Romano *pictis* addidit. Tacit. Germ. c. 17 : « Tegumen omnibus sagum ». Schr. — Prior Pith. Par. habebat *sagis*. Mendose *satis* expressit ed. Madr. Recte vero cæteri Cusp. Vad. Huds.

448. *Borysthenii vis fluminis*. Conf. v. 721. Citat hos versus Avieni Heinsius ad hunc similem Ovidii ex Pont. IV, 10, 53 : « Cumque Borysthenio liquidissimus amne Dryaspes ». Schr. — *Sese effert in pelagus*. An *infert*? Sic sane in Phæn. 800 : « in æquoreas pelagi sese inferat undas ». Or. Mar. v. 288 : « amnis Tria ora quippe parte Eoi luminis Infert in agros ». Schr.

449. *Æquora Panticapæi*. Παντικάπης dicitur Dionysio et Herodoto, IV, 54; Mel. II, 1, 44; Plin. IV, p. 217 ed. Hard. Negat in rerum natura esse *D'Anville* C. A. 7, 35, p. 579. Sed nimis clare ab Herodoto describitur; itaque forte sub alio nomine latet. Bayerus, Comment.

Ardiscique tibi celso de vertice surgunt
Riphæï montes, ubi dura sæpe sub Arcto
Densa pruinosos eructant nubila nimbos.
Hic dites venæ niveum gignunt crystallum,

Ac. Petr. t. I, p. 412: « Panticspe, ubi nunc Samara. Dionysius Per. aliique haud longe a Ponto ejus ostia describunt ». An adjective scripsit Avienus *æquora Panticapæa?* Schr. Fortasse Avienus imprudens in fluvium transtulit nomen urbis primariæ in Chersoneso Taurica, *Panticapæi*, de qua Strabo, VII, p. 476; Plin. IV, s. 24: et cujus memoriam hodie revocarunt Heynius, Opusc. Acad. vol. III, p. 391, et G. A. de *Breitenbauch, Aelt. Geseh. u. Erdbeschr. des jetzigen Tauriens, u. Caucasiens*, p. 82. W.

450. *Ardescique.* Hudsonianæ quidem conjecturæ *Aldesciqae* favet Dionys. et Prisc. Sed in codice Ambr. est *Ardisei*, quod exprimere videtur Herodoteum (lib. IV, 90) Ἀρτισκὸς, vel Ἀρδίισκος. Schol. ad Hesiod. p. 261 ed. Heins. Schr.— *Ardescique ibi.* Huds. *tibi*: pariter Higt. qui conferebat v. 489, 394, 803. Avienus *tibi* ita sæpius ponit, ubi Dionys. τοι, σοι. With. conjiciebat *tunc æquora Panticapæi Aldescique* vides; medio *sed vertice surgunt Riphæi montes ubi*... Sed hæc longius abeunt. Verum nunc videtur: *tunc æquora Panticapæi Ardescique itidem*. Nam Dionys. habet καὶ. Prisc. *quoque*; et sic Noster in Phæn. 388 *itidem*. Ven. *item*. Schr. — *Cæso de vertice. Celso* A. et V. Permutantur hæc aliquando. Virg. Æneid. VIII, 65. Tamen διάνδιχα Dionysii et *Dividui* Prisciani, et ipsum *cæso*, videntur ad aliud ducere, forsan *scisso*. Vellem liber aliquis exhiberet: « tunc æquora Panticspæi Ardescique vides, celso qua vertice surgunt Ripæi montes. Schr. — *Ardescique ibi cæso de vertice* Pith. ex Ven. *Ardisei* habet Ambr. *Aldesci quoque ibi celso de vertice* Cusp. *Aldescique habitant, celso* emendavit Vsd. e conjectura, sed infeliciter. Hudsonus edidit *Ardescique tibi celso*, isque potius *Aldescique* scribendum existimat. Et olim a Schradero notatum in schedis reperi *Aldescique eiti*. Videntur hic in nomine eo fluvii pariter variare vulgati et Mspti libri, ut apud Prisc. v. 306, ubi editiones plerumque habent *Aldesci*, quod est Dionysianum, scripti vero codices *Ardisei*, quod est Herodoteum. Primæ edit. Ven. eadem scriptura est *Ardisci*, quam editores deinde ad scripturam Dionysii accommodarunt. Istam igitur genuinam, et revocandam in textum putavi.

451. Cusp. et Pith. ediderunt *surgunt. Riphæi montes ibi dura.* Vadianus *celso de vertice surgunt Riphæi montes, ibi dura.* Hudsonus hæc in melius restituit, uti ipsi posuimus in contexto. — Unice probo *dura sæpe sub Arcto*, ut v. 456. Epitheton hoc convenit terris septemtrionalibus. Schrad. — *Riphæi* qui et *Obii* montes: nunc Russis dicuntur *Weliki Kameny Poyas*, i. e. magnum lapideum cingulum. Vulgo *montes Poyas*. Ed.

453. *Hic dites venæ niveum gignunt crystallum.* Hudsonum *niveum* mutantem in *niveam* refutat Solinus,

Atque hic indomito tellus adamante rigescit
Inter Riphæos et proceros Agathyrsos.
Hæ gentes Istrum, qua se plaga dura Bootis
Porrigit, incumbunt : medii de parte diei

cap. 15, p. 26. Salm. quem Noster imitari solet : « Illic et crystallus, quem licet pars major Europæ et particula Asiæ subministret, pretiosissimum tamen Scythia edit. Multus ad pocula destinatur, etc. » Schr. — *Gignunt crystallum.* Avienus candidum electrum Dionysii, vel lunæ novæ splendore fulgens, pro crystallo accepit. Sic enim Græcos illos versus reddidit : « Hic dites venæ, etc. » Græca vero sic habent : Ἡδυφαὴς ἤλεκτρος ἀέξεται, οἷά τις αὐγὴ Μήνης ἀρχομένης, ἀδάμαντά τε παμφανόωντα. Legerat Avienus apud Solinum, Scythiam pretiosissimum crystallum edere. Ideo candidum electrum, quod in Scythia nascitur, de crystallo interpretatus videtur. Salm. ad Sol, p. 540 b. C. Etiam crystallum a Veteribus ἤλεκτρον dicebatur. Hinc in Dionysii Periegesi, versu 317, verba hæc Ἡδυφαὴς ἤλεκτρος ἀέξεται, Priscianus quidem ita reddidit : « Nascitur electrum præfulgens luce nitenti ». Sed Festus Avienus : « Hic dites venæ niveum gignunt crystallum ». Bochart. de Anim. S. Scr. t. II, pag. 871. Forte non electrum pro crystallo accepit, nec Dionysium vertit ; sed quia legerat apud Solinum, Scythiam pretiosissimum crystallum edere, ab auctore Græco dissentiens, ut sæpe, scribere maluit : *Hic dites venæ niveum gignunt crystallum*, quum potuisset *electrum ;* eo magis forte, quod crystallus et adamas optime jungi viderentur. Schr. Conf. quæ hanc in rem diximus ad Prisc. 309. W. — Prosodia quidem poscere videtur *gignunt niveum crystallum*, sed hoc insuave, et in *niveum gignunt* editt. omnes conspirant. Ed.

455. *Et proceros Agathyrsos.* Noluit Avienus reddere Dionysii ψυχροῖς, v. 319 ; imitatur autem locum Ammiani Marc. (si hic antiquior Avieno est), lib. XXII, cap. 8, p. 341 Gron. « et cum Gelonis Agathyrsi, apud quos adamantis est copia lapidis. Ad *proceros* illustrandum conferet Barthius ad Claud. IV Cons. Hon. 454, pag. 684, A. Supra v. 330 occurrebant *Blemyes corpora proceri.* Cæterum hæc proprietas nota est Germanorum. Schr.

456. *Plaga dura Bootis.* Heinsius ad Virgil. Æn. I, 120, scripsit, apud Avienum in Descr. Orb. passim legi *Booti* pro *Bootis.* Sed hoc loco, et versibus 511, 697, 846, nullam in codd. variationem notavi. Deinde genitivus hic apud poetas frequens est : denique rem conficit Poeta, v. 648 : « Insula se Graii Diomedis gurgite promit ». Male ergo faciunt, qui ubique antiquissima ingerunt. Schrad.

457. *Gentes Istrum incumbunt.* Borysthenes est ultra Istrum : quomodo igitur populi ad Borysthenem incumbunt Istrum ? Similia, non eadem sunt, *Taurus incumbit Asiam,* v. 839, « mons incumbit paludem, limes Abantum... Europam ». Censeo igitur scribendum *incingunt.* Prisc. v. 327 : « Hi ripas Istri porrectas undique cingunt ». Dionys. v. 330 περιναιετάουσι. Avien. v. 531 : « Tot populi Ausoniam circumdant

Per dumosorum reptantes dorsa jugorum
Gerrhæ habitant. Gerrhas adtingunt oppida late
Norica, et immodicæ rursum sola pinguia glebæ
Pannonia exercet. Borean subit altior agro

mœnibus altis ». Schr. Quantum ego adsequor, auctor eis verbis, *hæ gentes incumbunt Istrum*, hoc tantum significat, eas gentes a superiore regione boreali imminere Istro, quemadmodum supra, v. 26, dixit *Una Asia* Europam et Libyam *urget desuper*; neque hic solos populos ad Borysthenem incolentes, de quibus proxime egit, respicit, sed refert se ad versum 441, ubi proposuit populos enumerare, qui ab Istro versus Aquilonem sunt, Sarmatas, Germanos, Getas, etc. nunc pergit ad alios, qui ad Istri meridiem habitant. W. — *Sed parte* Cusp. et Vad.

458. Ad *dumosorum reptantes* cf. v. 283 et 1144.

459. *Gerrhæ habitant, Gerrhas adtingunt.* Ceporinus ad Dionys. Velserus, Rer. Aug. Vind. I, pag. 184, et Cluver. Ital. ant. p. 114; apud Dionys. v. 321 legunt: Πρὸς δὲ Νότον Ῥαιτοί. Hos autem ipse sequor; nam nusquam alibi Dionysius Rhætorum meminit, quos tamen omnes veteres historici celebrarunt. Porro Rhæti et Norici passim conjunguntur. Tac. Hist. III, 5; Solin. 34; Plin. III, 20; IV, 13; Tacit. Hist. I, 70. Denique descriptio Avieni: « Per dumosorum reptantes terga jugorum », egregie convenit Rhætis, qui sub Alpibus habitabant. Claud. IV Cons. Hon. v. 442: « Aspera nubiferas qua Rhætia porrigit Alpes ». Itaque sic scripsit Dionysius, aut scribere debuit. Sed quid facias interpretibus, Avieno et Prisciano, apud quos similiter *Gerrhæ* reperiuntur? an error relinquendus est? Avienus tamen Rhætos in animo videtur habuisse. Schr. Facillima difficultatis expediendæ ratio videtur esse, ut Gerrhas Dionysii alterum nomen Rhætorum esse statuamus. Vide quæ notavimus ad Prisc. v. 313. W. — Schrad. pro *habitant* conj. *agitant*, ut sæpe alibi, v. 391, 422, 1061, 1143, 1299. *Adt. opp. late. Norica.* Dionysius ἄστεα, Avienus *oppida* Germanis tribuit, Ptolemæus πόλεις · intelliguntur vici : urbes struxisse negat Tacit. cap. 16. Schr. Recte hic nominantur *oppida Norica*, quia Noricum, Rhætia, Vindelicia provinciæ Romanæ erant, ornatæ urbibus. Tac. Germ. c. 41. W.

460. *Loca pinguia glebæ.* Forte *sola pinguia*: sic etiam Heinsius: tamen vs. 463: « tunc ipsi maxima Thraces Vomere sollicitant curvo loca ». Avienus *pinguia* loca Pannoniæ memorans, sequi videtur Solinum, cap. 21: « dehinc Pannonia solo plano uberique ». Paullinus, de vit. Mart. I, 11: « Quem procul in nostram misit fecunda salutem Pannonia ». Negat Dio αὐτόπτης, XLIX, 36, p. 595. Conf. Briet. Paral. G. t. II, p. 266. *Glandifera* Pannonia Plinio, I, 180. Schr. — *Loca pingnia* habent omnes editi. Schraderus cum Heinsio voluit *sola pinguia*, quod et ego malim. Nec tamen idem æque in v. 464 admittam.

461. *Pannonia exercet. Pannonice* A. unde quis suspicetur legendum *Pannonii exercent*: nam et Dionys.

Mœsus, et extento post tergum cespite Thracas
Plurimus excedit : tunc ipsi maxima Thraces
Vomere sollicitant curvo loca : denique longo
Qua porrecta jacet spatio piscosa Propontis,
Et qua præcipiti fluctu furit Hellespontus,

habet Παννόνιοι. Prisc. *Pannoniique :* loca autem exercere dicuntur populi et homines. Noster certe vs. 1022 : « Tum Pisida ferox exercet pinguia culta ». Virg. Æn. X, 141 : « ubi pinguia culta Exercentque viri, Pactolusque irrigat auro ». Nihil tamen novandum. Simillime loquitur Claud. Cons. Prob. 60 : « Italiæ quum frena teneret, Illyricosque sinus, et quos arat Africa campos ». Et ipse Virgil. Georg. II, vs. 224 : « Talem pinguis arat Capua, et vicina Vesevo Ora jugo ». Schr. — *Boream subit altior.* Unice probo scripturam *Borean.* Sic enim in optimis codd. Nasonis et Virgilii semper invenitur, v. g. Ænean, Gyan, Iarban, Menalcan. Heins. ad Her. VII, 26 ; Virgil. Æn. I, 113 ; Bentl. Hor. Carm. I, 4, 19, ubi tres codd. optimi græcam formam præferunt *Lycidan.* Schr.

462. *Mœsus* scribunt Pithœus et Huds. *Mysus* Cusp. et Vad. *Mœsus* vero servat Schrad. et sic Romanos scribere solitos e Serv. ad Georg. I, 102, dicit intelligi, aliquando et *Mysus*, numquam *Mœsus*. Friesemannus conjecturam nescio cujus hoc loco subjicit. Forte *Mœsia et extento :* sed hanc reprimit illico sequens *plurimus.* In fine versus *Trachas* pro *Thracas* Cusp.

463. *Plurimus excedit*, i. e. longe supra Thracas est, vel ultra Thracas extenditur. Virg. Æ. I, 419. Ed.

464. *Denique* positum pro etenim, nempe, scilicet, ut sæpius Noster.

465. *Longo Qua porrecta jacet spatio piscosa Propontis.* Sic *longa Propontis* dicitur Ovidio, Pont. IV, 9, 118. *Piscosa* autem Nostro adpellatur, quod Pontus et Propontis et Mæotis copia piscium et ostrearum inprimis celebrantur. Hinc Claud. in Eutr. II, 332, de gulonibus pisces marium remotorum adpetentibus : « quorumque profundam Ingluviem non Ægæus, non alta Propontis, Non freta longinquis Mæotia piscibus æquent ». *Piscosum Hellespontum* supra dixit Noster, vs. 34. Ostreas Propontidis laudat Auson. Epist. IX, 39, et Catull. in Carm. Priap. « ora Hellespontiaca, cæteris ostreosior oris ». Plura vide in not. Columnæ ad fragm. Ennii, p. 156, ed. Hess. et Vineti ad Auson. l. c. *Piscosi flumen Eurymedontis* occurrit infra in vs. 1015, quem ex antiquis editionibus restituimus. W. — *Qua porrecta* habent omnes vetustæ. *Projecta* conj. Heins. ad Virg. Æn. X, 587. Schraderus servat *porrecta*, conferens Manil. II, 678 ; Horat. Epist. I, 7, 41.

466. *Et se præcipiti fluctu furit* edidit Pith. eumque sequens Huds. Pithœus in Emend. corrigit *ferit Hellespontus.* Anglus auctor in Obs. Misc. vol. I, p. 276, *se fugit.* Oudendorp. ibid. vol. V, p. 77 : « se furit... Ægæum intendens procul in mare ». Toupius in Epist. crit. ad Warburt. p. 170 : « Et se præcipiti fluctu fert Hellespontus ». Friesem.

Ægæumque dehinc procul in mare, plurima Thraces
Arva tenent : hic mellifluis Pallena sub antris
Lychnitis rutilæ flammas alit : hic et iaspis
Fulva micat stellis, quantum convexa per æthræ

notavit : « Qua se præcipiti fluctu roit ». Denique Schraderus in præf. ad lib. Emend. p. 58, omnino optime legit : « Et qua præcipiti fluctu furit Hellespontos » ; idque ipse, et Heins. ad Virg. Æn. X, 587, librum Ambr. habere testatur ; ego vero, sic etiam Cuspin. et Vadianum edidisse, testor.

467. *Ægæum dehinc.* Lege ex Ambr. *Ægæumque dehinc.* Sæpe omittitur male copula, ut Or. mar. v. 57, ubi Ven. *Sinus curvos* : contra alibi importune additur, ut Phænom. 103 : « Voce ferasque Ursasque et plectra vocare solemus », ubi leg. *feras, Ursas et plectra.* (Scalig. et Grot. *plaustra.*) Schr. — *Ægæum dehinc procul in mare* dederunt Pith. et Hudson. sed Schraderus, Observ. p. 50 et 51, uti olim in schedis notaverat, adseverat legendum esse *Ægæumque dehinc*, idque ipsum est, quod Cusp. et Vad. ediderunt. *Procul est mare* pro *in mare* viri docti manus in marg. meæ edit. Cuspin. notavit. Totus locus tot conjecturis non fuisset vexatus, si priscæ, quas nominavi, editiones adfuissent.

468. *Hic mellifluis Pallena sub antris. Melliflua antra* quæ sint, non video. Forte *cælifugis sub antris*, ut *lucifuga* et similia ; vel *bellifugis*, quo victi Gigantes confugerunt. Heins. Adv. IV, 8, p. 617. Sed eæ voces, quas Heinsius substituit, malæ notæ sunt, nec sensus quidem commodus inde redit ; verba denique Dionysii istæ conjecturæ satis refutantur, qui versu 327 : Ἔνθα μελισσοβότοιο κατὰ σκοπιὰς Παλλήνης. Vid. Observ. meas, pag. 48. Schr. — *His mellifluis* Venet. Cusp. et Vadian. sed præfero *hic*, quod Pith. et reliqui habent. Alius, quem Fries. adducit, *gemmiferis*. Sed hoc quoque repudiat Schrad. in notis. — *Pallena*, aliis *Pallene*. Virg. Georg. IV, 391. Ed.

469. *Lychnitis rutilæ flammas alit*, h. e. lychnitem flammantem : periphrasis : ut Horat. Carm. III, 12, « Liparæi nitor Hebri ». Noster in Phæno. « rigor autumnorum ». Propert. III, 1, vs. 57 : « Pyramidum sumptus ». Schr. — *Lychnitis..... iaspis.* Plane ita *Iaspis* et *Selenites*, f. Lychnis etiam a Nonno conjunguntur Dionys. V, vs. 162 : Τῇ μὲν ξανθὸς ἴασπις ἐπέτρεχε· τῇ δὲ σελήνης Εἶχε λίθον πάλλευκον, ὅς... Schr.

470. *Hic et iaspis Fulva micat stellis.* Maronem sequitur, Æn. IV, 261 : « atque illi stellatus iaspide fulva Ensis erat » ; ut antea Stat. Theb. VII, v. 658 : « fibula rasilis auro Tænariam fulva mordebat iaspide pallam ». Forte et Plin. in oculis habuit lib. XXXVII, 37, pag. 783. Salmasius, Plin. Exerc. pag. 535. a. D. poetam notat, quod ἀστέριον λίθον apud Dionysium unn stellæ similiter resplendentem, sed *stellatum*, i. e. multis stellis, vel guttis stellantibus micantem, interpretatus est, et quod Virgilium, Æn. IV, 261, perperam imitatus stellatum eum lapidem de iaspide fulva reddidit. Schr.—In eumdem modum Avienum reprehendit Vos-

Ignea perpetuis ardescunt sidera flammis.

Hic rursum occiduis Europam fabor ab oris.
Hæc tamquam speculis adsurgens plurima trinis,
Spectat Achæmeniæ lucis jubar: unus Iberos
Limes habet, limes tenet alter denique Graios,
Ausoniæ medius protendit latius arva.
Oceani vicina salo qua gleba recumbit,

sius in Etymol. sed contra eum disputans Ursinus, Observ. philologic. cap. 1, pag. 5, Avienum contendit iaspidem stellis micantem, atque adeo stellis distinctam dicere, non asteriam, quia non ita presse sectetur Dionysium, qnin multa passim immutet. Respexisse autem illud Virgilii : « olli stellatus iaspide fulva », aut Plinium, lib. XXXVII, cap. 9, qui inter iaspidum genera recenseat *iasponycha* rutilis punctis notatam. Sed longum est hanc controversiam dirimere. De asteria et lychnite ipsi necessaria diximus ad Prisc. v. 325. W.

472. *Hic rursum.* Forte *Nunc rursum.* Sic Prisc. 328 : « Europæ reliquas nunc partes accipe ternas ». Virg. Georg. II, v. 1 : « Hactenus arvorum cultus. . .Nunc te Bacche canam ». Præcipue huc facit locus Nostri similis in sqq. v. 605 : « Nunc ut quæque vago surrexerit insula ponto, . . . Expediam : cymbæ ducatur cursus ab unda (sic leg.) Gurgitis Occidui ». SCHR.

473. *Speculis* dixit de promontoriis, vel litoribus terræ longe in mare porrectis. Conf. v. 634. (Hoc vocabulo Avienus vertit Dionysii κρηπῖδα, v. 332.) *Plurima*, i. e. qua maxima vel longissima est. Vide Grat. Cyneg. v. 30.

474. *Spectat Achæmeniæ lucis jubar*, h. e. jubar Solis orientis, plagam orientalem. Sic vocavit, more vix aliis poetis usurpato, ab Achæmenia, i. e. Persia, quia hæc est primaria vel celebratissima regio Orientis. Similiter *Achæmenium ortum* (sic enim legendum ibi) dixit Or. marit. v. 657 : atque ex eadem ratione « axem Assyrium » v. 534, ubi vide not. W.

477. *Oceani vicina salo qua glauca recumbit.* Ocius repone *qua gleba recumbit.* Miror nihil hic ab interpretibus monitum, quum vulgatum sensu careat, et manifeste corruptum sit. Ipsa locutio, quam sic restituimus, obvia jam v. 23 : « Phariorum hic gleba recumbit » ; obvia etiam v. 1000 : « Sed locuplete magis Mæandria gleba recumbit Ubere ». Erroris caussa, quod *gleva* fuerat scriptum, ut in cod. Theod. *gleva* et *glævalis.* Hoc quum librarius, vel corrector, non intelligeret, in *glauca* mutavit. Eamdem correctionem fecerunt Higtius et Withofius. SCHR. — *Qua glauca recumbit*, vitiose expresserunt Cuspin. Pith. et Huds. Vidit mendum Vad. et edidit *qua terra recumbit;* sed rectius et vestigiis scripturæ antiquæ convenientius *qua gleba recumbit* Schrad. emendat.

Oceani Hesperii, tumet illic ardua Calpe;
Hic Hispanus ager, tellus ibi dives Iberum:
Tartessusque super sustollitur: indeque Cempsi
Gens agit, in rupis vestigia Pyrenææ

478. *Oceani Hesperii, tumet illic.* Malam hoc loco distinctionem sequitur Burmann. ad Ovid. Her. V, 138. *Oceani Hesperii* nota est repetitio proprii cum additamento. Cæterum melius scripsisset Avienus in hunc modum: « Oceani Hesperii: tellus ibi dives Iberum, Hic Hispanus ager, tumet illic ardua Calpe, Tartessusque super sustollitur ». Calpe enim in Hispano solo; igitur Hispania prius memorari debuerat. Non tamen putem ita scripsisse Nostrum, sed desultorio potius more egisse. Præterea observare ad h. l. liceat, male apud Dionys. legi Ἀλύβη pro Κάλπη. Κάλπη autem legendum ex duobus interpp. Avieno et Prisc. præcipue quum illud res ipsa postulet. Eustathius et vetus interpres de mendo securi, quum tamen expedire se vellent, duplex nomen ejusdem loci finxerunt, Κάλπη et Ἀλύβη, quorum illud Barbaris, hoc Græcis in usu fuisset. Schr. — *Oceani Hesperii tumet illic*, sic Cusp. et Pith. (nam quod hic præterea *tum et* habet pro *tumet*, manifestum mendum est.) Hudsonus bene distinxit post *Hesperii.* Vadianus vero mutavit *Occasu Hesperio, tumet illic*, etc. — Sed hoc manifeste vitiosum est. Ed.

480. *Tartessusque super sustollitur.* Prisc. v. 335: « Quam supra dives et alta Tartessus » Sed Dionysius, v. 336 habet ὑπένερθε, et Eustath. ὅτι κάτωθεν τῆς ῥηθείσης Ἀλύβης ... Nimirum legerunt apud Dionysium ἐφύπερθε, non ὑπένερθε · cf. Dionys. v. 511, (ubi pro ἐφύπερθεν alio respectu ὑπένερθεν dici posse, Eustathius monet). Schr. — *Indeque Cempsi.* Κέμψοι contra Ceporinum et Hillium tuendum censeo ex Avieno et Prisciano. Avienus enim hic copiosior Dionysio, et ex aliis edoctus late regnasse significat. Schr. Celtas supra Dionysius, v. 288, Prisc. 279, (Gallos Avien. 422) nominavit, et post Pyrenæos ad fluvium usque Eridanum collocavit. Igitur qui Cempsos hoc loco extendi usque ad radices Pyrenæi dicit, Celtis non nominatis, hos fortasse pro Cempsorum propagine habuit, quorum nomine etiam Celtæ contineantur. Unde Avienus Cempsorum gentem dicit populos protendere ad Pyrenæos montes. Nam gentis nomen latius patere, populi vel nationis sub eo contineri, viri docti ad Tac. Germ. 2, 7, et Agric. 12, 1, observant. Et Noster plane hoc sensu utrumque usurpat v. 1332. W. — *Tartesiusque super* Pith. *Tartesusque* Cusp. *Tartessusque* Vad. Huds. *indeque Censi* Ven. *Cempsi* correxit Cœlius, adnot. ad Dion. idemque expresserunt Cusp. Vad. Pith.

481. *Gens agit... Protendens populos.* Compara versum 1332: « nunc multæ denique gentis Absolvam populos »: in quo tamen exemplo vix adquiesco. Heinsii conjecturam, *scopulos* pro *populos*, et Higtii *Propendens* pro *Protendens* legentis, probare non possum; nec Camertis ad Flor. II, 17, 2, p. 405, *habitat*, vel *agitat* pro *agit.* Schr. — *In rupis*

Protendens populos: medio se limite gleba
Ausonis effundit; mediam secat Apenninus
Ausoniam: nam qua boreali vertice ad æthram
Concrescunt Alpes, surgit caput Apennino;

vestigia Pyrenææ, forte *fastigia*. Heins. Obstat Dionys. v. 338: Κεμψοί θ' οἳ ναίουσιν ὑπαὶ πόδα Πυρρηναῖον. Item latine vestigia aliquando sunt, quæ alias montis radices dicuntur. Hic quidem usus vocis rarior, atque ideo in Lexica non relatus, sed observatur v. 844 de Tauro monte: «Nunc directa solo tentus vestigia figit», ubi Dionys. v. 641: ἄλλοτε δ' αὖτε ἴχνεσιν ὀρθότερον · add. v. 1379: «Ima jugi exstantis vestigia gurgite cauent Oceani Eoi». Schr. — Camers. ad Prisc. 336 mutat *Gens agitat rupis vestigia Pyrenææ*, i. e. exercet, concutit, ut *tardi agitator aselli*: sed hoc parum venustum, et refutavit Schraderus, qui alias *agitat* admittit.

482. Legendum est *gleba Ausonis*, quia Dionys. Αὐσονὶς αἶα · et sic passim Noster. Cf. v. 541, 1000. Or. mar. 568: «Sordicenæ glebæ solum»; v. 1228: «Medica se tantos effundit gleba per agros». Schr.— *Protendens populos.* Pro eo Heins. voluit *scopulos*. Higtius autem *Propendens*: utrumque repudiat Schrad. Porro *medio e limite gleba* Ven. et Cusp. Vitiosam lectionem magis corrupit Pithœus scribens *glebæ* pro *gleba*. Recte emendavit Vad. *medio se limite gleba Ausonis effundit*. Hudsonus quidem in textum reduxit *glebæ*, sed restituit *gleba* in Add. quia Græcis Αὐσονὶς αἶα. — Ut et Dionys. v. 230: Ἀσίδος αἴης.

483. Scribo *Apenninus*, non *Appenninus*, ob inscriptt. veteres. Vid. Oudend. ad Suet. Jul. c. 44, p. 72, et quia vox polysyllaba, quales idem sæpe patiuntur, ut Πριαμίδης a Πρίαμος, Ἀπόλλωνος ab Ἀπόλλων, Πυρηναῖος a Πυρήνη: a *Siculus Sicelides*, a *Sicani Sicania*, ab *Arabs Arabia*, (apud Propert. II, 8, 20). In his omnibus censeo non geminam consonantem adhibendam. Schr. — *Mediam secat Apenninus.* Idem hemistichium habet Prisc. v. 339.

485. *Surgit caput Apennino*. Nolim amplecti conjecturam Drakenborchii ad Sil. III, 659, «surgit (pro *surrigit*) caput Apenninus». Probare quidem conantur viri docti, *surgere* aliquando poni pro *surrigere*, ut Gronov. Diatr. Stat. p. 246, 247: sed pleraque loca, quibus in eam rem utuntur, sunt suspecta, ut Stat. V, 1, 222, ubi pro *surgitur* vulgo *nascitur*, et Plaut. Epid. V, 2, 67, ubi pro *surgite* al. *porgite*. Quum tamen in Or. mar. vs. 90 legatur «Et prominentis hic jugi surgit caput», unde videri posset legendum: *surgit caput Apennini*; mira autem locutio sit, caput mihi surgit: eo adducor, ut partim cum Hudsono legendum conjiciam: *turget caput Apenninus*. Sic vs. 570: «Et procera caput turgescunt pulchra Cythera», et vs. 1089: «Libanus frondosa cacumina turget». Schr. — Mea sententia servandum est *Apennino*, quia sic solet Avienus. Supra v. 117: «Qua se flabra... populis caput Æneadarum». Nec convellendum est *surgit*. Etenim illud h. l. notionem incipiendi vel exoriendi habet, cui respondeat, quod v. 487 sequitur, *condit*. —Verba *surgere* et *condere* sic opposita videas in Lu-

Et qua Sicanii tellus madet æquoris æstu,
Ut protelatæ molis juga gurgite condit.
Hunc circa multæ sola sulcant proxima gentes;

cilii Ætna, vs. 131: « Condita si redeunt, si qua etiam incondita surgunt ». Huj. op. tom. III, pag. 99. Ed.—Pro *Concrescunt* A. habet *Congressuræ*, et Heins. conj. *concessere*. Frustra, inquit Schrad. *Concrescunt* est *crescunt* (seu potius conjunctæ crescunt) ut vs. 1115: « concrescunt tura per agros ».

486. *Et qua Sicanii*. Recte *Sicanii*, et male quidam *Sicani*, quia sic vs. 506, et quia media non videbatur posse corripi, ut Ascens. ad Lucan. II, 548: quem recte refutavit Oudendorp. Prima longa, media brevis est apud Callimach. Hymn. in Dian. v. 57; Lycophr. 1029; Ovid. Ib. 598. Schr. — *Et qua Sicanii* omnes edd. Hudsono legendum videtur *Sicani*.

487. *Ut protelatæ molis*. Editor (Hudsonus) conjecit, forsan scribendum esse *Perruptæ late molis*. Perperam omnino, quia hujus verbi vim non percepisse, vel parum perpendisse videtur. Apenoini describit tractum auctor, eumque dicit esse *quasi protelo ductum*, sive continuatione tractus recti, quem faciunt arantes boves. Adi Scalig. ad Catal. p. 240, et alibi. Latine vertit Avienus Dionysii verba de Apennino, v. 340: τὴν μέν τε μέσσην ὄρος ἄνδιχα τέμνει Ὀρθὸν, ἄτ' ἐκ στάθμης ἰθυμμένον, i. e. *mons ad amussim directus*. Oudend. Obs. Misc. vol. V, pag. 165. Adsentio Oudendorpio, lectionem *protelatæ* contra Hudsonum defendenti. Ipsum verbum *protelatus* adhibuerunt Sisenna et Turpilius apud Non. pag. 363 ed. Merc. — *Protelum* est continuatio et tenor. Lucilius, Fragm. lib. VI, 10: « Quem neque Lucanis oriundi montibu' tauri Ducere protelo validis cervicibu' possent ». Vetus glossarium sæpe a Burmanno laudatum habet: *Protelum* ἔκλαμπρον, i. e. splendens, vitiose: leg. ἔξαμπρον h. e. ζεύγλης ἄμπρευμα. *Colum* vocari ait Festus. Et quod his versibus Lucilius dicit protelo ducere est Aristophani ἐξαμπρεύειν. Ed. — Usus hic verbi *protelatæ*, ab aratore bove translati ad montem continuum significandum, mirifice firmat atque illustrat dictionem, quæ in vulgatis Tibulli est, atque interpretes ejus multum fatigavit, lib. I, 8, 16, vel I, 7, 16 ed. Heyn. « Frigidus intonsos Taurus arat Cilicas ». Etenim eleganter Tibullus hic *arat* posuit, adludens ad tauri nomen, ut significet, Taurum montis perpetui jugum recto tractu per Ciliciam protelare, quemadmodum porca inter sulcos, tauro arante ductos, protenditur. W. — Friesemanous aliam hoc loco adjicit, nescio cujus, conjecturam: *Ut proni elatæ*, quam non intelligo.

488. Schraderus tentat *circum* pro *circa*, quia Dion. vs. 345 ἀμφὶ, et Priscian. vs. 342 *circum*. Dubitat tamen, an *circa* pro *circum*. Venet. habet *Huc circa*. Pro *proxima* Schrader. conj. vel *maxima* legendum, ut vs. 463; vel *plurima*, ut vs. 467. Sed fortasse ex Venetæ scriptura *Huc* ducendum est *Huic*, idque conjungendum cum *proxima*: « Huic proxima sola multæ circa gentes

Et tamen has omnes solers tibi Musa loquetur.
Prima vetustorum gens est ibi Tyrrhenorum:
Inde Pelasga manus, Cyllenæ e finibus olim
Quæ petit Hesperii freta gurgitis, arva retentat
Itala: tum multa tenduntur parte Latini,
Per quos flaventes Tibris pater explicat undas,
Romanosque lares lapsu prælambit alumno.
Hinc Campanus ager glebam jacit: hic freta quondam
Parthenopen blando labentem in marmora ponti
Suscepere sinu: tepidum si rursus in Austrum

sulcant». Cæterum monet Schraderus, hoc loco versum Dionysii 346 ab Avieno pariter ac Prisciano omissum esse, forte quod non invenerint in codd. suis, sive, ut ego judico, quod nullius momenti esse putarint.

491. Reposui, quod Schraderus suasit, *Cyllenæ e finibus*, Κυλλήνηθεν Dionysii: vulgatæ habent *Cyllenæ finibus*. Heinsius ad Virg. Æn. VIII, 139, hunc versum citat ad probandam lat. terminat. *Cyllenæ*.

492. *Quæ petit Hesperii. Petit* pro *petiit* positum est, quemadmodum factum est vs. 1222 seqq. 616 seqq. Virg. Æn. IX, 266; Horat. Sat. I, 6, 12 (ubi vid. Bentl.) Ora mar. 503. Inprimis autem conf. Virgil. Georg. I, 277 seq. Schr. — *Quæ petit* Cusp. Pith. Hudson. *Dum petit* Vad. qua correctione videtur usum præsentis *petit*, pro perfecto, mollire voluisse. — *Arva retentat Itala*, pro *tenet*. Quem usum verbi e pluribus locis demonstravit *Bauldri* ad Lact. de M. P. p. 177, hunc inprimis Spartiani citans in Ælio Vero, init. «In animo mihi est, Diocletiane Auguste, tot principum maxime, non solum eorum, qui principem locum in hac statione, quam temperas, retentarunt, etc.» i. e. tenuerunt. Vide præterea Casaub. ad h. l. Schr.

493. *Multa tenduntur parte Latini*. Sic vs. 526: «Et super arenti tenduntur Iapyges agro». Schr.

494. *Per quos flaventes*. Possis *Per quam*: cave tamen tentes. Millies in talibus *populi* pro *regionibus*. Claud. Id. IV, 19: «Per Meroen, Blemyesque feros, atramque Syenen». *Flaventes* et flavas aquas Tiberi omnes tribuunt. Vid. Heins. ad Ovid. Met. XIV, 448. Schr.

495. *Lapsu prælambit alumno*, h. e. qui rigat, alit, fecundat. Claud. de Rapt. Pros. III, v. 373: «Apollinei nemoris nutritor Orontes». W.

496. Legendum: *Hinc Campanus ager glebam jacit*. Id ipsa res et series hactenus dictorum docet, inde a versu 490: «Prima...inde...tum ...Hinc...rursus». Docet Dion. 357, Τῇ δ' ἐπί. Prisc. v. 351: «Post hos pingue solum sequitur, Campania dives». Nec aliter Anonymus et Withofius. Schr. — *Glebam jacet* Higt. sed hoc vix placet Schradero. Cf. Or. mar. v. 110.

498. His et vicinis versibus Avienus liberrime interpretatus est Dionysiana, v. 360, neque ullus locus

Convertare oculos, nemorosi maxima cernes
Culmina Piceni : coma largi palmitis illic
Tenditur, ac fuso Bacchus tegit arva flagello.
Tum Lucanorum regio insurgentibus alte

relictus calumniæ Salmasianæ ad Solin. p. 45 a. D. Schr.

499. Vulgo editiones habent *oculis*. Sed legendum videtur *Convertare oculos*, ut Virgil. Æn. XII, 172 : « Illi ad surgentem conversi lumina solem ». Avien. Phæn. 539: « Hinc si vicino flectaris lumina visu, Inque Notum sensim boreali ab cardine ductos Inclinere oculos ». Vid. Heins. ad Ovid. Met. II, 820. Schr.

500. Recte emendavit Pithœus : *Culmina Piceni*, pro *Picani*, quum illud etiam in codd. repertum sit, ut Ortel. Castigandus autem error est Drakenborchii ad Sil. IV, 304, qui ubi neglexerat Pithœum inspicere, quamquam veritatem ante oculos haberet, beneque intelligeret, Avienum de Picentinorum regione loqui, tamen putavit, eam regionem hoc loco *culmina Picani* dici, quod nomen alius montis apud Silium est, in eumque errorem etiam Forcellinum in Lexico traxit. Schr. — Cæterum et Avienus ipse errasse videtur, qui *Picenum* nominat, quum Dionysio de Picentinis sermo sit. Nam hic v. 361 προχοὰς Πευκεντίνου Σιλάροιο nominat, et ante de Campania egit. Picentini autem a Minervæ promontorio, qui terminus Campaniæ litoralis est, continuantur ad usque Silarum amnem, terminum inter Picentinos Lucanosque. Contra *Picenum* proprie est regio ad mare Hadriaticum, ejusque incolæ *Picentes*, e quibus deducti ad mare inferum, inter Campanos Lucanosque medii, vocantur *Picentini*. Vid. Cellar. Geogr. Ant. t. I, p. 859. W. — *Culmina Piceni :* sic ediderunt Cusp. et Vad. — *Coma largi palmitis illic Tenditur.* Unde hæc exsculpserit, vix adparet. De vitibus et flagellis vitium conf. Heins. ad Ovid. XIV, 666. De Lucanis montibus Liv. IX, 17, 17; Diodor. Sic. XIV, 101; Merula, p. 916. Schr. — Sed omnino hic respicit Avienus ad Surrentinos montes, qui a Plinio, lib. III, 5, 9, inter *vitiferos* Campaniæ *colles* referuntur, neque minus ad Picentinos pertinent, quorum terminus ad Surrentum. Ovid. Met. XV, 710 : « Et Surrentino generosos palmite colles ». Vina Surrentina Plinius, lib. XIV, sect. 8, ait « in vineis tantum nascentia ». Hoc ipsum est, quod Noster hoc loco significat : « ac fuso Bacchus tegit arva flagello ». Laudat eadem Martial. XIII, epigr. 110. Wd. — *Flagello.* Virgil. Georg. II, 299, de vitium cultura : « Neve inter vites corylum sere, neve flagella Summa pete » : ubi Servius *flagella* exponit « summas arborum partes, quia ventorum crebros sustinent flatus ». Ed.

502. *Tunc* quidem omnes vulgatæ, sed *Tum* scribendum putavi. Vid. vs. 493. — *Lucanorum regio insurgentibus alte Cautibus horrescit.* Equidem non me legere apud alios memini, Lucaniam tam asperam et salebrosam cautibus et scrupis fuisse, ac quidem hic ab Avieno memoratur, neque Dionysius hoc dicit. Sed locum ejus curatius inspiciens, reperio Avienum e Dionysii verbis perverse intellectis falsam

Cautibus horrescit: scrupus sola creber iniqua
Asperat, et denso cæcantur stipite silvæ.
Bruttius hinc dumos acer colit inter, et arces
Obsidet infidas, donec Sicana fluenta

istam Lucaniæ descriptionem procudisse. Dionysius, vs. 363, dicit Lucanos tautum terræ incolere, quantum ad Leucopetram usque pertingit: Ἄγχι δὲ Λευκανοὶ καὶ Βρέντιοι ἄνδρες ἔασι, Τοσσάτιον ναίοντες ὅσον Λευκὴν ἐπὶ πέτρην. Avienus Λευκὴν πέτρην non de Leucopetra, promuntorio extremæ Italiæ, sed de solo petroso, vel alba caute, quomodo et supra v. 118 nomen illud promontorii vertit, accipiens, et forte ipsos τοὺς Λευκανοὺς a caute albs nomen accepisse existimans, dixit totam Lucaniam, quousque habitaretur, esse in alba caute sitam, quasi scripsisset Dionysius λευκῆς ἐπὶ πέτρης. Wd.

503. *Scrupus sola creber iniqua Asperat.* Sic infra v. 809: « Et scaber in multis scrupus riget, undique iniquus Subrigitur vertex ». W.

504. *Denso cæcantur stipite silvæ*, i. e. obscurantur densitate arborum et ramorum, ut apud Liv. XXIII, cap. 7: « Densa caligo obcæcaverat diem ». Et alia, ut *cæca antra*, *cæcæ fossæ* dicuntur, quæ sunt operta, obstructa, atque hinc obscura. Illustrat hoc pluribus Heins. ad Virg. Ecl. VII, 56. Cæterum silvis et pascuis Lucania inprimis celebratur. Vid. Justin. XXIII, 1, 8; Calpurn. VII, 17. W.

505. *Bruttius hinc*. Vulgo edd. habent *Brutius*. Sed id eum duplici litera scribendum docet Schr. Quam in rem videri potest Cellar. Geogr. Antiq. t. I, p. 911; Drakenb. ad Liv. III, 203; Cort. ad Sallustium, p. 255; Sil. Ital. VI, 15, ibi Drakenb. et Heins. Græci etiam geminata litera Βρέττιοι, unde Prisc. 356: « Brettique coloni ». Vide Numismata, quæ Domin. *Magnan* dedit in Bruttia numismatica, a Tab. I-XXI. Quin Βρεύττια Steph. Byz. Schr. — *Dumos* Pith. Trogn. Scriv. Scal. Hudsonus reduxit *humos*, in Conj. rogans: *An dumos acer?* qualis negligentia! Heinsii conjectura *asper* pro *acer* vel ideo rejicienda est, quod versu præcedente est *Asperat.* Schr. — *Dumos acer colit inter.* Hinc *dumicolas* fecit Noster, v. 895, et *dumosas rupes* supra dixit v. 283. W. — Veneta corrupte *Fricius hic humo sacer.* Pithœus aliquanto correctius *Brutius hic humos acer*, quod sequutus est Hudson. *Hinc* scribendum pro *hic*, Schradero judice, ipsa res docet, et cod. Ambros. Alii legunt, ut Friesemannus notat, *hinc dumosa sacer.* Sed ante hos omnes optime hunc locum formarunt Cusp. et Vad. *Brutius hinc dumos acer colit inter, et arces Obsidet infidas.*

506. *Arces Obsidet infidas*, h. e. alta et munita loca, insidiis et latrociniis apta, occupat et tenet. Simillimum huic locum Schraderus citat Curtii, qui lib. IV, 7, 19, de Nasamonibus: « Gens Syrtica, navigiorum spoliis quæstuosa: quippe obsident litora, et æstu destituta navigia notis sibi vadis occupant ». Sed et Virgil. Æn. III, 400: « Sallentinos obsedit milite campos ». *Infidas* vocat, quia Bruttii antiquitus

Intendant pelagus, displosisque æquora terris
Instabile inclinent semper mare, qua vel Eois
Hadrias unda vadis largam procul exspuit algam,
Vel qua Tyrrheni præceps involvitur æstus.
At Zephyri hinc rupes dorsum tumet, inque Bootis
Plaustra patens albo consurgit vertice saxum.
Huc se prisca Locri gens intulit, et sale longo

non solum latrociniis continuis, sed et perfidia in socios fuerunt infames, quippe olim a Lucanis, unde origo eorum, desciverunt, et bello Punico secundo a Romanis defecerunt ad Pœnos, ob ipsam hanc perfidiam Bruttiorum nomen adepti a Lucanis, quorum sermone id vocabulum desertores vel fugitivos notat. Strabo, VI, pag. 392 Alm. Liv. XXIX, 6; Justin. XXIII, cap. 1. Wd.

507. *Intendant pelagus.* Conf. vs. 335 et 424. — *Displosisque æquora terris.* Equidem malim *displosis æquore*, nec tamen urgeo. *Displosis* magis tueor, contra Hudsonum, qui *disclusis* voluit. Etenim istud non modo usitatum poetis de rebus magna vi diruptis, ut Nostro in Progn. v. 286, item Lucretio, VI, 129, sed etiam terras quasdam violentia maris divulsas paribus verbis describit Valer. Flacc. II, 615 seqq. Miror Hudsonum non potius legisse *dispulsis*, quod eo ipso loco Valerii, et pluribus aliorum comparatis firmari potuit. Schrad. — Schraderi conjecturam *displosisque æquore* ego vix admittam.

508. *Instabile inclinent semper mare.* Interpretor, curvent, et adtollant vagis fluctibus, quemadmodum mox vs. 573 : « Insula qua curvas inclinat concava valles ». Hinc mare ipsum, quod inclinatur, *curvum* vel *curvatum* dicitur. Vid. vs. 192, 296, 529. W.

510. *Vel qua Tyrrheni,* etc. Schraderus pro imitatione Virgiliani versus habet, Georg. II, 164 : « Tyrrhenusque fretis immittitur æstus Avernis ».

511. *Ab Zephyro hinc rupes,* etc. Nonnullis difficultatibus hic locus premitur, si cum Dion. 364 et Prisciani 358 conferatur. Igitur sic legendum conjicio : « Ad Zephyrum hinc rupes dorsum tumet, inque Bootis Plaustra patens alto consurgit vertice saxum », ut periphrasi indicaverit Zephyrium, de quo Strabo, VI, p. 397. B. Zephyrium promontorium Dionysio Ζεφύρου ἄκρη, Prisciano *Zephyri summa.* Schr. — *Ab Zephyro* omnes edd. At hoc Dionysii sensum non reddere videtur. Hinc Schraderus bene satis emendat. Idem vero olim in schedis aliter : *At Zephyri hinc rupes,* quod multo magis placet, et Dionysio convenit. — *Tumet.* Sic etiam vs. 478 : « tumet illic ardua Calpe ». Ed.

513. *Hac se prisca Locri gens intulit.* Sic v. 203 : « Huc pecoris dorso sternacis in æquor Inachis illata est ». (Sed ibi *Hoc* voluit Schrader.) Singulare autem loquendi genus, quodque vix ferri possit : Locri, gens prisca huc se intulit. Similia tamen alibi reperiri putantur, ut superius v. 445 : « Dira Melanchlæ-

Eminus invecti, qua pontum gurgite rumpit
Flumen Alex, Graiæ rexerunt lintea cymbæ.
Hinc Metapontini discurrunt latius arvo:

ni gens circumfusa vagatur »; vs. 480: « indeque Cempsi Gens agit ». Or. mar. vs. 464 et 485. Facile tamen mutari possunt, ut vs. 445 sic relingatur: « Dira Melanchlænûm gens circumfusa vagantur », ut Heinsius. Or. mar. 485: « Bebryces illic, gens agrestis et ferox, Pecorum frequentes intererrabant greges ». Sed hujusmodi medicinam alia loca respuunt. Ausimne tentare? vs. 480: « indeque Cempsûm Gens agit », et hoc loco « Huc se prisca Locrûm gens intulit »; vs. 536: « Gens Hyllûm plurima rursus Accolit ». Ita quidem sæpissime Poeta, atque adeo contractione parili, v. 250: « Cimmerium gens dura colunt »; sed vid. 302: « gens late prisca virorum Lotophagi »; et vid. vs. 523, 946. Prisc. vs. 300: « Melanchlænum populus, metuendus in arcu ». SCHR.—Quid de hisce emendationibus sentiam, breviter enuntiavi in variis lect. Varietas exemplorum docet, utrumque loquendi genus Avieno probatum fuisse. W. — Veneta habet *Hunc se prisca*, ex quo Cusp. et Vadian. fecerunt *Hinc se*, Pithœus *Huc se*, quod optimum est. Schraderus vix ferendum putat *Locri, gens prisca*. Quod tamen ubi plures loci docent Avieno familiare esse (vid. v. 481, 536) cur idem hoc loco mutemus, et tot aliis locis, quibus similis locutio inest, vim inferamus, nulla ratio suadet.

514. *Pontum gurgite rumpit.* Sic *perrumpere* v. 434, et ipsum *rumpere* Prisc. v. 287. SCHR.

515. *Flumen Alex.* Vid. præter Strab. et Dionys. Conon, Narr. V; Thucyd. p. 228. Livio, XXIX, 7, 3, nomen istud restituere conatur J. Fr. Gron. Quod pro vulgato *texerunt* Huds. in Add. reponere voluit, *rexerunt*, aut *vexerunt*, parum placet, quamquam *rexerunt*, quod Vitio debetur ad Grat. vs. 87, multis defendi potest. Recepturus in contextum sum, quod Ambr. offert, et ingenio reperit Higtius: « Eminus invecti .... Graiæ flexerunt lintea cymbæ ». Prope accedit, quod est vs. 798: « Si tamen in Borean flectantur carbasa cymbæ ». Confer. Observ. meæ, p. 84. SCHR. — *Flumen Alix* Ven. Cusp. et Vad. *Alex* Pith. et reliqui. *Texerunt lintea* Cusp. Vad. Pith. Aliam conjecturam *flexerunt* Friesem. subjecit, quæ forte a Schradero petita: hic enim profert in hac nota. Mihi præplacet *rexerunt*, et ideo in textum recepi.

516. *Hinc Metapontini discurrunt latius arvo.* Heinsius ad Ovidium, Trist. V, 7, vs. 36: *discurrere* idem (Avienus) cum quarto casu junxit: « Hinc Metapontini discurrunt latius arva ». Sed pace viri elegantissimi dixerim, Latini dicunt *decurrere arva*, ut Noster vs. 1019: « impiger agros Incola decurrit »; et vs. 1300: « Hi quamquam steriles decurrant semper arenas ». *Discurrere* autem agris, silvis: ut Nemes. Cyneg. vs. 49: « totisque citi discurrimus arvis »; et Ecl. IV (Calpurn. XI), vs. 5: « parilisque furor de dispare sexu Cogebat trepidos totis discurrere silvis ». Itaque aut emendandum *decurrunt latius arva*, aut *discurrunt latius arvo*

Inde Croton priscis adtollit mœnia muris:
Æsarus hic amnis salsa convertitur unda,
Et Junone calent hic aræ præsule semper.
Nec minus exciti post flumina dira Tonantis

vel *arvis:* quod postremum firmari videtur et probari voce *latius* adjuncta. Vid. Bentl. ad Lucan. IV, v. 733: « Ignotisque equitem late discurrere campis »; et Oudend. ad Lucan. VIII, 222: « Si vos, o Parthi ... Passus Achæmeniis late discurrere campis, In tutam trepidos numquam Babylona coegi »; ubi luculenter hoc loquendi genus illustrat. Burmannus tamen, « Quia, inquit, montosa hæc regio, *decurrere* retineo ». At Babylonia, de qua sermo, terra plana est. Vid. Strab. II, pag. 109, II, pag. 169 B. XVI, pag. 1072 B. Cic. de Divin. I, 42; Perin. Orig. Babyl. pag. 317. Schr. — Fortasse *discurrunt* h. l. nihil aliud est, quam tenduntur, extenduntur vs. 493, 526, quemadmodum *excursu diffusi latius agri* dixit v. 417, et *discurrunt arva,* dictum est, ut *rupes dorsum tumet* v. 571 et 739; atque ut *distenditur arva,* vs. 566. W. — E duabus Schraderi emendationibus *discurrunt latius arvo, arvis,* et *decurrunt latius arva,* ego priorem malo, et in textum admitto.

517. *Inde Croton priscis.* Conveniunt elogia, quibus Crotona urbem ornant scriptores. *Alta* vocatur Sil. XI, 18, antiquissima et *aliquando Italiæ prima* Petronio, cap. 116: *nobilis et opulenta* Livio, XXIV, 2, 7. Schr. — Croton Prisciano grata urbs dicitur. Sed neuter expressit epitheton illi a Dionysio inditum ἰϋστεφάνοιο. Nempe adludere videtur ad athletas nobilissimos quos Crotona edidit, inprimisque Milonem tot pugilibus palmis celebrem. Ed.

518. *Æsarus hic amnis.* Media in Æsarus corripitur Prisciano, v. 363, Avieno hoc loco, Ovidio, Met. XV, 23: « Æsaris undas », et 54: « Æsarei fluminis », Lycophroni v. 911. Contra producitur Dion. et Theoc. IV, 17. Verba: « amnis salsa convertitur unda » illustrabit Solini locus, p. 24. F. vel cap. 14: « Fons Exampeus infamis est amara scaturigine; qui liquido admixtus fluori, amnem vitio suo vertit, adeo ut dissimilis sibi in maria condatur ». Schr. — *Salsa convertitur unda,* h. e. influit in salsum mare. Nam Straboni lib. VI, pag. 262, Æsarus fluvius et portus est.

519. *Junone...præsule semper.* Pro *præsule* Pricæus citat *præside* ad Apul. Met. lib. IV, p. 233, memoria nempe vacillans. Nam *præsule* haud dubie rectum est, quam in rem adi Solin. pag. 1, C. ubi Angerona, *diva præsul silentii,* Ambrosii locos apud Gronov. Observ. Eccles. p. 16 seq. Prisc. v. 71. Lact. ad Stat. VIII, 270: « Pictos præsules suos habent naves ». Schr. — Cæterum hoc versu indicatur promontorium, quod a templo Junonis Laciniæ nomen habuit. Vid. not. ad Prisc. 364. W. — Pro *præsule* Schraderus olim in schedis notaverat quoque *præside.*

520. *Exciti post flumina dira Tonantis. Fulmina* quidem pro *flumina* placuit Scaligero, Anonymo et

Infortunatæ Sybaris vicina ruina est;
Samnitæque truces habitant confinia: post hos

Higtio. Eodem qnoque ducunt *Tonantis* et *dira*. Sed quid est *excitus Tonans?* quid *excitus post fulmina?* Dicas Avienum dedisse: « Nec minus excisæ (vel *exustæ*) per fulmina dira Tonantis Infortunatæ Sybaris vicina ruina est ». *Sybaris* casu secundo, ut 469 *lychnitis rutilæ*. Attamen, quis Sybarim fulmine deletam narravit? Respondeo, omnia quæ de clade hujus et caussis referuntur, incertissima videri. Forte Avienus ex auctoribus hausit deperditis, ut et Priscianus a Dionysio dissentiens: *Præponens hominum tumulos cœlestibus aris.* Scua.—Verum est, neminem Veterum narrasse, Sybarim fulmine deletam esse, at fluminibus immissis et inductis deletam nonnulli memorant. Hinc lectio *post flumina* fundum aliquem in historia habet, et per adpositum *post* fit probabilior, quia pro altera lectione dicendum erat *per fulmina.* Voces *Tonantis* et *dira* ducere videntur ad *fulmina*, fateor; sed tamen *Tonantis* mera interpretatio est τοῦ Διὸς Dionysii, sicut *exciti* est τοῦ χωσαμένοιο, et *dira* omnino *flumina* dici potuerunt, quæ urbis vestigia deleverant, et multo magis, si flumen sanguinis, ab Æliano memoratum, intelligatur, quod inprimis diras et ultima fata Sybaritis denuntiavit. Lege cætera, quæ super ea re in Excursu ad Priscianum diximus. His de caussis ambiguum videtur, quæ præferenda sit lectio, quum *post flumina* historicorum testimonio, *fulmina* codicum antiquiorum auctoritate nitatur. W.—Ven. habet *Ne minus exciti.* Inde Cusp. et Vad. *Eminus exciti.* Pithœus *Nec minus.* Hudsonus edidit *Nec minor*, nulla ratione, quam perspicere possim. Rectum est *Nec minus.* Nam sic Dionysius, vs. 372: Ἔστι δέ τοι κἀκεῖθι. *Post fulmina dira* habent antiquæ Ven. Cusp. Vad. *flumina* Pithœus edidit et Hudsonus, qui vero et conjicit *fulmina*, et Eustathium citat ad v. 575: (volebat 373) cujus tamen in expositione nihil invenio, quod lectionem eam juvet. Nihilo minus *fulmina* placuit pluribus Criticis et interpretibus. Ego vero lectionem *post flumina* non abjiciendam esse existimo, et quæ ejus interpretatio ex historia possit adferri, ostendo in Excursu ad Prisc. v. 365 seq. — Vid. tom. IV, huj. op. p. 417 et seqq. Ed.

521. *Ruinæ est* habent antiquæ Cusp. Vad. Pith. *vicina ruina est* primus edidit Huds. Ad *infortunatæ* conf. v. 986, ubi *Troja infortunata* dicitur.

522. *Samnitæque truces habitant confinia.* Falso. Longe remoti sunt a Sybaritis. Rectius Dionys. v. 375: Σαυνῖται δ' ἐπὶ τοῖσι μέσην χθόνα ναιετάουσι, et Prisc. v. 368: « Samnites medio complectitur Itala tellus In gremio ». A locis enim maritimis in mediterranea digreditur. Samnitæ sunt *Samnites* cæteris; sed videtur placuisse græca terminatio, qua tamen rarissime utitur; cf. v. 322. Schr.— Mihi videtur Avienus verbo *confinia* intelligere terram, quæ plurium adjacentium fines communes habet, h. e. mediterraneam. Quo pacto mentem Dionysii expressit. Eodem sensu recurrit hoc verbum infra, v. 552. W. Sed alio sensu v. 96, et aliis locis.

Gens Marsûm quondam tenuit loca: tumque Tarentum
Surgit, Amyclæi suboles prædura tyranni.

523. *Gens Marsûm quondam ... tumque Tarentum.* Videtur indicare suo tempore non superfuisse. Deinde in *tumque Tarentum* radit aures *m* toties recurrens, inde præferrem *Tarentur.* Schr. — Sed Priscian. v. 369: « tunc deinde Tarentum ». Ed.

524. *Amyclæi suboles prædura tyranni.* Forte *Phalanti.* Heins. Sane Sil. IX, 16: « Inde Phalanteo levitas animosa Tarento ». Hor. Carm. II, 7, 12, « regnata petam Laconi Rura Phalanto ». Sed pro vulgata facit v. 664: « Hanc super est tellus Ithaci vetus aula tyranni ». Dicat aliquis, Phalantum non fuisse regem Laconum; sed dicitur ita, ut modo apud Horat. *Regnavit* forte inter exsules eo profectos. Et cur non tyrannus Tarenti demum? Schr. — *Soboles prædura.* Lege *suboles*, et vid. Oudend. ad Lucan. II, 331. Colonia habebatur *filia* metropolis suæ. Scal. ad Catul. 68, 34: « Brixis Veronæ mater amata meæ ». Apud Claud. Bell. Gild. v. 332, Mauri vocantur *Progenies vesana Jubæ.* Paulin. ad Cyther. 303, p. 489 ed. Antverp. « Massilia Graium filia ». Herod. vit. Hom. c. 9: Οἳ πόλιν αἰπεινὴν Κύμης ἐριώπιδα κούρην Ναίετε. Spanhem. Pr. Num. I, p. 577; Vales. ad Exc. e Polyb. p. 49. Schr. — *Suboles prædura tyranni.* Forte *præclara* Heins. et Higtius. Sane Tarentinæ deliciæ nimis notæ, quam ut Tarentum *prædura* dici possit. Quis nescit *coronatum ac petulans madidumque Tarentum* (Juven. VI, 296). Schr. Sed vix aliud, quam *prædura*, scribere potuit Avienus, si verba Dionysii respexit vs. 377: Ἥν ποτ' Ἀμυκλαίων ἐπολίσσατο καρτερὸς Ἄρης. Hic enim respicit Parthenias, durante acerrimo bello, patribus militibus genitos, qui « quum ad annos XXX pervenissent, metu inopiæ ducem Phalantum adsumpserunt, filium Arati, qui auctor Spartanis fuerat juventutis ad generandum subolem *ex bello* domum remittendæ », ut memorat Justin. lib. III, cap. 4. Ex his Justini, aut similibus alius scriptoris, verbis Avienus adpellationem *Amyclæi suboles tyranni* sumpsit. Partheniæ, Tarenti coloni, suboles vocantur ejus tyranni (quem Aratum malo intelligere, quam Phalantum), quia auctor ejus generandæ fuerat. Eadem suboles *prædura*, quia Partheniæ inopia conflictati, et a Spartanis expulsi, sedes alias inquirere coacti sunt, « diuque et per varios casus jactati, tandem in Italiam delati sunt, et occupata arce Tarentinorum, expugnatis veteribus incolis, sedes ibi constituerunt », ut idem Justinus scribit; quocum conferatur Strabo, lib. VI, p. 426, Alm. Fere igitur talis hæc *suboles prædura*, qualis Horatio, Carm. III, 6, 88: « rusticorum mascula militum proles » dicitur. Et Avienus his verbis antiquam Tarentum et primos ejus colonos describit, non eos cives, qui postea luxuria et mollitie corrupti memorantur, quamquam et hos, veteris originis memores, multa ex Lacedæmone et Laconum moribus retinuisse, antiqui scriptores monent. Vid. Heynii V. C. Opusc. Acad. t. II, pag. 220. Wd. — Pro *prædura* Heins. et Higtius voluerunt *præclara*, quod non displicet Schra-

Hinc jacet in patulos projecta Calabria campos,
Et super arenti tenduntur Iapyges agro.
Huc se præcipiti cogit ferus Hadria ponto.
Hic Aquileia decens celsis caput inserit astris:
Tergestumque dehinc curvi salis incubat oram,
Extimus Ionii qua se sinus æquoris abdit.
Tot populi Ausoniam circumdant mœnibus altis,
Italiam cingunt tot diti cespite gentes.

dero. Pro *tyranni* Heinsius conjecit *Phalanti*, ingeniose utique, nec tamen adsentit Schrader. Atque ego nihil hoc versu muto.

525. *Hic jacet* Cusp. et Vad. sed præferendum videtur *Hinc*, quod Pithœus dedit. Quosdam *porrecta* vel *protenta* legisse pro *projecta* sigoificat Schrad. ipse tamen *porrecta* prætulisse videtur. Vulgatam lectionem *projecta jacet* juvare videtur vs. 496: « Hinc Calopanus ager glebam jacit ».

526. *Et super arenti tenduntur.* De Apulia *arente* consonat Ovidios, Metam. XIV, vs. 510: « et Iapygis arida Pauni Arva »; et Horat. qui Epod. 3, 16: « Siticulosam Apuliam » nominat; et Sat. I, 5, 77: « montes Apuliæ, quos torret Atabulus ». *Tenduntur*, ut vs. 493. Schr.

527. *Huc se præcipiti cogit.* Videtor significare, Hadriaticum mare ad Apuliam angustiore spatio esse, eoque vehementius ruere. Hoc indicant verba *cogit se*, h. e. arctat, contrahit, *ferus Hadria*, et *præcipiti ponto*, quomodo versu 640 dixit: « Urgent angustæ marmora fauces, Arctaque præcipitant properum confinia pontum ». Eo adduxisse Avienum verba Dionysii videntur, v. 380, σύρεται, trahitur, truditur, et Πόντον ἐς ἀγχίπορον, qoem ioterpretatus videtor brevem traositu, i. e. angustum. W.

528. *Hic Aquileia decens celsis.* *Aquileiam* quatuor syllabis, vel *Aquileïam*, ut *Elegeïam*, expresserunt poetæ. Oudend. ad Suet. Aug. 20; Priscian. v. 374. — Quinque habet syllabas apud Auson. de Urbibus: « Nona inter claras Aquileia ciberis urbes ». Sic quoque Dionysius, v. 381: Πόντον ἐς ἀγχίπορον Ἀκυληΐον. *Decens* sæpe refertur ad pulchritudiois laudem. Ovid. Met. I, 450. Id autem Aquileiæ adprime convenit. Vide Cluver. Ital. Antiq. pag. 179. Schrad. — *Celsis caput inserit astris.* Supra vs. 252 idem hemistichium.

529. *Tergestum*, hodie *Trieste.* Holst. ad Steph. pag. 317. b. Schr. — *Curvis alis* vitiose Pith. pro *curvi salis.* — *Incubat oram.* Sic Apul. Met. IV, p. 69 Pric. « aureos folles incubabat ». Stat. Theb. X, 107: « stipatos flore tapetas Incubat ». Ipse Avien. Or. mar. v. 236: « pigra incubat Caligo terras ». Schr. — *Incubat oræ* legit Camers ad Prisc. 380; sed *oram* defendit Schr.

530. *Extimus Ionii.* Putarem scribendum *Intimus*, si libri veteres addicerent.

531. Jungi debere *Italiam diti cespite*, mooet Schrad. qui confert v. 270.

In jubar Eoum rursum se pervia flectunt
Æquora, et Assyrium suspectant eminus axem

533. *In jubar Eoum.* Veram hanc lectionem servavit V. Corruptionis caussa fuerat *b* in *v* mutata. V. 474: « spectat Achæmeniæ lucis jubar ». Pro corrupto *caper via* cum Higtio emendo *cærula*, eamque lectionem recepturus sum in contextum, quia literarum ductibus congruit, et Avieni consuetudine firmatur, ac probatur. Vid. vs. 120, 186, 773 et 653: « Ionii si quis rate cursum cærula currat Æquora, et Eoos cymbam producat in ortus », ubi ipsa fere verba habes. Similis item transitus invenitur v. 562: « Insula se rursum Pelopis visentibus offert ». SCHR. — Totius versus: *In jubar Eoum*, etc. cum seqq. hic sensus est: Ubi æquora sunt *pervia*, et in intimos sinus Italiæ penetrant, rursum se *flectunt* in Orientem, ubi litus Illyricum, et primi occurrunt Liburni. W. — Pithœus corruptissime: « In vuiar* Eoum rursum se caper via flectunt ». Veram lectionem monstrarunt Ven. Cuspin. et Vad.: In jubar Eoum rursum qua pervia flectunt ». Ubi tamen eliminandum videtur *qua*, quia sequentia id respuunt, et legendum, uti Hudsonus e conjectura dedit: « In jubar Eoum rursum se pervia flectunt Æquora ». Sed alterum hemistichium varie sollicitatur. Vir doctus, sive Schraderus, sive alius, ad oram edit. Trogn. tres conjecturas notavit: « In jubar Eoum rursum se turgida flectunt »; conf. vs. 474, 879 et 1155; item « rursum qua se vaga flectunt Æquora », aut « freta pervia flectunt ». Sic Ovid. Epist. XIX, 109, et Devonius, lib. V, v. 109, « pervia cærula ». Porro Oudendorp. in Observ. misc. vol. V, t. II, p. 166, conjicit *se crispula flectunt*, aut *cernua*, id est, *prona*. Ego vero non ausim aliquam ex his præferre lectioni, quam Hudsonus dedit. — *Pervia* confirmatur ep. 13 lib. I Anthol. Burman. et sic *pervius Oceanus* in epigr. Pith. lib. I, pag. 61, et *impervia tellus*, ibid. ep. seq. et « Coriothus pervia facta » lib. I, p. 32. Et Pomponius Mela, lib. II, cap. 2: « Athos moos a Xerxe... perfossus, ... factus freto navigabili pervius ». ED.

534. *Et Assyrium suspectant.* Oud. in Obs. Misc. vol. V, p. 167, conjicit *Illyrium* pro *Assyrium*. Ego vulgatum servo. Nam synonyma sunt: « In jubar Eoum ... se cærula flectunt », et « Assyrium suspectant eminus axem Ionii freta glauca sali ». Et simillima passim reperias, ut vs. 772: « Contemplator item, qua se mare tendit in Austrom, Inque Notum Oceanus freta ponti cærula curvat ». Freta autem *suspectare* dicuntur axem Assyrium, ut vs. 471. Europa *spectat* Achæmeniæ lucis jubar. Et sic « ortus Achæmenius » Or. marit. vs. 657. Si *lucis Achæmeniæ jubar*, et *ortus Achæmenius* dici queunt; sic etiam *axis Assyrius* adhiberi potest ad Orientem indicandum. Assyriæ enim nomen late extenditur, adeo ut Persis et Media ea continerentur, atque adeo India, si Glareanum audias, ad Lucan. VIII, 289-294: « Quare agite, Eoum, comites, properemus in orbem... Oceanusque suus ». Favet tandem *suspectant*. Sic enim de Memnone, vs. 368: « Memnon ubi Tithoneus Suspectat roseas Auro-

Ionii freta glauca sali, primosque Liburnos
Præstringunt pelago; gens Hylli plurima rursum
Accolit: hic tenui tellus discluditur æstu.
Illyris ora dehinc distenditur: hicque periclis
Sæpe carinarum famosa Ceraunia surgunt.
Tum prorepentis qua sunt vada cærula Nerei,
Harmoniæ et Cadmi sustentat gleba sepulcrum
Barbara: nam longo jactati sæpius orbe,

ræ matris habenas ». Et ne hæreas, de aquis, vs. 835 : « sinus rigidam suspectat tertius Arcton ». Schr.

535. *Primosque Liburnos Præstringunt pelago; gens Hylli*, etc. *Plurima* exprimit Dionysii χθόνα πᾶσαν. Cf. vs. 463, 1332; Or. mar. 440. Cæterum nescio an pro *Hylli* legam *Hyllûm* vel *Hylles*. Schr. — *Præstringunt* Cusp. Pith. Huds. *Perstringunt* Vad. Deinde vulgatæ distinguunt « primosque Liburnos Præstringunt; pelago gens Hylli plurima, etc. » Sed Schraderus interpungere jubet post *pelago*, recte: quia latinum non est, *pelago accolere*, et *præstringere* fere cum ablativo construitur.

537. Omisit h. l. Avienus Dionysii Βουλιμέων ἀκτάς, v. 387. Istis vero: « tenui tellus discluditur æstu », designatur Χεῤῥόνησος μεγάλη, peninsula. Inde legendum videtur: « et tenui tellus discluditur isthmo », vel « tenuis tellus discluditur æstu »: quemadmodum dicitur Ovid. Her. IV, 106, et « gracilis Isthmos » Lucano, I, 101. Hæreo tamen, an *tellus discludi* dicatur, i. e. separari, ut *tellures*. Ovid. « Uno tellures dividit amne duas ». Forte igitur *discluditur* corruptum est. Schr. *Tenui tellus discluditur æstu*. Describitur isthmus, quem adjacere Hylleorum terræ scribit Dionys. vs. 385: quapropter *Hyllis peninsula* Plinio, χεῤῥόνησος Stephano dicitur. Et fortasse apud Nostrum legendum est *discluditur isthmo:* quomodo et conjicit Schraderus.

539. *Famosa Ceraunia*, ut Horat. Carm. I, 3, 20: « infames scopulos Acroceraunia »; et Lucan. V, 652: « scopulosa Ceraunia nautæ Summa timent ».

540. *Tunc prorepentis*. Præfero, non sequente vocali, *Tum*, quod habet A. Miror autem perversum Hudsoni judicium, qui *Harmoniam* mutavit in *Hermionen*. Centum locis *Harmonie* corrupte vocatur *Hermione*, ubi viri docti correxerunt *Harmonie*. Conf. Burm. ad Anthol. I, pag. 54. Schr. — *Tum prorepentis* pro *Tunc*, quomodo et supra vs. 502, correximus.

541. *Sustentat gleba sepulcrum*. Cadmi et Harmoniæ sepulcri mentionem Dionysius huc transtulisse videtur ex Apollon. Rhod. IV, 517. Et fabulam de Cadmi et Harmoniæ inter Illyricos habitatione inprimis celebratam ab Alexandrinis poetis esse, qui ejus memoria Illyricum omnino notare solent, monuit nuper doctiss. Schœneman. Comment. de Geogr. Argon. p. 57. W. — *Gleba barbara*; vide notata supra v. 477.

542. *Sæpius* pro *diu* accipit Barth. ad Stat. Thebaid. II, 291, et alium

Postquam liquerunt Ismeni fluminis undam,
Hic in cæruleos mutati membra dracones
Absolvere diem, finemque dedere labori.
Nec minus hic aliud monstri genus arbiter æthræ
Edidit: adsistunt scopuli duo, quumque quid atri

Nostri locum adjungit vs. 665: «Ithaci vetus aula tyranni, Exsulis et toto raptati sæpe profundo».

544. *Hic in cæruleos.* Quum in editis esset *cæruleos* et dein *draconis*, aut *cærulei* legendum, aut *dracones*. Huds. Sequor Heinsium, qui ad Ovid. Met. IV, 598, legendum monuit: «Hic in cæruleos mutati membra dracones», quia agitur de duobus, et græcismus elegans est, ac poetis adamatus, ut Ovid. Met. IX, 81: «tauro mutatus membra rebello»; et Nostro 427: «Mutatæque manus planxerunt pectora ramis». Quod sequitur, *absolvere diem*, hinc in Lexicon retulit Forcellinus. In istis: *finemque dedere labori*, Avienus quidem imitatur Virgil. Æn. I, 199, sed mire loquendi genus, contra naturam linguæ, pervertit. Schr.—Vellem Schraderus docuisset, quid hoc loco naturæ linguæ contrarium existimaverit. Aut ego illam non satis perspicio, aut iniquius de Avieno judicavit vir summus. Licet, licuitque semper Latinis scriptoribus, verba et formulas priscis usurpatas paullo alium in sensum inflectere, et innumera hoc poetarum loca docent. Sic *dare stragem* Nemesianus, Cyn. 204, *dare ruinam* Licentius, vs. 15, aliter usurpavit ac Virg. Georg. III, 247, et Æn. II, 310. Jam si Maro scripsit Æn. I, 199, «dabit Deus his quoque finem»; et v. 241: «quem das finem, rex magne, laborum», i. e. concedis, tribuis, indulges; nescio, quid tam grave peccaverit Avienus, si *finem dedere labori*, pro *fecere*, *imposuere*, posuit, quem sensum etiam Virgilii verba admittunt. Poterat sine dubio Avienus et sic scribere: *finemque tulere laboris*, scil. sui, etsi alio sensu hanc formulam adhibet Virgil. Æn. VII, 118. Novator rerum verborumque Avienus est, nec infelix. Cæterum ut *absolvere diem* nove dixit de morte placida, ita *projicere diem* Statius, Theb. II, 658, de violenta. W. — *Cæruleos . . . draconis* est in Pith. sed *dracones* cum Heinsio dederunt Cusp. et Vad.

546. *Nec minus hic aliud monstri.* Sic solet Noster aliis locis. Præcipue vs. 1074: «Nec minus hic Tripolis pingui sola porrigit agro»; et v. 379: «Nec minus hic speculæ vertex subducitur». Forte tamen hic vs. desiderat: «Nec minus his aliud monstri genus arbiter æthræ Edidit». Dion. enim v. 394: Ἔνθά σφιν τέρας ἄλλο θεοὶ θέσαν· quod Paraphrastes reddit: ἐκεῖσε αὐτοῖς. Similiter apud Prisc. legitur v. 387: «Hic illis aliud posuerunt numina monstrum». Fabulam hanc, quam alibi non repererat Hillius, e Dionysio etiam memorat Tzetz. Chiliad. IV, 708. Schr. Veneta expressit: *Nec minus hic aluit monstri* (pro *aliud*). Sed hoc *aluit* habere locum non potest propter sequens *Edidit*.

547. *Adsistunt scopuli duo.* Horum concurrentium scopulorum neminem alium recordor mentionem fe-

Imminet eventus, ut vulgi corda fatiget
Sors rerum, et mentem terat inclementia fati,
Et motantur humo, et coeunt sibi vertice saxa.
Sed qua mitis item spirat Notus, Oriciumque
Pulsant flabra solum, Graiæ confinia terræ
Incipiunt aperire latus, prolixaque longis
Jugera producunt spatiis, præcincta duobus
Æquoris infusi procursibus: hanc freta quippe

cisse, nisi Scylacem huc referre velis, qui in Perip. p. 9 ed. Huds. narrat, ab Arione (sive Drilone) fluvio dimidiati diei curau abesse Cadmi et Harmoniæ lapidea. W.— Pro *adsistunt* Schraderus tentat *absistunt*, propter oppositionem sequentem *coeunt sibi*, et confert Dionysium, qui v. 396: Ἄμφω συνίασι δονεύμεναι. Sed *adsistunt* hoc loco idem est ac *stant*, *siti sunt* scopuli, quemadmodum *adstat* v. 318, et 376 dixit *templa Jovis adstant*, exprimitque Græcum Dionysii ἐρηρέδαται. Opposita vero accurate reddidit Avienus, vs. 550: « Et motantur humo, et coeunt sibi ».

549. *Ut vulgi corda fatiget Sors rerum, et gentem terat.* Probo conjecturam Heinsii, ad Ovid. Met. I, 101, legentis *et mentem terat inclementia fati*. Male enim jungitur *vulgi corda* et *gentem*. Favet etiam Virg. Georg. IV, 69: « Continuoque animos vulgi et trepidantia bello Corda licet longe præsciscere ». Silius quoque duo ista conjungit I, 63: « Dat mentem Juno, ac laudum spe corda fatigat »; VIII, vs. 118: « Queis ægram mentem et trepidantia corda levaret Infelix germana tori »; et ipse Avien. 1087; (ubi quidem Schr. legebat *Cor studiis acuit, mentem pius*, sed perperam. Ed.) Forte tamen scripsit Avienus: « ut vulgi corda fatiget Sors rerum, et mentes terat inclementia fati »; ut Ovid. Metam. I, 55: « et humanas motura tonitrua mentes ». Schr.— Certe minor esset mutatio, si reponendum contenderes: « et gentes terat inclementia fati »: quæ lectio nulla premitur difficultate; vide Propert. III, 3, 67. Wassenb.

550. *Et motantur humo.* Omnem motum terræ et montium inter prodigia et malorum signa habitum, adnotavit Barth. ad Statii Theb. III, 37. W. — *Coeunt sibi*, i. e. inter se. Vid. v. 410, 694.

551. *Oriciumque Pulsant flabra solum.* Dion. 399: Ὠρικίην θ' ὑπὲρ αἶαν. Prisc. 396 *Epiron* vertit, quod idem est. Nam Oricum vel Oricos oppidum est Epiri maritimum, vel promontorium, juxta Acroceraunia. Horat. Carm. III, 7, 5: « ille Notis actus ad Oricum », ut hic: « qua spirat Notus ». Propert. I, 8, vs. 20: « Ut te felici prævecta Ceraunia remo Accipiat placidis Oricos æquoribus ». W.

552. *Graiæ confinia terræ*, interpretor Græcia, multas terras gentesque confines habens, vel variæ regiones et terræ, quæ Græciæ nomine et finibus continentur. Conf. superius v. 522. W.

555 et 557. Pro *hanc*.....*hanc* Higtius tentavit *hinc*...*hinc*, refe-

Ægæi lambunt pelagi; citus Hadria rursum
Subluit hanc fluctu: gemino sic gurgite late
Graia madet tellus, sortitaque marmora ventos
Quæque suos, imo turgescunt mota profundo.
Eurus in Ægæum contorquet flabra: cadentis
Parte poli Zephyris Hadriatica terga tumescunt.
Insula se rursum Pelopis visentibus offert,
Insula quæ platani folio compar sedet. Isthmi

rente Schradero, qui tamen ipse nihil mutat, et conferri jubet locum simillimum v. 1103 seq.

556. Oddius maluit *citus Hadria cursu*. Sed Schraderus defendit *rursum*, quia hoc centies ita ab Avieno adhibetur.

557. Pro *Subluit* alius, notante Friesem. conjecit *Subruit*. Sed conf. v. 183. *Gurgite latæ* habet Cusp. et Pith. sed quia hoc mendosum est, et *manet* versu sequente omnes editt. antiquas occupavit, quæsiverunt critici loco *latæ* vocem, quæ τῷ *manet* commode jungeretur. Hinc viri docti manus ad oram editionis Trogn. pro *latæ* conj. *clusa*, id est, *clausa*, vel *cincta*, vel *lota*, immo *tuta*. Alius conjecit *læta*, ut notat Friesem. Sed Camers ad Prisc. 399 sic locum emendavit: « gemino sic gurgite late Graia madet tellus ». Quam sententiam recentiores, quamvis ignari, amplexi sunt. Nam Hudsonus edidit *late*, et *madet* pro *manet* substituendum censuerunt Odd. et Higtius, adsentiente Schradero, qui eam lectionem firmat adpositis vs. 121, 326, 486.

558. *Marmora ventus* vitiose exhibent Cusp. et Pith. *ventos* jam correxit Camers l. c. Adsenserunt Scal. Heins. Huds. Schrad.

560. *Cadentis Parte poli*, id est, devexi et inclinantis se ad vesperam, ut est apud Virgil. Æn. VIII, 280. *Cadens* dicitur *polus*, ut ipse *sol cadens* vs. 273, et *prona dies*. Hæc enim est poetica ratio, ut quemadmodum sol et sidera, ita ipsum cælum, singulis diebus noctibusque, circumagi, verti, surgere, cadere, præcipitari dicatur. Quam rationem inprimis illustravit Heynius V. C. Excurs. II ad Æn. II. Pariter, ut hic *cadentem polum*, Noster infra vs. 848 *dejectum axem* (quomodo Camers et Vadianus ibi emendant) Zephyro adsignat. W. — *Latentis Parte poli* ediderunt Cusp. et Pith. Pro eo Higtius tentavit *jacentis*. Sed olim Vad. edidit *cadentis*, quod sine dubio rectum est, et probari a Schradero videtur, qui locum e Phænom. v. 1266 confert, ubi *cadentis Parte poli* in re simili legitur.

563. *Insula quæ platani folio compar sedet*. Pervulgata hæc, et ab omnibus fere geographis veteribus repetita, comparatio formæ Peloponnesi cum folio platani, ut Solino, pag. 17, b. Melæ, II, 3, 41; Agathem. pag. 193; Strab. II, pag. 138, A. VIII, p. 516, A. ubi vid. Casaub. In nummis antiquis, uti adnotavit Jac. *de Wilde*, pag. 79, Peloponnesus testudini adsimilatur.

Quippe caput summum conducitur, arctaque vergit
In Borean tellus, et Graios adjacet agros:
Cætera sub folii specie distenditur arva,
Ac per utrumque latus sinuoso sæpe recedit
Cespite: sed tepido qua tellus tunditur Austro,
Graiorum Triphylis sterili se porrigit ora.

Schr. — Couf. not. ad Prisc. v. 402. — *Folio compar sedet*, id est, adhæret, vel adfixa est telluri, ut folium platani frutici, vel ramo suo; et mox vs. 565: » Graios adjacet agros ». Sic *sedet telum*, h. e. infixum est, Stat. Theb. X, v. 656. — Sed hanc sententiam postea retractat Wernsdorfius, et mavult *sedet* esse simpliciter, quod alias *jacet*, *stat* vel *adstat*. Sic enim vs. 732: » sedet eminus ingens Phænagore, et muros adtollitur Hermonassa ». Ed.

564. *Conducitur*, i. e. arctatur, contrahitur, ut v. 266.

565. *Graiis adjacet agris* vult Camers ad Prisc. 399, sed ignorans Avieni consuetudinem. Vid. vs. 529, et infra vs. 589: » adjacet Hæmnm ».

568. *Tepido qua tellus tenditur Austro. Tunditur* A. et hinc Heinsius ad Claud. Add. p. 1011. Prisc. v. 106: « Tyrrhenum Zephyro, Siculum sed tunditur Austro ». Add. vs. 116. Singnlare quidem videri possit: *tellus tunditur Austro tepido;* sed similis non desunt. Vs. 373: « Altera pulsatur genitabilis ore Favoni »; v. 552: « Oriciumque Pulsant flabra solum ». Prisc. 870: « ab æquore Partho, Arrabioque, ferit Zephyrus quod flamine sævo ». Discedit autem a Dionysio, 409, qui Zephyrum hic nominat, et Prisc. 406: » Zephyrumque Triphylidis arva Excipiunt ». Sed et alibi ventos variavit. Vid. v. 816, coll. Dionys. v. 634. Schr. — *Tenditur Austro* Pith. et Huds. sed rectius Cusp. et Vad. *tunditur*.

569. Recipio *Triphylis* pro *Tripolis*, agnito Avieni errore, qui secundam, seu mediam corripuit, utique producendam, ut in *Pamphylis*. Bene Hillus Dionysium sic correxit, v. 409: Τῆς πρὸς μὲν Ζεφύροιο Τριφυλίδος ἤθεα γαίης. Nec aliter legendum in Prisc. vs. 406: » Zephyrumque Triphylidis arva Excipiunt ». Rectam quoque vocis scripturam pulchre tuetur Jac. Palmer. in Exerc. ad auct. Gr. p. 82. Vid. Strabo, VIII, 519, B. Polyb. IV, 77, p. 473; Pausan. pag. 385 et 819; Diod. Sic. V, 44. Cellarius, I, 960, *Triphaliam* Polybii, et *Triphyliam* eamdem censet. Miror vero Wessel. qui ad Diodor. Sic. II, pag. 63, utramque sententiam proposuit: Kuhnius vero pessime fecit, qui ad Pausan. pag. 385, pro Τριφυλία legit Τριφυλλία. Recte etiam *Triphylia* editur in Liv. XXVIII, 8, 6, XXXII, 5, 5. Fortasse autem ideo dicitur sterili se ora porrigere, quia *ad mare:* quam in rem vide Polyb. IV, cap. 77. Schr. — *Tripoli* Ven. *Tripolis* Cusp. et Pith. sed *Triphylis* scribendum monuit Cam. ad Prisc. 406, ubi vide quæ adnotavimus: idque sequutus est Vad. recepit Huds.

Hinc sacer Alpheus flumen trahit, et vagus æquor
Influit Eurotas. Pisanos alter adulat,
Alter Amyclæas celeri secat agmine terras.
Insula qua curvas inclinat concava valles,

570. *Hinc sacer Alpheus flumen trahit.* Legendum videtur *Hic sacer Alpheus;* quia Dionysius, vs. 410: Ἔνθ' ἐρατεινότατος ποταμῶν Ἀλφειὸς ὁδεύει, et Prisc. 407: « per quam descendit flumine pulchro Alpheus ». Sic quoque *sacer* dicitur Senecæ, Thyest. v. 116. Omnes fluvii sacri et Deorum numero adscripti; unde Dionysio ἱερὸς Ἴστρος vs. 298, et ἱερὸς Ὦξος vs. 747. Sed *sacer* etiam vocari potuit propter ludos Olympicos (et hoc verum est). Vid. Heins. ad Ovid. Heroid. II, 114. Conf. Propert. II, 2, 63: « Mercurio et sanctis fertur Bœbeidos undis Virgineum Brimo composuisse latus ». Fortasse vulgata lectio servanda est et *Hinc* in progressu capiendum: Exinde fluit Alpheus; exinde Eurotas in mare influit. Schr. — Apertius, cur *sacer* Alpheus adpelletur, indicat Silius, XIV, 55: « Hic Arethusa suum piscoso fonte receptat Alpheon, sacræ portantem signa coronæ », nempe certaminis Olympici, quod ipsum *sacrum* dicebatur, et victores ἱερονίκαι, quin ipsa Elis, cujus fluvius Alpheus, ἱερὰ, ut refert Strabo, VIII, p. 548. W.

571. *Pisanos alter adulat.* Antea *adsulcat.* Ex Lucretio et vs. 338 *adulat* (i. e. lambit) reposuimus. Hudns. — Mihi unice probatur correctio *adulat*, pro *adsulcat*, quam primus fecit Barth. ad Stat. Theb. IX, 324, et post Barthium Heinsius, Hudson. et Withof. Specim. Gunth. p. 156. Schr. — *Alter adsulcat* scribunt Cusp. et Pith. quod metri ratio non admittit. Hinc, carmen ne claudicet, Camers ad Prisc. 410 legendum conjicit: « Influit Eurotas, Pisanos alter et agros, Alter Amyclæas celeri, etc. » Mox sibi ait magis placere *Pisanos alter adulcat*, detractione unius tantum literæ. Esset hoc pro *addulcat*, quod et ignotum aliis verbum, et hoc loco pariter adversatur metro. Hinc miror Vadianum hanc alteram emendationem recepisse. Denique addit, legi etiam posse *adundat*, ut v. 338. Quod sane præ aliis amplecterer, adeo commodum est et plane ad formam similium *adluit*, *adludit*, *adlambit*, comparatum; si quidem in uno alio scriptore inveniretur, aut paullo certius veteris codicis scriptura confirmatum esset. Sed recentiores Critici *adulat* jusserunt scribi: quorum mihi certior sententia videtur. Ideo recipiendum in textum putavi.

572. *Amycleæ* edidit Cuspinianus forte ex errore: nam cæteri omnes *Amyclæas.*

573-574. *Insula qua curvas.* Accuratius in his versatus est Dionys. v. 414 seq. et Prisc. v. 411 seq. Post hos versus secundum Dion. v. 416 memorandi erant Melas, Crathis, Iaon fluvii; sed Avienus eos prorsus omisit, qui subtiles rerum et nominum enarrationes, et quæ alia ornatum non capiunt, refugere aut dimittere solet. Schr. —*Insula qua curvas inclinat concava valles.* Parum accurate Avienus in-

Arcades immensum propter degunt Erymanthum.
Hic distentus aquas sata lambit pinguia Ladon.
Juxta Argivus ager, juxta sunt culta Laconum :
Illos prima dies, celer istos adspicit Auster.
Isthmi terga dehinc geminus circumlatrat æstus,
Parte Ephyres, piceas qua nox agit atra tenebras,
Et matutinus qua lucem proserit ortus.
Hic usu Graio nomen tenet unda Saronis.
Atticus hanc ultra limes jacet, Attica tellus

terpretatus videtur Dionys. v. 414: Καδδὲ μέσσην νῆσον κοίλην χθόνα ναιετάουσιν Ἀρκάδες. Nempe κοίλην χθόνα reddidit, μέσσην exprimere neglexit, quod præcipuum erat. Neque vero, si Cœlesyria nomen ab adjacentibus utrimque montibus accepit, propterea tota dici potest cavis vallibus constare. Rectius Priscian. v. 411: « Hic mediis habitant late telluris in arvis Arcades ».

575. *Hic distentus aquas. Aqua* A. et sic citat Burm. ad Ovid. Met. I, 702. Cf. Horat. Sat. II, 5, 40; Lact. Opif. D. 12, 17. Sed ut v. 566 « distenditur arva tellus », sic eodem græcismo hic, ut videtur, fluvius dicitur *distendi aquas*. Vellem tamen exemplum simile de fluvio. Schr.—Bene Paraphrastes, Dionysianum μηκύνεται ὕδασι explicans, διὰ τὸ μέγεθος, inquit, τοῦ ποταμοῦ εἶπε τὸ μηκύνεται. Wass.

577. *Illos prima dies, celer istos aspicit Auster.* Libens admitto distinctionem Hudsoni, ut elegantiorem, quum Auster etiam *celer* vocetur a Claud. Rapt. Pr. I, 92: « I, celeres proscinde Notos », ut Heins. ibi e codd. Dicitur autem *Auster celer istos adspicit*, pro *adspiciunt Austrum*, oratione inversa: et recto sensu v. 231: « Eminus ista Notum videt, Arctos eminus illa ». Schr. — Male distinguit Pith. *Illos prima dies celer, istos.* Melius Vad. cum Hudsono.

578. *Geminus circum latrat æstus.* Usum verbi latrare de illisis in litus vel scopulos fluctibus, inprimis ostendit Burm. ad Val. Flacc. I, 590. Schr. Exprimit hoc verbo Dionysii περιβρομέει. v. 420. Idem supra adhibebat versu 48. Similiter v. 149 dicit: « circumtonat unda »; et v. 182: « mugitum pelagi et gemitum ». W.

579. *Piceas qua nox agit atra tenebras.* Per *piceas tenebras* expressit Dionysii ποτὶ ζόφον. Geminum est v. 237: « Et qua prona dies atris involvitur umbris ». Schr.

581. *Hic usu Graio. Ritu* V. *risu* Ven. A. et Cusp. Heinsius inde *ritu* cum V. Sed vulgatum tueor. Rem decidat ipse Poeta, v. 59: « Mortuus hic Graio perhibetur gurges in usu », Idem Or. mar. 402: « Hunc usus olim dixit Oceanum vetus »: add. ib. v. 674: « quam vetus mos Græciæ Vocitavit Accion ». Schr. Adde versum 771: « Insula quæ prisci signatur nominis usu Aurea ». W. Pro *risu* melius *usu Graio* Pith. et Huds. quod usui Avieni congruum est.

582. Schraderus edere voluit *hunc ultra*, scil. Isthmum, quia Dionys.

Belligeratorum genitrix memoranda virorum.
Fertilis hæc herbis Ilissum subvehit amnem:
Ilissi Boreas stagno tulit Orithyiam.
Bœotumque dehinc sese confinia jungunt,
Et Locris, et patuli sulcator Thessalus agri,
Et Macetum præpingue solum; tumet arduus Hæmus,
Threiciumque caput subducitur: adjacet Hæmum
Partibus ab Zephyri Dodonæ vatis alumnus.

v. 423: Νέρθε γαμὴν ἰσθμοῖο · et Prisc. 425: « Attica sed tellus post isthmon solis ad ortum est ». Sed apud Avienum isthmi mentio remotior est, et verbosior descriptio, interveniente Saronide. Igitur ad hanc quasi proximam se retulit, quod perinde erat, scripsitque *Atticus hanc ultra.*

584. *Fertilis hæc herbis.* Vulg. *herbas Ilissum subvehit amnem.* Huds. — Anglus editor supposuit *herbis*; sed *herbas* dicitur, ut vs. 674, « glebamque ferax, et opima virentum »; versu 747: « pingues sola, cespitis amplæ ». Oudend. Obs. Misc. vol. V, p. 70. Ego legendum puto, partim cum Hudsono: « Fertilis hic herbis Ilissus subvehit amnem », inprimis, quia plane sic v. 1030, de Cilicia: « Pyramus hic undas, hic volvit Pinarus æquor ». Hac correctione admissa Avienus forte defendi poterit a nota Barthii, ad Stat. Theb. IV, 53, ubi de Ilisso: « Eadem licentia eo etiam provecti sunt, ut terram Atticam circa Ilissum, contra Senecæ et rei ipsius fidem, ausi sint fertilitatis commendare. Sane sic Avienus Periegesi Dionysii, vs. 582, 583, 584: *Attica tellus... Fertilis hæc herbis*, etc. » Sed tamen et vs. 1218 legitur: « Attica qua pulchro tellus pinguescit Ilisso ». Ilissi nomen modo producta, modo correpta syllaba, usurpatum Barthius eodem loco solitæ poetarum in nominibus propriis licentiæ adsignat. W. — *Fertilis hæc herbas* Cusp. et Pith. *herbis* Vad. — Pro *Ilissum* Cusp. vitiose *illisum amnem*, et v. seq. *Illisl.*

585. Legendum *Orithyian*, et sic etiam corrigendum Priscianum, v. 426, monet Schrad. Ilissum rapta Orithyia celebrem similiter memorat Stat. Theb. XII, 630: « raptæ qui conscius Orithyiæ Celavit Geticos ripis Ilissus amores ».

587. *Patulis sulcator Thessalus agris* ediderunt Cusp. et Vad. *patuli agri* Pitb. et Huds. quod priori præferendum videtur. Ad illustrandum *sulcator* Schrad. addidit Prudent. contra Symm. II, 939: « Respice, num Libyci desistat ruris arator... Numne Leontini sulcator solvere campi Cesset frugiferas Lilybæo ex litore cymbas ».

588. *Et Macetum præpingue. Macedum* A. frequens hic error. Vid. Heins. ad Claudian. Ruf. II, 279. *Præpingue solum* forte ductum est e Virg. Æn. III, 698. Schr.—*Macedum perpingue* Cusp. et Vad. *Macetum præpingue* Pitb. et Huds. *Hæmus* et *Hæmum* scribunt Cusp. Vadian. Pith. *Æmus* Huds.

589. *Caput subducitur.* Cf. v. 99.

590. *Dodonæ vatis alumnus:* sic

Axe Noti rigidas subter rupes Aracynthi
Gens Ætola colit; campis ibi pulcher apertis
Labitur, et virides sulcans terras Achelous
Irruit Hadriaci tergum maris; hicque frequentes
Fluctibus adtolluntur Echinades: haud procul inde
Prisca Cephallenæ consurgunt oppida terræ.
Delphica quin etiam miscet confinia Phocis,
Lucis in exortum protentior; inque Booten
Thermopylæ cedunt. Hic se Parnassia rupes

omnes habent editi, nisi quod Vad. *Dodone* scripsit: quod etiam ingenio repererunt Higtius et Schrad. cætera variis conjecturis tentantes, quæ in notis Schraderi referuntur, et quibus ipsi sibi parum effecisse ad elucidandum hunc locum visi sunt. Etenim si vel *Dodone alumna vatis*, vel *patris*, vel *Dodonæ alumnus* nescio quis, *mitis*, *vastus*, *dives* pro *vatis* dicatur, hactenus parum inde lucis accedit. Mihi servanda videtur vulgata lectio, intelligenda vero de monte Tomaro, in quo Dodona. — Vid. Excursus V ad calcem hujus carminis. Ed.

591. *Axe Noti tritas subter*. Pro *tritas* ego recipiam *rigidas*, quod Ambr. offert. Accedunt literarum compendia in aliis, et firmat lectionem usus Avieni, ut vs. 428 : « Nec procul hinc rigidis insurgunt rupibus Alpes ». Et v. 783 : « rigidi juga maxima montis Nubibus adtollunt rupes, et terga tumescunt ». Vs. 208 : « rigidas errare ferunt per marmora cautes »; et conferatur vs. 1333. Sic etiam *rigere* v. 810. Schr.—*Axe Noti tritas subter* : sic male Pith. et Huds. *rigidas subter* Cusp. et Vad. dederunt, recte.

592. *Campis apertis Labitur*, ut *per aperta locorum* v. 281, 1182, et *per plana* Prisc. v. 634. W. — Oddius tentavit *ubi pulcher*, quod improbat Schrad. atque *ibi* firmat vs. 801 : « Icarus... consurgit, namque Sabæi Turis ibi semper, etc. » Cuspinianus tamen *ubi pulcher* exhibuit, neque id mihi improbandum videtur.

593. *Virides sulcans terras Achelous*. Sic Virgil. Georg. IV, 291, « viridem Ægyptum » propter Nilum adpellat. Conf. Heins. ad Val. Flacc. V, 486. Schr.

594. Oddius : Forsan *hincque frequentes*; et Heinsius *hisque* legit. Sed *hicque* Schraderus ait frequens Poetæ esse, et cum *adtolluntur* comparat versum 712 : « Nec minus adtolluntur Ionides insulæ ab alto ».

596. *Cephallenæ terræ*. Priscian. v. 449 : « Regna Cephallenæ prope sunt sapientis Ulyssi ». Conf. Wass. ad Thucyd. p. 670; Bondam, Var. Lect. p. 328. Schr.

599. *Thermopile cædunt* Cuspin. mendose : reliqui *Thermopylæ cedunt*. — *Parnassia rupes*. Duplex invenitur scriptura *Parnassus* et *Parnasus*. Hanc probat Heins. Virgil. Ecl. X, 11, Georg. II, 18; Drak. ad Liv. XLII, 16, 1. Utrumque scribi vult Spanhem. ad Callim. in Del. v. 93. Schr.

Erigit: hic celeri Cephissus volvitur unda:
Hic quondam Python transactus arundine membra,
Sanguinis et cassus prolixa volumina solvit.
Illic sæpe Deum conspeximus adridentem,
Inter turicremas hic Phœbum vidimus aras.

Nunc ut quæque vago surrexerit insula ponto,
Ordine quo steterint pelago circumflua saxa,
Expediam. Cymbæ ducatur cursus ab unda

600. *Cephissus volvitur.* Variare Græcos in scriptura hujus nominis, monet Heins. ad Ovid. Met. III, 343. De fluvio ipso Palmer. Gr. ant. p. 682. SCHR. — *Cephysius evolvitur* Ven. Cusp. contra metrum. Pith. et reliqui *Cephissus volvitur.*

601. *Phython* Cusp. et Vad. — *Transactus arundine. Tractus* A. unde *trajectus* fieri potest. Sed nihil mutandum. Lucan. IX, 824: « Perque caput Paulli, transactaque tempora fugit »; v. 828: « Quid prodest miseri Basiliscus cuspide Murri Transactus ». Cf. III, 586. *Pithon* genere mascul. apud Senec. Herc. OEt. 92, Medea, 700, Herc. fur. 455; Lucan. V, 79, VIII, 148. Alias *anguis* feminino sæpe usurpatur, ut docet Heins. ad Ovid. Met. IV, 494. SCHR.

602. *Sanguinis et casu prolixa* solus Vad. habet.

603. *Hic et* pro *Illic* notavit vir doctus in marg. Trogn. Sed et aliis locis *illic* et *hic* continuare Avienus, vel promiscue ponere solet. Conf. vs. 478 seq. Cæterum videtur Avienus hunc versum ad formulam Virgilii composuisse, Ecl. I, 43: « Hic illum vidi juvenem, Melibœe, quotannis Bis senos cui nostra dies altaria fumant ».

604. *Inter turicremas hic Phœbum.* Clare hæc synonyma docent ethnicum fuisse Avienum, forte Macrobii amicum. SCHRAD. — Macrobii amico antiquiorem esse Nostrum, ostendo in Prœm. Non solum ethnicum se hoc loco profitetur, sed et commoratum aliquando in Græcia, et quidem eo tempore, quo nondum eversa Deorum templa erant, hoc est, ante Theodosii tempora, ut qui se Apollinem Delphicum inter aras veneratum esse significet. Ad *turicremas aras* confer v. 519 et 802: « Icaros ignicomo Soli sacra, namque Sabæi Turis ibi semper vaga fumum nubila volvunt ». W.

605. *Nunc ut quæque. Nunc age ...: expediam* formula transitionis est, poetis frequens. Vide Virgil. Georg. IV, 150, Æn. VI, 759, VII, 40, XI, 315; Lucret. VI, 1087. SCHR. Et verbo *expediam* hoc modo sæpius utitur Noster, ut v. 359, 1331. W.

607. *Cymbæ ducatur cursus ab unda. Ab unda* Ven. Ambr. et V. *ad undam* Pith. Sed hoc est sana corrumpere. Ubique fere Dionysius, et Dionysium sequutus Avienus ab Occidente incipit, ut v. 472: « Hic rursum occiduis Europam fabor ab

Gurgitis occidui : precor, adspirate, Camenæ,
Inter et oppositas intendite lintea terras.
Gadir prima fretum solida supereminet arce,
Adtollitque caput geminis inserta columnis.
Hæc Cotinussa prius fuerat sub nomine prisco,
Tartessumque dehinc Tyrii dixere coloni;

oris »; et conf. v. 265, 394 et 395. Schr. — *Cursus ab unda* exhibet Cusp. cum Vad.

609. *Intendite linten terras. Linea* Ven. Pith. *lintea* Trogn. Madr. Huds. (Vid. Obs. Schrad. p. 49.) Sic etiam correxerunt Vlit. ad Grat. 35; Wasse ad Sall. Fragm. p. 263; Heins. ad h. l. Schr.

610. *Super eminet* divisum scribit Pith. sed conjunctam scripturam *supereminet*, quæ in reliquis est, probat Schrad. collatis Virg. Æn. VI, 857, X, 765; Ovid. Trist. I, 2, 49.

611. *Geminis inserta columnis*, media inter duas columnas jacet. Prisc. v. 462: « statuas hæc Herculis inter A Tyriis colitur ». Nempe columnas Herculis intelligit, quas Avienus solet simpliciter *columnas* adpellare. Vid. v. 277 et 414. W.

612. *Hæc Cotinussa prius. Cotynusa* A. Κοτινοῦσα Dionys. v. 455. Tzetz. Chil. VIII, 688; Prisc. v. 463: et hanc scripturam in conjecturis præferebat Hudsonus. Sed alio nos ducit analogia; quippe Κοτινοῦσα contractum est ex Κοτινόεσσα, ἀπὸ τῶν κοτίνων, ut Ἐρικοῦσσα, Πιτυοῦσσα, ex Ἐρικόεσσα, Πιτυόεσσα. Vide Salm. ad Solin. p. 68, a. G. Hanc etiam scripturam codices optimi servare solent. Sic *Pharmacussa* in Suet. Jul. 4; *Arginussa*, Cic. Off. I, 24. Hinc in Or. mar. v. 148 secure legas: *Ophiussam ad usque*, pro *Ophiusam*, quod habent Ven. et Pith. De Cotinussa Plin. lib. IV, 22, s. 36: « Majorem (Gadium) insulam Timæus Cotinussam apud eos vocatam ait »: ubi bene *ab oleis*, pro *apud eos*, vel *a poteis*, legendum vidit Voss. ad Mel. p. 781 Gron. Add. schol. ad Arist. Plut. v. 586. Schr.—*Sub nomine prisco*. Sic in Or. mar. v. 682: « Arelatus illic civitas adtollitur, Theline vocata sub priore sæculo, Graio incolente ». Schr.. Vocula *sub* apud Nostrum sæpe solet παρέλκειν. Vide not. ad v. 81 et 175. W.—*Cotinussa* scribunt Cusp. Vad. Pith. Huds.

613. *Tartessumque dehinc Tyrii dixere coloni.* Additamentum Avieni. Simile huic Or. mar. v. 85: « Hic Gaddir urbs est, dicta Tartessus prius »; v. 267: « Gaddir hic est oppidum: Nam Punicorum lingua conseptum locum Gaddir vocabat: ipsa Tartessus prius Cognominata est ». Add. Plin. IV, 22: « Majorem Timæus Cotinussam apud eos vocatam ait: nostri Tartesson adpellant, Pœni Gadir, ita Punica lingua sepem significante ». Sallust. fragm. Hist. II apud Prisc. « Tartessum Hispaniæ civitatem, quam nunc Tyrii mutato nomine Gaddir habent ». Sed errant. Vid. Bochart. G. S. p. 608. (Chan. lib. I, c. 34.) Schr.— *Tyrii dixere coloni*, possis e Virgilio ductum credere, Æn. I, vs. 12.

Barbara quin etiam Gades hanc lingua frequentat,
Pœnus quippe locum Gaddir vocat undique septum
Aggere præducto. Tyrii per inhospita late
Æquora provecti, tenuere ut cespitis oram,
Constituere domus; dant hi quoque maxima templa

614. *Barbara lingua* non diversa a *Tyria;* sed synonyma cumulantur. Dionysius omnia solis Phœnicibus tribuit. Pro *Gades* requiritur integrum *Gaddir*, ut Or. mar. 267. Cf. Carrion. ad Sall. p. 50. Schr. — *Gades hanc* scribunt Cusp. Vad. Pith. sed Hudsonus, nescio unde, *Gadir* edidit. Ego vero malim retinere *Gades*, quia hoc vulgatum et Romanum vocabulum, quod origine barbarum, et ex Gaddir formatum esse, versu demum sequente indicat.

615. *Vocat undique septum*. Varie scribitur verbum *sepio* et nomen *sepes*, nam alii solent *sæpio* et *sæpes*. Neutram scripturam damno: secundam præfero, quia sic sæpius in codice Virgilii Mediceo. Schr. — Burmann. ad Copam, vs. 28, pro « Nunc etiam in gelida sede lacerta latet » vult *sepe:* quod probabat Oudend. ad Calp. III, 95, corrigens: « vel propius latitans vicina sepe sub horti ». Hanc tamen emendationem Wernsd. refutat hujus op. tom. I, p. 445. Scribitur a nonnullis *sæpes*, probante Pierio ad Virg. Ecl. I, 54, propter adverbium *sæpe* ejusdem, ut ait, originis: quem sequitur Norisius ad Cenot. Pisan. p. 485. Sed id confusioni nonnumquam ansam præbuit. Hinc male Davis. ad Cic. de Div. lib. I, cap. 7: « adaugescit (ventus) scopulorum sæpe repulsus » voluit reponere *repulsu*, non cogitans *sæpe* esse substantivum: nam ventus *repulsus* dicitur *scopulis*, ut apud Vitruvium, lib. I, 6: « Venti ad angulos frangantur, repulsique dissipentur ». Et Lucan. IX, 450: « scopulisque repulsus ». Nos vero, ut errorem quam maxime prævitemus, *sepes* et *sepire* scribere decrevimus. Ed. — *Gadir* scribunt omnes antiquæ, item Huds. Hic tamen alios *Gaddir* malle observat, et Salmasium citat in Exerc. Plin. pag. 202. Idem Schraderus requirit.

616. *Aggere præducto*. Sil. Ital. X, 411: « fossas instant præducere muris ». Schr.

617. *Æquora provecti*. Non probo conjecturam Hudsoni: *provecti tenuere, et cespitis ora Constituere domus*. Nulla enim mutandi ratio sine MSS, neque in ora tantum domus statutæ. Tueor quoque scripturam *domus*, quia sic et v. 1064: « Mutavere domus »: neque aliter in Livii codd. inventum. Vid. Drak. ad III, 29, 5. Schr.—Antiqui Cusp. Vad. Pith. ediderunt *provecti tenuere ut cespitis oram*, quod quibusdam mendosum visum est. Viri docti manus in marg. exempli mei edit. Cusp. emendavit *tenuere hanc cespitis oram*. Ego tuendam antiquam lectionem arbitror, facta post *provecti* et *oram* distinctione, hoc sensu: Tyrii late provecti per æquora, postquam oram istam maritimam occupaverunt, hac etiam in insula constituere domus.

618. *Domus* edidit Pith. et Huds.

Amphitryoniadæ, numenque verentur alumnum.
Insula se propter Gymnesia tollit ab alto,
Ac dilecta vago pecori consurgit Ebusus,

domos Cusp. et Vad. Prius defendit Schrad. quia sic et v. 1064. Atque ibi Cuspin. et Vad. quoque tenent *domus*. — *Dant hi quoque maxima. Dant* præsens pro præt. perf. posuit. Imitatur Virg. Æn. IX, 266: « Cratera antiquum, quem dat Sidonia Dido ». Georg. I, 279: « tum partu Terra nefando Cœumque Iapetumque creat, sævumque Typhœa ». Avienus supra vs. 492: « Cyllenæ finibus olim Quæ petit Hesperii freta gurgitis ». *Dare templa* sæpe dixit Ovidius in Fastis. Schr.

619. *Numenque verentur alumnum.* Pro eo Heins. ad Ovid. Met. IV, 421, conjecit « et numen venerantur alumnum ». Sed *vereri Deos* quum apud alios reperias, tum apud Ciceronem et Livium. Vid. Drak. ad Liv. V, 28, 4. Schr. — Singularem templo Herculis apud Gaditanos reverentiam et religionem fuisse indicat Silius, III, vs. 30: « Sed nulla effigies simulacraque nota Deorum: Majestate locum et sacro implevere timore ». W.

620. *Insula se propter.* Avienus ordinem invertit, et Gymnesiam ante Ebusum nominat. Rectius Manil. IV, 637: « primamque intrantis in Orbem Oceani victricem Ebusum, et Balearica regna ». Confer Hill. Schr. — *Gymnesin.* Dionysio et Prisciano sunt Gymnesiæ. Pariter, ut hic, Avienus in Or. marit. 467: « Post hæc per undas insula est Gymnesia, Populo incolarum quæ vetus nomen dedit, etc. » sequutus Veteres, quos reprehendit Steph. Byz. Γυμνησίαι, δύο νῆσοι περὶ τὴν Τυρσηνίδα· οὐχ' ὡς τινες, μία. Attamen etiam Strabo, lib. II, p. 184 de insulis, οὐ πολλαί, ὧν εἰσὶν ἥ τε Γυμνησία καὶ Ἔβυσος, nisi ibi legendum sit αἵ τε Γυμνησίαι, ut lib. III, pag. 240: Αἵ τε Γυμνησίαι νῆσοι προκείμεναι πλησίον, καὶ ἡ Ἔβυσος, ἀξιόλογοι νῆσοι. Schr. — Diversas Geographorum veterum sententias de nomine, numero, situ Gymnesiarum vel Balearium insularum exposui in Exercit. de Antt. Bal. c. 1, § 1, 2 sq. W. — *Gymnesia.* Baleares duas olim Gymnesias dictas fuisse Geographi memorant, ἀπὸ τῆς γυμνότητος, i. e. a nuditate, quod incolæ nudi aliquandiu vitam egisse dicantur. Baleares autem ἀπὸ τοῦ βάλλειν, i. e. a jaculando. Ed.

621. *Ac dilecta vago pecori consurgit Ebusus.* Hæc probantur Veterum testimoniis apud Bochart. Chan. I, cap. 35. Schr. — Adducit quidem Bochartus plura Veterum loca, quibus natura Ebusi describitur, illud vero, quod Avienus hoc loco de ea insula prædicat, multa aluisse pecora, et bona pascua habuisse, diserto alius scriptoris testimonio noudum adprobatum legi. Potest tamen huc trahi Diodori Sic. locus, lib. V, p. 297, ed. Rhod. ubi ait, in proventibus insulæ maxime commendari lanam, propter insignem ejus mollitiem. Unde oves Ebusi maxime laudatas fuisse adparet, quas et Avienus sub *vagi pecoris* nomine præcipue intelligit. Nam oves et capellæ poetis dici solent *vagæ* et *errantes*. Virgil. Cul. v. 47,

Sardiniæque arces, et inhorrens Corsica silvis :
Æolidesque dehinc tumidis se fluctibus edunt
Insulæ, et inserto canescunt undique ponto.

103 ; Calpurn. V, 5, 15. W. — *Consurgit Ebusus.* Pariter Priscian. vs. 465 : « hinc frangitur æquor Ebuso ». Invenerunt ergo in suo codice apud Dionysium, vs. 457 : ἄγχι δ' Ἐβοῦσος. Infeliciter autem Casaub. ad Strab. II, p. 154 defendit καὶ Βοῦσος. Schn.

622. *Sardiniæque arces.* Recte. Sic et describitur Sardinia a Claudiano, Bell. Gild. vs. 511 : « quæ respicit Arcton, Immitis, scopulosa, procax, subitisque sonora Fluctibus : Insanos infamat navita montes ». Is autem *Insanos montes* vocat nomine proprio. Vid. Liv. XXX, 39 ; Florus, II, 35. Τὰ μαινόμενα ὄρη etiam Ptolemæo, III, 3. Schn. — Omnino montes in Sardinia conspicuos respicit Avienus, ubi ejus *arces* nominat. Nam arces loca quælibet edita, τὰ ἄκρα. Hinc Virgilius *Rhipæas* et *Rhodopeias arces* dicit Georg. I, 240, IV, 461 ; Gratius *Ætnæus* v. 524. Ob eamdem caussam insulas alias adpellare Noster arces solet. Vid. v. 630, 655, 661. Cæterum, qui sint Insani montes Sardiniæ, et cur ita dicantur, apud neminem se legisse fatetur Glareanus ad Liv. l. c. Ego suspicor hanc rationem nominis esse, quod in iis montibus apiastrum venenatum, sive Sardoa herba nasceretur, quæ insanos reddere homines, et risu immodico enecare credebatur. Vid. Serenus Sam. v. 431. Similiter ora quædam Ponti Euxini, Δάφνη μαινομένη, a lauro insana nomen habuit, quam ab Ausonio, Carm. de Ostr. vs. 39 « insanam Propontidis actam » dici notavi ad eum locum (huj. op. tom. I, p. 286 sq. Ed.) W.—*Et inhorrens Corsica silvis.* Adposite Theophr. Hist. Plantarum, V, 9, et Diodorus Sicul. lib. V, pag. 295 : ἡ δ' ὅλη νῆσος εὐμεγέθης οὖσα, πολλὴν τῆς χώρας ὀρεινὴν ἔχει, πεπυκασμένην δρυμοῖς συνεχέσι. Talis etiamnum est. Vid. Boswell. p. 24. Schn. — Montes Corsicæ memorat Rutil. I, 431, quibuscum silvæ conjunctæ. *Inhorrens' silvis* dixit, ut Virgilius, Georg. I, 314, « messis inhorruit », et Æn. III, 23, « hastilibus horrida myrtus » ; et ipse Noster, v. 1037 : « Horrescitque comis nemorum ». Nempe *horrere* poetis omnia dicuntur, quæ dense succrescunt, vel eriguntur. W.

623. *Æolidesque ..: Insulæ.* Hoc singulare, ut notat Huds. ad Dion. 461, pro *Æoliæ;* nihil tamen muto. Justinus, IV, 1, 11, citatus ab Hudsono : « Accedunt vicini et perpetui Ætnæ montis ignes, et insularum Æolidum, veluti ipsis undis alatur incendium ». Diod. Sic. V, 7 : Μεταβιβάσομεν τὸν λόγον ἐπὶ τὰς ὀνομαζομένας Αἰολίδας· et V, 12 : ἐπεὶ τὰ περὶ τὰς Αἰολίδας νήσους διήλθομεν. Schn. — De permutatione horum nominum jam dixi ad Priscianum, vs. 475. W. — *Æolidesque* dedit Cusp. Pith. Huds. *Æoliæque* legere jussit Camers ad Prisc. 475, cumque sequutus est Vad. quia Æoliarum et Æolidum insularum discrimen norant. Sed tamen ipsum Avienum sic scripsisse, nondum liquet, quia discrimen illud nominum Veteres non perpetuo observasse certum est. Vid. not. ad Prisc. v. 475.

624. *Inserta canescunt undique*

Has dudum tenuit rex Æolus: Æolus illic
Hospita jactatis indulsit litora nautis,
Æolus imperio summi Jovis arbiter alto
Impositus pelago est, effundere carcere ventos

ponto. Sic v. 32: « Mæotida Tethyn Intrat (Tanais) et inserto freta pellit vasta fluento »; v. 1160: « Dividit (Euphrates) inserto mediam Babylona fluento ». Ad *canescunt* cf. vs. 1379: « Ima jugi exstantis vestigia gurgite canent ». Schr. — Addi possunt vs. 104 et 144. Significat iis verbis Avienus, insulas Æolias interfuso mari et interjectis æstuariis circum circa adlui, ut naturam earum, propter quam Πλωταὶ adpellatæ, et adjectam rationem Dionysii, v. 466, exprimat, Οὕνεκα μέσσον ἔχουσι περίπλοον ἀμφιέλικτον. W.

625. *Has dudum tenuit rex Æolus.* Naso, Metam. XIV, 223: « Æolon ille refert Tusco regnare profundo, Æolon Hippotaden cohibentem carcere ventos ». Aliorum poetarum loca paullo post adducimus. W.

626. *Hospita jactatis indulsit litora nautis. Jactatis*, ut supra de Cadmo et Harmonia, v. 542: « nam longo jactati sæpius orbe », ad exemplum Virgilii, Æn. I, 3: « multum ille et terris jactatus et alto ». Describit autem hoc versu Avienus hospitalitatem Æoli, ut Dionysii φιλοξείνου βασιλῆος, et Homeri, Odyss. X, vs. 14, exprimat, qua *nautis* advenientibus *indulsit*, concessit, aperuit *litora* sua ad escendendum. Et utitur iis verbis, quibus apud poetas advenæ solent, hospitium petentes. Apud Virg. Æn. VII, 229, Ilioneus: « Dis sedem exiguam patriis litusque rogamus Innocuum »; et apud Val. Flacc. IV, 736, Echion ad regem Lycum « Dicta ferens: lectos fama est si nominis umquam Hæmonii subiisse viros, det litora fessis ». Contra Noster de insulis quibusdam inaccessis dicit vs. 808: « Horum aliæ duris reserant vix litora nautis ». W. — *Indulsit litora nautis* habet Venet. et Pith. recte omnino. Cuspinianus, nescio utrum aberrans, an consulto, edidit *inclusit litora nautis*, quod non capiens Camers ad Prisc. 475, scribi jussit *inclusit lintea nautis*, per synecdochen, inquit, i. e. naves, atque hujus auctoritatem temere sequutus est Vad. et duram poetæ locutionem obtrusit, etsi salva ejus sententia. Plenior adsertio receptæ lectionis ex justa interpretatione petenda est, quam priore hujus notæ parte dedi.

627. *Æolus imperio summi Jovis.* Potestatem ventorum Æolo a Jove concessam prædicant poetæ secundum Homerum, Odyss. X, 21 seq. Virgil. Æn. I, 65: « Æole, namque tibi Divum pater atque hominum rex Et mulcere dedit fluctus, et tollere vento ». Item Val. Flacc. I, 591: « Intonuit donec pavidis ex æthere ventis Omnipotens, regemque dedit, quem jussa vereri Sæva cohors ». Addendus Silius, IX, 492. Quibus de caussis Æoliis insulis carcerem ventorum, et Æolo eorum imperium adtribuerint poetæ, de ea re disputant Riccius, Dissert. Hom. LII, et Heyn. V. C. Exc. I ad Æn. I, t. II, p. 130, novæ edit. W.

628. *Effundere carcere ventos.*

Et sedare salum. Septem sese æquoris æstu
Emergunt arces, septem quas æquoris æstu

Forte legendum « et fundere carcere ventos, Et sedare salum ». Nam alibi quoque Avienus et venuste repetebat. Sic vs. 550 : « Et motantur humo, et coeunt sibi vertice saxa » ; vs. 307 : « Jugera... Et grege nuda jacent, et sunt cultoribus urba ». Ipse Virgilius hac in re eamdem repetitionem habet lib. I, vs. 62 : « regemque dedit, qui fœdere certo, Et premere, et laxas sciret dare jussus habenas ». SCHR.

630. *Septem sese Emergunt arces.* Alias quidem Poeta *arces* vocare quascumque insulas solet, propter eminentes montes et scopulos, ut ad vs. 622 jam notavimus, sicut et *saxa*, ut vs. 606, 666 ; sed hic usurpare illud vocabulum de Æoliis videtur, cum significatione regni, sedis vel aulæ Æoli, quemadmodum Virgil. Æn. I, 56, dicit : « celsa sedet Æolus arce ». W. — *Emergunt arces sese æquoris æstu * * Hic habuit.* Verba illa *sese æquoris æstu* male hoc loco ponuntur. Desunt nonnulla hisce similia : « incudem Mulciber olim Hic habuit ». HUDS. — Vix probabile, quia Dionysius nihil simile habet. Deinde æque commoda Vulcani mansio in Sicilià, ubi Ætna, aut ad Lemnum. Favere tamen videtur *habuit*. Probabilius esset : « Septem sese æquoris æstu Emergunt arces Plotæ cognomine : sedem Hanc habuit ». Ovid. Metam. V, 496 : « hos nunc Arethusa penates, Hanc habeo sedem ». Plotas memorat Dionysius, et caussam nominis addit vs. 465, 466 ; memorat etiam Priscianus, vs. 476 : « Quas septem numero perhibent, cognomine Plotas : Quippe viam ratibus pelagò dant undique vasto ». SCHR. — Mihi videtur Avienus nomen *Æolus*, quod mendoso *æquoris* simile est, pro more suo repetiisse, atque ex imitatione Virgilii, quem totus hic locus respicit, scripsisse : « celsam rex Æolus aulam Hic habuit ». Suggerunt hanc emendationem loca Virgilii, Æn. I, 56 : « celsa sedet Æolus arce » ; et vs. 140 : « illa se jactet in aula » ; alia ipsius Avieni loca, in quibus *aulæ* voce ad designandam regis sedem utitur, ut vs. 664 : « Hanc super est tellus Ithaci vetus aula tyranni » ; v. 1200 : « stat maxima Beli Aula » ; v. 1217 : « Hæc quum Pandionis letum componeret aulæ ». Maxime autem versus 955 huic loco plane similis et adpositus : « Hanc urbem quondam, magni Jovis ardor, Asopi Virgo... Aulam habuit ». WD. — *Emergunt arces, sese æquoris æstu * **. Sic mutilatum et repetitis inaniter vocibus deformem versum exhibent Ven. et Pith. Lacunam utcumque explere conati sunt Cuspin. et Vad. « Emergunt arces, septem quas æquoris æstu Hic habuit » ; nempe *Hic Æolus*. Quæ lectio utique tolerari, et conformis Dionysio haberi potest, siquidem ille post Æolum ter nominatum versu 465 subjicit : Ἑπτὰ δέ οἱ ταί γ' εἰσιν, *Septem autem ei* (Æolo) *illæ sunt.* Et si constaret, esse eam e bono codice haustam, nihil amplius requirerem. Interim hanc lectionem, utpote duobus editoribus probatam, nec incommodam, ipse recepi. Sed recentiores varie correxerunt, quos vide supra.

Hic habuit. Tunc Ausoniam se pandit in oram
Tellus Trinacria et patulo distenditur agro.
Hæc autem trinis laterum procursibus adstat,
Ternaque cæruleis longe juga porrigit undis.
In matutinos Pachynus producitur ortus:
Pars tepet a Zephyro Lilybeia: celsa Peloris
Tota sereniferæ pulsatur flatibus Ursæ.
Hic iter infidum pelagi, miserandaque fata

631. *Se pandit in oram* vitiose expressit Cuspinian. Unde Camers ad Prisc. 478 scribi jussit *pandit in oram*, quod verum est, et a reliquis receptum. Cæterum Pithœus hoc versu perperam interpungit post *tunc*.

632. *Tellus Trinacria. Trinacriæ* A. quod probat Schrader. adlegans Prisc. vs. 466: « Sardiniæ tellus »; v. 521: « Ithaces tellus »; ipsumque Avienum, v. 664: « Tellus Ithacæ »; et v. 679: « Fertilis Æginæ tellus ». Ego nil muto, nam sic et supra Noster, v. 414, *tellus Europa*; ubi et alia exempla adducta vide.

633. *Trinis laterum procursibus. Laterum actus* de eadem Sicilia dicit Prisc. 479, et cf. sup. v. 473. W. — *Adstat*. Sic vs. 318: « Adstat Cyrene propter vetus »; et vs. 376: « Templa Sinopæi Jovis adstant ». Ed.

634. Schraderus emendat *Trinaque*, quia præcedit *trinis*, et Avienus vocum repetitione delectatur. *Trinus* amplius apud eum occurrit vs. 473, 831, et apud Ovid. Calpurn. et alios. Per *juga* intelligit promontoria, ut vs. 233, secundum emendationem nostram.

635. *Pachynos* scribunt Cuspin. Vad. Pith. *Pachynas* Huds. eamque scripturam e cod. A. probat Schr. Conf. ad vs. 129.

636. *Pars tepet a Zephyro*. Iligtii conjectura est: « Arx tepet a Zephyro Lilybeia ». Fortasse *pars* sic non ponitur; vs. 371 regio *pars* vocatur: hic alia ratio. *Arx* contra sæpe ita ponitur; v. 186, 684, 957, Or. mar. 314. Sed tamen, an *Arx* in nominativo sic ponitur? Dubito, et hoc me retinet. Cæterum probo lectionem A. *ab Zephyro*, quæ firmari potest collatis vs. 511, 590, 868. Aliter tamen Ovid. Fast. II, 148, nulla variatione notata. Schr. Vad. hic aliter distinguit ac legit: « Pars tepet a Zephyro Lilybeia celsa, Pelori Tota sereniferæ ». — *Celsa Peloris*. D'Orvillius in Sicul. p. 4: « Pelorus humilis admodum e longinquo venientibus adparet, nec nisi post arenosum aliquot M. P. tractum revera surgit »: quomodo capiendus Silius, lib. XIV, v. 78: « Celsus arenosa tollit se mole Pelorus ». Schr. — Et sane *Pelorus* frequentissima poetis forma est, hic tamen Avienus Dionysium secutus est. *Peloriaden* aliquando dicit Ovid. Fast. IV, 479.

637. *Sereniferæ pulsatur flatibus Ursæ*. Sic plane Gratius, Cyneg. v. 55: « Illa vel ad flatus Helices oppande serenæ ». W.

638. *Hic iter* omnes præter Venetam, quæ *Hinc inter*, unde rectius facias *Hinc iter*, nempe a Peloro. Schraderus hic adfirmat, utrumque

Involvere salo fluctuque hausere voraci
Sæpe rates. Urgent angustæ marmora fauces,
Arctaque præcipitant properum confinia pontum.
Qua se parte dehinc celsæ Notus erigit æthræ,
Vis late Libyci furit æquoris. Una ibi Syrtis;
Ast aliam ulterius freta prolabentia tendunt,

ferri posse, *pelagi* et *pelago*: neque tamen variare editiones observavi. Pro *fata* Schraderus aliquando tentavit *saxa*, ut in schedis ejus reperi, quod fortasse in animo haberet *saxa Scyllæa*, poetis memorata. Sed recte hoc repudiavit. *Sortem*, *fata* et ejusmodi alia vocabula, de periculis, quibus nautæ subito implicantur, usurpari solere, notavi ad vs. 300: et *miseranda* inprimis *fata* habebantur eorum, qui mari et naufragio perirent. Vid. Ovid. Trist. I, 2, 51 seqq. Virg. Æneid. I, 92.

639. *Involvere salo, fluctuque hausere voraci.* Iisdem fere verbis utitur v. 791, de balænis: « ipsas absorbent fauce carinas, Involvuntque simul mox monstra vorantia nantes ». W.

640. *Urgent angustæ marmora fauces, Arctaque præcipitant.* Ita ille locus castigandus; male *surgent* et *Arctam*, pro *urgent* et *arctaque* nunc circumfertur. De Hellesponto idem Avienus, v. 692: « Sestus ubi atque Abydus parvo sale discernuntur, Et vicina sibi lambit confinia pontus ». Pari modo *rumpere confinia* Priscian. in Perieg. v. 35: « Separat hic Libyen, Asiæ confinia rumpens ». Heins. ad Ovid. Met. XIV, 7. *Urgent* etiam conjecerat Ortelius. Similiter Rutil. I, 406: « Qua fluctus domitos arduus urget apex ». Luc. I, 406: « portus Urget rupe cava pelagus ». Schr. — *Surgent angustæ marmora fauces* Cusp. et Pith. Hinc Camers ad Prisc. 478 correxit *surgunt angustæ marmore fauces: Arctaque præcipitant.* A quo paullum abit Vad. et scribit *surgunt angustæ marmora faucis*, quod sane probabilius. Sed multo melius ex antiqua Ven. et Pith. lectione Doctissimus Heinsius ad Ovid. eruit *urgent angustæ marmora fauces*.

641. *Arctam præcipitant* habuerunt Ven. Cusp. Pith. recentiores *Arctaque* substituerunt, nescio an ductu Camertis vel Vadiani, qui dudum sic correxerunt.

642. *Celsæ Notus erigit æthræ*, dederunt Cusp. et Pith. Sed contra Vadianus *pressæ Notus erigit æthræ*, haud dubie existimans, quum pars cæli australis alias dicatur depressa, borealis erecta, male hic Notum *celsæ æthræ* tribui. Sed erravit. Nam *celsam æthram* Avienus dicit, qua Notus spirat, quia mediam intelligit, qua Sol est altissimus. Vid. adnot. ad v. 89.

644. *Ast aliam ulterius freta prolabentia tendunt.* Fortasse melius legas *pandunt*, vel *tundunt*, pro *tendunt.* Notandus autem Avienus, e cujus verbis nemo non conficeret, Syrtim minorem esse magis orientalem majore: quum tamen contrarium verum sit. Dion. quem sequitur, vacat culpa, nam minorem vocat ἑσπερίην. Schr. Mea sententia

Parvaque cæruleo circumsonat æquore Meninx.
Rursus in Hadriacam lembum cogentibus undam,
Et lævum curva pelagus sulcantibus alno,

ipse Dionysius vs. 477-479 perverse loquutus est, qui Syrtim majorem, licet magis remotam, prius nominare videtur, mox, quasi retro versus, Syrtim occidentalem, cui duæ insulæ adjacent. Neque tamen, quum ad alteram (occidentalem) pergens dicit προτέρωσε περήσας, *ulterius trajiciens videbis* ἑσπερίην, hoc Syrti occidentali, ad quam a majore regrediendum est, convenit. Si Priscianum, qui accurate Dionysium vertit, inspicis v. 507, vides errasse eum, qui dicat, a Syrti *majore ulterius pergi* ad minorem *Occiduam*; nam contra est. Itaque corrigendus Dionysius videtur, atque ita intelligendus, ut vs. 477 et 478 ab altera minore ad alteram majorem progrediatur, neque Ἑσπερίην v. 479 trahatur ad præcedens ἑτέρην, sed mutetur in Ἑσπερίης, hoc modo: Ἑσπερίης δὴ πρόσθε δύω νησῖδές ἔασι, h. e. Ante eam Syrtim vero, quæ occidentalis est, duæ parvæ insulæ sunt, quod verum est. Hoc pacto Avienus cum Dionysio plane convenit, et simpliciter *unam* Syrtim atque *alteram ulteriorem* nominans, sub ista priore intelligere minorem, cui insula Meninx adjacet; sub hac majorem videtur; idque magis significat verbo *tendunt*, h. e. extensam vel longius porrectam ostendunt *freta prolabentia*, porro, ulterius labentia; vid. v. 681. Meningem insulam etsi Avienus post Syrtim majorem nominat, non tamen ita situm ejus definit, ut majori adjunxisse videatur. Quod si, perperam majori adjungens, erravit, certe idem erravit Eustathius, qui Dionysium ita interpretatur, ut occidentalem ejus Syrtim majorem esse, eique duas insulas adjacere dicat: Περὶ τὴν ἑσπερίαν Σύρτιν, τὴν μακρὰν δηλαδὴ, δύο νῆσοι, Μῆνιγξ καὶ Κέρκιννα. Wd.

645. *Parvaque cæruleo circumsonat æquore Meninx.* Ita sane legendum; quum in editionibus Pithœi esset *Mixam*, et in Madrit. *Mixtam*, corrupte. Huds. Probo *Meninx*, quod jam in textum recepit Hudsonus. *Meninx* etiam Ortelius, ut testatur Burm. ad Ovid. Met. I, 187, qui et *circumsonat* hoc in loco tuetur, additque v. 829: « Multus circumsonat istam Oceanus ». Consentit in emendatione *Meninx* Wassius ad Sall. Jug. cap. 80. Heinsianum *Nesis* (e Græco Dionysii ductum) rejiciendum est, quia additur *parva*, et proprium nomen requiritur. Schr.—*Circumsonat æquore mixtam* Ven. et Pith. *æquore nixam* Cusp. utrique vitiose. Camers ad Prisc. 508, et Vad. nomen insulæ *Meninx* recte substituerunt, quam deinde et recentiorum conjecturæ invenerunt. Camers præterea observat, ab Avieno hic insulam *Cercinnam* omissam esse, cujus Dionys. et Prisc. mentionem faciunt. — *Circumsonat.* Noster tamen v. 149: « Trina hæc pelagi circumtonat unda ». Hæc sæpe mutantur. Ed.

646. Cuspinian. mendose: *Rursus Hadriaticum lembum cogentibus undam*, quamvis Ven. et Pith. rectius *Rursus in Hadriacam lembum cogentibus undam*. Eumdem in modum Cuspinianum correxit Camers loco modo citato.

Insula se Graii Diomedis gurgite promit,
Italiam spectans et Iapygis arva coloni.
Huc illum motæ quondam tulit ira Diones,
Postquam per celeres extorrem traxit Iberos :
Conjugis huc diræ misit furor Ægialeæ.
Ionii si quis rate rursum cærula currat
Æquora, et Eoos cymbam producat in ortus,

648. Pro *promit* dubitabat Schrad. anne melius esset *promet*.

650. *Huc illum motæ quondam tulit ira Diones. Tulit illum huc*, i. e. egit, migrare coegit, ut Virg. Æn. I, 32 : « Errabant acti fatis maria omnia circum ». Mox versu 657 : « Colchos huc extnlit », i. e. exegit, exire domo et in exteras regiones excurrere fecit. W.

651. *Postquam per celeres...Iberos.* Anglus vir doctus in Misc. Obs. vol. I, p. 277 : « Neuter commentatorum, inquit, (neque Hudsonus, neque Oddius) mendam hic invenit, et tamen non dubito, quin Poeta scripserit *celebres* : nam Dionysius v. 485 habet τριλλίστων ». Vulgatæ tamen favet ipse Avienus, 743 : « acer Iberus Hæc freta veloci percurrit sæpe phaselo ». Et velocitatem infinitis in locis laudi tribui apud Veteres, multis exemplis evinci potest. Scur. — *Extorrem traxit Iberos. Traxit* convenit longo itineri et variis erroribus producto. — *Traxit* qnoque significat vim numinis et fatorum imperinm. Notum illud poetæ veteris : « Ducunt volentem fata, nolentem trahunt ». Ov. Epist. VI, 51 : « sed me mala fata trahebant ». Vid. not. ad Eleg. de Spe, v. 2. En. — Hillius ad Dion. 485 fatetur : non certo comperimus a quoquam traditum fuisse, in Hispaniam usque eum (Diomedem) pervenisse ». Discere tamen Hillius potuerat e Silio, XVI, 368 : « Ipsum Ætola, vago Diomedi condita, Tyde Miserat »; et III, 366 : « Et quos nunc Gravios violatu nomine Graium OF.neæ misere domus, Ætolaque Tyde ». Vid. Drakenb. Forte tamen fundus traditionis unicus est nomen Tyde, quod Tydeo, Diomedis patri, congruere videbatur. Idem.

652. *Misit furor Ægialeæ.* Est enim græce Αἰγιαλεία. Deinde sic V. Præterea sic Prisc. v. 514 : « Conjugis incestæ per fraudes Ægialeæ », ut ibi Papius e codd. edidit. Denique omnia nomina latina et talibus Græcis formata efferuntur *e* longo, Cassiopéa, Calliopéa, Cymodocéa, Cytheréa, Deiopéa, Galatéa, Penelopéa, Pasiphaéa. Adsigno autem hanc orthographiam iis, quæ oriuntur a simplicioribus in *η* sive *ε*, ut sunt modo enumerata omnia ab *Ægiale*, *Cassiope*, *Calliope*, et sic porro. Pariter v. 739 scribendum censeo *Erithea*, et v. 1039 *Anchialea*. Scur. — *Ægialeæ* scribendum monet Schrad. Editt. tamen omnes habent *Ægialiæ*.

653. Pro *currat* cod. A. obtulit *verrat*, quod rejicit Schrad.

654. Ad verba *et Eoos*, etc. Schrad. confert vs. 1210 : ad *protinus arces* v. 661. Atque ut mox *huc cura fidesque Colchos Extulit*, sic paullo

Absyrti cautes et crebras protinus arces
Inveniet. Colchos huc quondam cura fidesque
Extulit, insanam sectantes Æetinen.
Nec procul Ionii per terga Liburnides adstant:
Inque Notum post dira Ceraunia carbasa si quis
Torqueat, et tepidos lembum declinet in axes,
Ambraciotarum succedent protinus arces,
Alcinoique domus pandetur Corcyra rursum,

ante v. 650: « huc illum tulit ira Diones ».

656. *Invenient* perperam scripserunt Ven. et Cusp. *Inveniet* Cam. ad Prisc. 517. Vad. Pith. Huds.

657. *Insanam sectantes Æetinen.* Ita e Græcis Dionysii. Antea in editione Pithœi *inent* **, in editione Madrit. *intent***. Huds.—Sero! eamdem medicinam dudum fecerat Is. Vossius, uti frater Gerardus testatur ad Valer. Flacc. VII, 183. Fecerat itidem N. Heinsius ad Ovid. Her. VI, 103. Schr.—Et ante hos omnes dudum fecerant Cuspin. et Vad. sic edentes. W. — Corrupte hunc versum protulit Ven. et Pith. *insanam sectantes et inent* * *, sed Cusp. et Vad. integre et correcte sic: *insanam sectantes Eetinen*, quod ipsum postea, vel horum auctoritati, vel suo ingenio obsequuti repererunt Vossius, Heinsius, Hudsonus. Pariter infra recurrit *Æetine* v. 1220. — *Æetinen.* Medeam, Æetæ regis Colchorum filiam, insanam amore Jasonis, quam, quum pater comperisset rapto vellere cum Jasone aufugisse, magnis cum copiis frustra insequntus est. Ed.

658. *Per terga Lyburnidis* scribit Cusp. mendose: rectius *Lyburnides* Vad. *Libyrnides* Pith. et Huds. *Liburnides* Camers ad Prisc. 518.— Sic dictæ a Liburnia, hodie *Croatia*, parte Illyriæ Austriacæ ad mare Hadriaticum. Ed.

659. *Post dura Ceraunia. Dura* incongruum, nec satis violentum. Lege *dira*. Talia enim finguntur a poetis, Hor. Carm. I, 3, 20. Ovid. Am. II, 11, 19: « Et quibus emineant violenta Ceraunia saxis ». Schr. — *Dura Ceraunia* Cusp. et Pith. *dira* Camers l. c. et Vadian. Etiam *sæva Ceraunia* dicit Prisc. v. 519.

661. *Ambraciotarum succedunt protinus arces.* Lege *succedent*, ut mox *pandetur*, v. seq. Dionys. φαίνοιντο, quod ad utrumque pertinet. Eodem modo v. 402: « Si conferre sibi quisquam velit... Singula versanti talis succedet imago ». Schr. — Veneta corrupte *Ambracio taurum succedunt*. Cuspin. emendavit *Ambraciæ tantum succedunt*. Vad. *Ambraciæ exstantes succedent*. Pith., demum hic verum reperit *Ambraciotarum succedunt*.

662. *Alcinoique domus.* Sic Virg. Æn. VIII, 422: « Vulcani domus, et Vulcania nomine tellus ». Sol. c. 40, p. 51 A. « Miletos Ioniæ caput, Cadmi olim domus, sed ejus qui primus invenit prosæ orationis disciplinam ». Idem pag. 31, D. « Major Syrtis ostentat oppidum, Cyrenas vocant... quæ domus Callimacho poetæ fuit patria ». Schr.—*Corcyra*

Corcyra compta solum, locupleti Corcyra sulco.
Hanc super est tellus, Ithaci vetus aula tyranni,
Exsulis et toto raptati sæpe profundo.

rursum. Ven. ter *Cercyra*, ut Dionys. v. 495. Hanc tamen nemo alius sequutus est. Ita apud Front. I, 12, 11, pro *adversus Corcyræos* plerique codd. MSS habent *Cercureos*, ut adnotavit Oudendorp. Hic tamen addit, non ausum se esse *Cercyræos* reponere in contextu, quia cæteri Latini, quantum ipse sciat, *Corcyreos* efferant. Audentior forte fuisset, si scivisset in principe edit. Ven. Avieni ter sic exhiberi. In nummis autem, apud Harduinum et Spanhemium, semper legitur Κορκυραίων et Κόρκυρα, neque dubitat Spanhem. quin ubique apud Herodotum et reliquos ita sit legendum. At Quirinus de Corcyra, p. 11, utramque scripturam ex Eustathio probavit: utique veterrima scriptura fuit Cercyra, Κέρκυρα, sed mox ε in ο abeunte (ut in Methone, Mothone; Berenice, Beronice) Corcyra placuit. Itaque nummi forte, in quibus Κόρκυρα, Κορκυραίων, recentiores sunt; certe plerique, quos publicavit Harduinus, sub Imperatoribus Rom. percussi sunt. Schr. — Itaque et Dion. et Avien. qui ambo fuerunt sub Imperatoribus Rom. scripserunt Κόρκυρα et *Corcyra*, neque admittenda lectio Ven. Ad hoc Noster non videtur animum advertisse.

663. *Corcyra compta solum*. Dionysio λιπαρή. Ovid. Met. XIII, 719: « Proxima Phæacum felicibus obsita pomis Rura petunt ». Hygin. fab. 276: « Corcyra, ager bonus ». Add. Apoll. Rh. IV, 983. Hinc in nummis Bos fertilis. Vid. Pellerin. N. P. p. 54. Schr. — *Compta* videtur ad elegantiam culturæ et ordinis in agris, viridariis, arboribus, vineis, respicere, quoniam *compti* proprie capilli dicuntur bene compositi. Hinc eadem metaphora Noster infra uti videtur vs. 1238: « Æquora terrarum gravibus componere rastris ». W. — *Locupleti Corcyra sulco*. *Sulcus* pro agro arato et frugifero, ut describit Virg. Georg. I, 45. Idem Georg. II, 518: « Proventuque oneret sulcos, atque horrea vincat ». Rutil. I, 149: « Interea Latiis consurgant horrea sulcis ». Similiter Tibull. IV, 1, 185, « ditantes horrea sulcos » dicit, ad quem locum vid. Heynius; nost. ed. pag. 269. Ed.

664. *Tellus Ithaci vetus aula tyranni*. Lege *tellus Ithacæ*. Dionys. v. 495 Ἰθάκης ἕδος. Prisc. 521: « Ithaces atque aspera tellus ». Vide ad vs. 632. Mox distingue: *tyranni Exsulis, et toto raptati sæpe profundo*. Pro *raptati* Withof. *jactati*. Sed dubito. Nam Lucretius, quem sæpe sequitur, VI, 339: « Æthere raptavit toto ». Schr. — *Hinc super* legit Vad. sed solus. Lectio *tellus Ithacæ* sane magis convenit Virg. Æn. III, 272: « Effugimus scopulos Ithacæ, Laertia regna, Et terram altricem sævi exsecramur Ulyxi », atque his Ovidii, Met. XIII, 711: « Et jam Dulichios portus, Ithacamque, Samenque, Neritiasque domos, regnum fallacis Ulyxei ». Sed propterea vulgatam lectionem nolim deserere, cui et favet v. 524: « Tarentum... Amyclæi suboles prædura tyranni ».

665. Pro *raptati* Withofium *jactati* maluisse, refert Schrad. Id

Plurima præterea consurgunt gurgite saxa,
Quæ protentus aquas Achelous pulcher oberrat;
Amnisusque dehinc alias circumfluit unda,

quidem Nostro sæpius usurpatum, ut 542 et 626, sed *raptati* non minus elegans, variationis caussa, cujus Avienus studiosissimus est, adhibitum videtur, et erroribus Ulyssis inprimis aptum est, qui continuo in alia aliaque loca et maria actus memoratur. Sic Val. Flacc. IV, 402: « inde per urbes Raptatur Graias, atque ardua flumina ripis ».

666. *Plurima præterea consurgunt gurgite saxa*. Burmannus ad Val. Flacc. III, 594, hos Avieni versus citans, saxa pro montibus et abruptis locis accipit, per quæ Achelous cadat. Sed *saxa* hic sunt insulæ, νῆσοι, ut Dionysius habet v. 496. Sic Avienus, v. 606: « Ordine quo steterint pelago circumflua saxa »; v. 691: « Saxa mari profert circumflua ». Val. Flacc. IV, 512: « Jamque et ad Ionii metas, atque intima tendunt Saxa ». Idem, II, 383: « Ægæi scopulos habitare profundi »; et pariter Manil. IV, 639, *scopulos* pro insulis dixit. Schr. — Eadem sententia est Salmas. Ex. Plin. p. 504, ubi Avienum sæpissime montes, saxa, scopulos nominare, quos Dionysius νήσους, etiam hoc loco probat. W.

667. *Qua protentus* conj. Huds. Schradero non admittente, quia Dion. ζῶσας ἀμφὶς ἑλίσσει, quæ Achelous oberrat: *protentus aquas* Ven. Cusp. Vad. Pith. *protentus aquis* legit Camers ad Prisc. 524, quod tamen usus Avieni refutat. Ad *oberrat* conf. v. 162.

668. *Dehinc alias circumfluit unda*. Heinsius et Higtius pro *alias...undas* legebant *alia...unda*. Quod Hudsonus edidit: *alias circumfluit unda*, ineptum est: nam præcedit *saxa*, non *insulæ*. An forte ad sensum respicit? Non puto. Itaque sic scribendum conjicio: *alias circumfluit arces*, ut ante *arces*, *insulæ*. Schr. — Sed cur non credamus Avienum respicere πρὸς τὸ σημαινόμενον? vera ergo Hudsoni videtur lectio. Wass. — *Amnis usque* vitiose Cusp. et ed. Madr. Unde varia et mira fingit Camers ad Prisc. 524. Primo legit *Admisusque* (Achelous) *dehinc alias circumfluit undis*. Deinde conjic. *Amnensesque dehinc alias*, id est, propter amnem sitas. Et quamvis obstare videat Græcum auctorem, qui Ἀμνισοῖο habet, tamen hoc ipsum de Acheloo circumfluente exponit. Reliqua vide apud ipsum. Recte autem Pith. *Amnisusque* Vad. *Amnissusque*. Uterque porro: *alias circumfluit undas*. Hudsonus distinguit et emendat *Amnisusque: dehinc alias circumfluit unda*. Sed hoc græco adversatur v. 498, qui insulas boreales Amniso, vel respectu Amnisi, dicit. *Alias...arces* vult Schrad. quæ violentior est mutatio. Ego Hudsoni conjecturam prætulerim *alias circumfluit unda*. Sed quocumque modo emendetur hic versus, id certe manet, Avienum a sensu Dionysii aberrasse. Nulla enim ratione dici potest, insulas, quæ deinceps nominantur, Amniso amne *circumflui*. Rectius vertit Prisc. 524: « Sed multæ Amnisi Boreæ sub parte videntur », sc. insulæ.

Quæ tamen in Boream vergunt magis; Ægyla parva
Et procera caput turgescunt pulchra Cythera;
Eminet hic etiam saxosa Calauria juxta;
Carpathus hic rupes adtollitur: hæc tamen axem
Respicit occiduum. Nutrix hic Creta Tonantis,
Multa latus, glebamque ferax et opima virentum

669. *Quæ tamen in Borean* Hudsonus conjicit *Qua;* quod refellitur collato Dionysio, v. 498. In Ambr. bene *Borean* et *vergunt* pro *vergant*, quam emendationem certissimam probat latinitas, et quod est in præcedd. *oberrat*. Schrad. —*Qua tamen* conj. Huds. Sed contextus requirit *Quæ*. Nempe *quæ in Borean vergunt, sunt Ægyla*, etc. Pro vulgato *vergant* Schraderus ex Ambr. scribendum contendit *vergunt*, quomodo etiam Camers legit ad Prisc. 525. Pro *Ægyla* Ven. corrupte *aquila* Cusp. *egida*.

671. *Saxosa Calauria*. Calauriam correpta penultima dixisse Avienum h. l. et Prisc. 525, monuit Burm. ad Ovid. Met. VII, 384. Addere debuisset, hoc factum exemplo Dionysii. Producta syllaba reperiri videtur in oraculo, quod ex Ephoro refert Strab. VIII, 574. A. Ἰσόν τοι Δῆλόν τε Καλαυρίαν τε νέμεσθαι. Sed tantum videtur; nam corrigendum Καλαυρείαν, ut Ovid. Met. VII, 384; Pausan. p. 189. Schr.

672. *Carpathus hic rupes.* Forsan *Carpathia hic rupes adtollitur:* aut *Carpathus hic rupes adtollit; at hæc tamen*, etc. Huds. *Carpathis* Heins. Frustra: *Carpathus hic rupes adtollitur* elegante græcismo dicitur ut v. 733: « et muros adtollitur Hermonassa »: et « adtollitur ulmus » Phæn. 1281. Schr. — *Hinc rupes* tamen Schrad. conj. in schedis.

673. *Axem Respicit occiduum.* Cum Dionysio errat Avienus: debet esse *ortivum*. Huds. Rectius Priscianus, Dionysium corrigens, vertit v. 526: « Ad radios vergit sed Carpathus », ubi confer Papii et nostram adnotationem. W. — *Hinc Creta* scribit Vadian.

674. *Glebamque fer. et o. virentum. Glebæque* Cam. ad Flor. III. p. 505. Sed an insula dici potest *ferax glebæ?* putabam *herbæ, segetis, uvæ!* In edit. Trogn. *glebamque ferax et opima virentem.* Sane junguntur adjectiva duo. Hegesipp. III, 6: «Universa terra ejus opima et ferax». Solin. c. 21: « Excipit ager Rhæticus opimus et ferax ». Si *opima* cum genitivo probari posset, etiam vulgata *virentum* posset defendi. *Virentia* absolute *viridia*, arbores atque herbæ. Colum. I, 5, 8: « Hæc quum hominibus afferant perniciem, tum et armentis, et virentibus, eorumque fructibus »; et lib. III, 8, 1: « Si rerum naturam acrioribus mentis oculis intueri velimus, reperiemus parem legem fecunditatis eam dixisse virentibus, atque hominibus, cæterisque animalibus ». Juvencus, I, 647: « Quod si pratorum, fruticumque virentia læta Ipse Deus vertit, nostris obnoxia flammis », Heinsius tres conjecturas hic notavit: *opima virorum*, ad Virg. Æn. II, 782, « opima bidentum », et « virenti Frigitur pelago ». In his al-

Erigitur pelago. Cretam super adstitit Ida,
Ida procellosis agitans Aquilonibus ornos.
Nec procul Ægyptum Rhodus adjacet, adjacet oram

tera *opima bidentum* vix ferri potest. Omnino adhuc dubius hæreo, an *opima* cum genitivo poni possit. Schr.— Mihi satis proba videtur lectio edit. Trogn. Wass.—Et hanc ipse Schr. adseruerat in schedis.—*Culta latus* a quibusdam legi monet Fries. sed hoc ineptum est. *Multa latus* est longa vel spatiosa, (vid. v. 493), et plane exprimit Dionysii Πολλή τε λιπαρή τε. Sic fere Virg. Georg. III, 54: « Tum longo nullus lateri modus ». Sic *plurimus* sæpe Nostro est maximus, longissimus; vide vs. 463, 467: *glebæque ferax* scribit Camers ad Prisc. 529, quod ego vix dici posse arbitror: *et opima virentum* exhibent Cuspin. Vad. Pith. Huds. Meursius in Creta, pag. 1. Ego inhærendum puto plurimarum editionum scripturæ *opima virentum*. Si Virg. Æneid. II, vs. 782, « arva opima virum » dicere potuit, potuit etiam Avienus Cretam *opimam virentum*. Sic Dionysii εὔβοτος cum duobus aliis prædicatis accurate exprimitur. Et *virentia* absolute dici potest pro arboribus et herbis.

675. *Cretam super adstitit Ida*. Creta, quam nutricem Jovis dixit supra vs. 673, ob Jovem ibi educatum, insularum Græco litori adjacentium maxima, Græcis Latinisque monumentis plurimum celebrata. Prima navibus et sagittis uti potuit: prima Minoe duce classe pugnavit: prima literis jura junxit; studium item musicum inde initium cepit. Nomen deducunt alii a Crete Nympha, Hesperidis filia; alii a Crete, rege Curetum: Μακαρόννησον nonnulli, i. e. beatam insulam a cæli temperie adpellatam existimavere. Incolæ Græcis dicti Κρηταί, Latinis Cretenses. Inter ortum porrigitur insula hæc et occasum tractu longissimo, hinc Asiam, illinc Africam spectans: a septemtrione Ægæis et suis, i. e. Creticis æstibus verberatur: ab Austro Libycis undis perfunditur et Ægyptiis. Longitudo ejus maxima a Samonio promontorio, nunc *C. Salamoni*, ad promontorium Corycum, nunc *Cornico*, milliar. Germ. 70; latitudo circa mediam sui partem maxime patens mill. Germ. 15. *Candia* nunc a Metropoli sua indigitatur. Ed.

676. Schraderus conjicit *agitata Aquilonibus ornos*: et bene confert Horat. Carm. I, 9, 12: « Nec cupressi, Nec veteres agitantur orni ».

677. *Nec procul Ægyptum Rhodus adjacet*. Eodem ordine insulas enumeravit Prisc. vs. 531 seqq. Itaque codices olim Dionysii fuerunt, in quibus v. 510, 511 post 504 ponerentur. Sed longe melior recepta in Græcis dispositio. Nam Rhodus, Chelidoniæ, Cyprus, Aradus, Salamis, Ægina, melius conjunguntur, quam Rhodus, Salamis, Ægina, Cyprus, Chelidonia, Arados, qui saltus pæne ridiculus. Schr. — Vid. not. Papii ad Prisc. 531. W. — *Adjacet oram Suniados*. Heins. ad Val. Fl. V, 536, monet *adjacere* cum quarto casu sæpe jungi ab Avieno, ut v. 563 et 588, atque hunc locum sic constituit: « Nec procul Ægyptum Rhodus adjacet, adjacet oram Suniada, at qua se prætendit litus Abantum ». Sed huic conjecturæ nullus sensus inest. Nam si legas

Suniados, qua se protendit cespes Abantum,
Fertilis Æginæ tellus, et opima Salamis.
Lucis ab exortu, Pamphylia qua cavat æstum

cum H. «adjacet oram Suniada, at qua se...» quærere licet: Quid adjacet? an Rhodus? nihil falsius! an Æginæ tellus? sed sic turbatissima erit constructio. Ego vix dubito, quin Poeta scripserit: «Nec procul Ægyptum Rhodus adjacet: adjacet oram Suniados, qua se protendit cespes Abantum, Fertilis Æginæ tellus». *Adjacet oram* probat ipse Avienus, vs. 565: «Graios adjacet agros»; et 589: «adjacet Hæmum, etc.» Porro elegantius est «Ægyptum Rhodus adjacet: adjacet oram Suniados Æginæ tellus...» quam «Ægyptum Rhodus adjacet. Adjacet» ora» vel «ore Suniados Æginæ tellus». Denique agitur hic de insulis, earumque positu: at Sunias non est insula, sed promontorium; ideoque omittitur a Prisc. vs. 534. *Sunias* autem absolute, ut Pelorias apud Ovid. in Fast. et Sepias apud Val. Flacc. II, 8, Carambis Prisc. 758, Colis Avieno, v. 1356; et Salmonis vs. 164, Zephyris Or. mar. 238. *Oram montis* aliquoties etiam Priscianus memoravit, vs. 89, 94, 340, 822. SCHR.—Vulgatæ *adjacet ora Suniadas*. Sed Schrader. emendanti *adjacet aram Suniados qua se protendit* facile adsentio

678. Pro *prætendit*, quod vulgatæ habent, Heinsius conjecit *protendit*, idque Schraderus firmat collato Dionysii v. 520: Εὐρώπης δ' ἤτοι μὲν Ἀβαντιὰς ἔπλετο Μάκρις, et Avieni v. 698: «Europam incumbit prolixus limes Abantum».

679. *Fertilis Æginæ tellus.* Soli naturam sic describit Strabo, VIII, p. 576, B. ἡ δὲ χώρα αὐτῆς κατὰ βάθους μὲν γεώδης ἐστι, πετρώδης δ' ἐπιπολῆς· καὶ μάλιστα ἡ πεδιάς, διόπερ ψιλὴ πᾶσά ἐστι, κριθοφόρος δὲ ἱκανῶς. Ephorus apud eumdem, p. 577, B. incolas tradit διὰ τὴν λυπρότητα τῆς χώρας in mari negotiatus. Cf. tamen Periz. ad Æl. Var. Hist. XII, 10. Hordei feracem fuisse docet Strabo, l. c. variis item locis frumenti R. *Chandler*, Itin. Gr. c. 4. Quin Nonnus eodem ornat epitheto, XIII, p. 362: Οἳ λάχον Οἰνώνης γόνιμον πέδον. Notarunt alii Avienum ob secundam in *Salamis* productam; neque hoc defendi potest. SCHR

680. *Pamphylia qua cavat æstum Prolabentis aquæ.* Singularis hæc locutio est. Contrarium dicitur v. 88: «sinus æquoris intrat, Telluremque cavat», et in Ora Mar. v. 207: «panditur rursus sinus, Cavusque cespes in meridiem patet». Itaque legendum conjicio: «Pamphylida qua cavat æstus Prolabeotis aquæ». Et sic suspicor scripsisse Dionysium, v. 854: Ἄλλαι δ' ἑξείης Παμφυλίδος εἰσὶ πόληες, ut ibi codd. 1, 5, R. pro Παμφυλίδες. SCHR. Ego nihil muto. *Pamphylia æstum aquæ cavat* per inversionem dicitur, pro *æstus cavat Pamphyliam*, qualem jam sopra notavimus ad v. 185. Re ipsa in flexuoso et sinuoso litore, quale describitur Pamphyliæ, æquor invicem cavat tellurem, et cavator, ubi tellus intrat mare. Sic v. 180 de ipsa Pamphylia: «illapso penetrantur litora fluctu, Et rursum tellus init æquora». W.

Prolabentis aquæ, Cyprus alta cingitur unda,
Atque Dionæi pulsatur litoris acta.
Inde Chelidoniæ treis sese gurgite tollunt,
Qua frons tenta salo Patareidis eminet arcis.
Læta dehinc Aradus Phœnicum præjacet oram,
Multus ubi exesæ sinus est telluris ab alto,

681. Heinsius loco *Prolabentis* voluit *prælambentis*, de quo tamen dubitat Burm. Anthol. t. I, p. 489, quia mox sequitur v. 688 « curvo prælambitur ora fluento »; nisi illic rectius sit *prælabitur* (sed hoc subjectum *ora* non admittit). Schraderus autem conjicit *Prælabentis aquæ*, quod ego fere prætulerim. — Certe Noster v. 698: « Et vicina sibi lambit confinia pontus »; et vid. v. 955, et Stat. Theb. IV, 52: « quos pigra vado Langia lambit ». Ed. — *Cyprus a. c. unda.* Illustrari hæc lectio pluribus locis potest, Ov. Met. X, 530: « non alto repetit Paphon æquore cinctam »; Her. XX, 222: « Insula... Cingitur Ægæo, nomine Cea, mari »; Pont. I, 5, 80: « Aut ubi Taprobanen Indica cingit aqua »; Prisc. v. 539: « Arados, Phœnices æquore cincta ». Sed tamen suspicor legendum: *Cyprus alta tingitur unda*. Nam Dionysius, v. 508: Κύπρος δ' εἰς αὐγὰς Παμφυλίου ἔνδοθι κόλπου Κλύζετο. Pariter v. 1109 scribendum est *æquore rubri Tingitur Oceani*, pro *Tangitur*, quia Dion. 931: Πέζα δέ οἱ... Κλύζετ' Ἐρυθραίοις ὑπὸ κύμασιν Ὠκεανοῖο. Cf. etiam v. 1103: « Hinc tellus Arabum producit cespite campos, Et latera ab gemino sale tingitur ». Schr.

684. *Frons tenta salo Patoreidis.* Similiter de alio promontorio v. 230: « tenta late premit æquora fronte ». W.

685. *Læta dehinc Aradus.* Florentes opes insulæ parvæ describit Strabo, p. 1094. An autem sic, ut *Lydus lætus* v. 1009? et apud Claudian. in Eutr. II Prol. v. 63, de Cypro: « Insula læta choris, blandorum mater amorum ». Schr. — *Præjacet oram.* Ex uno Tacito, XII, 36, 3, adfertur locus similis: *campo, qui castro præjacet.* Hoc rarius firmat hic Avieni locus. Quia Dionysius, et interpretes Avienus et Priscianus primam corripiunt in *Arados*, dubito equidem de emendatione Is. Vossii et aliorum in Lucretio, VI, 890: « Quod genus endo mari spirat fons, dulcis aquai Qui scatit, et salsas circum se dimovet undas ». Schr. Talem nempe fontem, qualem hic Lucretius, in mari apud Aradum describit Strabo, lib. XVI, pag. 1093. Igitur qui a Lucretio fontem eum respici putarunt, pro *endo mari* apud eum correxerunt *Aradius spirat.* Sic quidem Creechius ad eum locum. Vossium id fecisse, in ejus comment. ad Melam non lego. Casaubonus ad Strabonem saltem existimat, Strabonis locum pro commentario Lucretiani esse. W. — *Præjacet oram* habent Cusp. Pith. Huds. Unus Vadianus scripsit *præjacet oræ*.

686. *Multus ubi exesæ sinus est.* Hoc additamentum Avieni est, ortum e var. lect. apud Dionys. v. 510, ubi pro ἐνὶ πόντῳ codices 1,

Ac latus omne soli procul in dispendia cedit
Litoris, et curvo prælambitur ora fluento.
Mirus at ille dehinc Ægæi gurges habetur,
Qui gemina de parte sali velut ordine justo
Saxa mari profert circumflua, tenuia sese
Quo freta præcipitant Athamantidis inclyta leto:

4, 5, 6, 8 habent ἐνὶ κόλπῳ. Schr. — *Exesæ sinus est telluris ab alto.* Sic v. 727: « ubi saxa dehiscunt Molibus exesis, et curvo fornice pendent ». Stat. Silv. III, 1, 110: « solidus contra riget umbo maligni Montis, et immenso non unquam exesus ab ævo », ubi tamen Markl. pro *exesus* vult *excisus ab ævo*. Schr. Adde locum Rutilii, I, 227: « Stringimus hinc exesum et fluctu et tempore castrum ». Ubi tamen alios aliter legere adnotavimus. W.

687. *Ac latus omne soli procul in dispendia cedit Litoris*, h. e. solum ita recedit, ut fiant sinus et ambitus litoris. Eadem phrasi Noster, v. 726: « concava vasto Cedit in antra sinu rupes ». Sic Rutil. I, 321: « Vix circumvehimur sparsæ dispendia rupis », h. e. ambitum multarum rupium, quæ per ambages circumvehendæ sunt. Hinc *dispendia viæ* sunt ambages et flexus obliqui viarum: contrarium *compendium*. W.

688. *Prælambitur ora fluento*. Hoc unice probo: *prælabitur* ineptissimum; *ora* enim non labitur. Pluribus locis verbum *prælambere* adserit Heins. ad Ovid. Metam. XIV, 633; etiam Nostri v. 1327: « amnibus autem Fertilia irriguis crebro prælambitur ora », et supra v. 495 de Tibri: « Romanosque lares lapsu prælambit alumno ». Contra verbum illud eliminat Bentl. e loco Horatii, Serm. II, 6, 109. Schr. — *Prælambitur ora* Cusp. Vad. Huds. recte. Quod Pithœus dedit, et edit. Madrit. repetit, *prælabitur* subjecto *ora* non convenit.

689. Schraderus conjicit *Mirus at ille* pro vulgato *Mirus et*, quia Dionysius, v. 513: Θηητὸς δέ τις ἐστι, et Prisc. 540: « Ægæi vero diversis partibus alti ». Huic conjecturæ adsentit Wernsd.

690. *Ordine justo.* Sic v. 1189: « Brachia Nysæi qui palmitis ordine justo Digerit ». Schr. — *Ordine justo* edidit Pith. et Huds. sed antiqua scriptura Venetæ et Cusp. est *ordine viso*; unde porro Vadianus fecit *ordine fisso*, quod equidem minime spreverim, quia *justum ordinem* hic locum habere nemo facile putabit, qui situm earum insularum probe cognoverit. *Fissus* autem exprimit Dionysii ἑκάτερθεν, et bene convenit ei, quod Avienus adjicit *gemina de parte*. Infr. v. 1189 *ordine justo* rectius dicitur. Cæterum sæpius *ordinem* Noster in recensendis insulis prædicat, ut v. 606, et mox 696.

691. *Tenuia sese Qua freta præcipitant.* Tenuia freta sunt arcta vel angusta, ut in parili loco, v. 641. Sic *tenuis pontus* dicitur Val. Flacco, II, 636: « Nec procul ad tenuis surgit confinia ponti Urbs ». W.

692. Pro *Qua*, quod in editis est, Schraderus tentat *Quo*, quia in

Sestus ubi atque Abydus parvo sale discernuntur,
Et vicina sibi lambit confinia pontus.
Pars procul Europæ lævum latus, altera porro
Ditem Asiam spectat: cunctæ tamen ordine facto
Insulæ in Arctoi procedunt plaustra Bootis.
Europam incumbit prolixus limes Abantum.
Scyrus ibi late dorsum tumet, ac Peparethum
Protollit pelagus. Juxta Vulcania Lemnos

græco est Ὅσσον ἐπὶ στεινωπὸν ὕδωρ. Et mihi hæc emendatio fere necessaria ad sensum et ad veritatem geographicam videtur. — *Athamantidis inclyta leto*, id est, Helles. Parem Hellesponti, ut hic, descriptionem habes apud Ovid. Trist. I, 9, 27: « Quaque per angustas vectæ male virginis undas Seston Abydena separat urbe fretum ». W.

693. *Sestus ubi atque Abydus*. Vossius, Art. Gr. p. m. 326, ubi ostendere conatur, non raro peccare Avienum, versum hunc aliter citavit, quam est in Ven. et Pith. *Sestos atque Abydos parvo sale discernuntur*. De producta ab Ovidio syllaba media in *Abydos* ante Vossium jam monuerat Smetius in adpendice Prosodiæ. Schr.

694. *Et vicina sibi*. Sic supra etiam de Bosporo, v. 200. Et similiter fretum Siculum describit Ovid. Metam. XIV, 7: « Navifragumque fretum, gemino quod litore pressum Ausoniæ Siculæque tenet confinia terræ ».

696. *Ditem Asiam* prædicant Horat. Serm. I, 7, 19; Propert. I, 6, 14: « An mihi sit tanti doctas cognoscere Athenas, Et veteres Asiæ cernere divitias ». Avienus ipse, v. 822. Ad verba *ordine facto* conf. v. 1346. Schr.

697. *Arctoi... Bootis*. Ita legendum esse adparet e collato Dionys. v. 519.—Alias Bootem sæpe *Actæum* vel *Atticum* vocari monet Heinsius, Advers. p. 122. Notandus inprimis locus Val. Flacci, II, 68. Schr.

698. *Europæ incumbunt* solus habet Vad. Sed vulgatam *Europam* defendunt v. 457: « Illæ gentes Istrum incumbunt »; et 529: « curvi salis incubat oram ». Et Avienus sæpius accusativum adhibet, ubi alii dativo utuntur. Vid. v. 678, 685. — *Prolixus limes Abantum*. Est descriptio insulæ Euhœæ, quæ longa est, et Dionysio Μάκρις Ἀβαντιὰς dicitur. Et videtur Avienus ea descriptione ad ipsum nomen Macris respicere. — Itaque henc transtulit Papius: « Europen agnoscit Abantia Macris ». Ed.— *Limes* hoc loco idem est, ac quod alias *ora* vel *latus*, v. 394, 633, 674, 1104; et conf. v. 1043, 1150. W.

699. *Scyrus ubi late dorsum tumet*. Heinsius *læte* legit. Sed id loco non aptum est, quia Scyrus *scopulosa* perhibetur; Stat. Ach. II, 18. Conf. Barth. ad Achill. I, 5; Sophoc. Philoct. 372; Eustath. ad h. l. Schr. —

700. *Peparethum Protollit pelagus*. Forte *propellit* Heins. Sed verbum *protollere* Avieno familiare est: Progn. v. 140: « Tertia si rursum protollat Cynthia currus »; Phæn. 831: « Nam passim ignoti viee vul-

Erigitur, Cererique Thasos dilecta profundo
Proserit albenti se vertice: prominet Imbrus,
Thressaque consurgit propter Samus: indeque rursum
Cyclades accedunt Asiam, Delumque coronant.
Omnes fatidico curant solennia Phœbo.
Nam quum vere novo tellus se dura relaxat,

gi semet in æthram Protollunt »; v. 568: « Pleiadas femoris pariter sub fine sinistri Perseus Protollit ». Atque hinc patet, quod tribuendum sit Heinsii conjecturæ, quam præterea res ipsa refutat, et epitheton Dionysianum αἰπεινὴ, quod verbo *protollere* exprimitur. Schr. — *Vulcania Lemnus*. Scribam *Lemnos*, quæ lectio est Ambr. Et *Vulcania Lemnos* etiam dicitur Ovidio, Metam. XIII, 313. Idem. — Conjecturam Heinsii *Propellit*, falso, ut sæpius, Schradero adscribit editor Amstelod.

701. *Cererique Thasos dilecta*, i. e. frumenti ferax, sicut *Bromio dilectus ager* dicitur Statio, Silv. II, 2, 4. Et Sen. Herc. Œt. 1874: « Magno tellus cara Tonanti », sic quidem ex emendat. Bentl. et mea. Id.

702. *Proserit albenti se vertice*; sic dederunt Pith. et Huds. recte quidem, ut opinor. Paullo molestius scribunt et distinguunt Cusp. et Vad. « Proserit albescens e vertice prominet Imbrus ». Fortasse scribere voluerunt, vel scriptum invenerunt *e vortice*, i. e. gurgite, æquore; et tum *albescens* esset idem ac canescens spumis, ut v. 624, vel *spumescens* v. 185. Sed omnino magis placere debet lectio Pithœi, et tum Thaso *albens vertex* tribuitur, ut insulæ quævis lucere, nitere, fulgere, h. e. eminus adparere dicuntur, mare tamquam stellæ distinguentes. Vid. notata nostra ad Prisc. 508 et 550. — Et adposite Horat. Carm. I, 14 extr. « Interfusa nitentes Vites æquora Cycladas ». Ed. — Apte ad hanc notionem verbo *Proserit* usus est, quo alias lucem exorientem exprimit, ut v. 580: « matutinus qua lucem proserit ortus ». Schraderus *albenti vertice* sigillatim de albis saxis intelligit, et confert v. 723: « Leuce cana jugum ». Sed hæc interpretatio ipsius nominis est, quæ in Thasum non convenit. — *Prominet Imbrus*. Sic Claud. Bell. Get. 330: « sublimis in Arcton Prominet Hercyniæ confinis Rhætia silvæ ». Schr. — Imbrus Ovidio *Imbria terra*, Trist. I, 9, 18. W.

703. *Thressa Samus* est Samothracia, et hoc adjecto distinguitur a *Samo Saturnia*, v. 713. Disette Virg. Æn. VII, 208: « Threiciamque Samum, quæ nunc Samothracia fertur ». *Tasus* pro genuino *Samus* est in Ven. et Ambr. repetitum e v. 701.

704. *Cyclades accedunt Asiam, Delumque coronant*. Nempe Delus in medio Cycladum. Vid. Dionys. v. 526; Amm. Marc. XXII, 8; Plin. IV, 1, 22; Solin. cap. 11, p. 22; Bochart. G. S. lib. I, cap. 14, p. 439. Schr.

705. *Omnes fatidico curant solennia Phœbo*. De hoc versu et duobus seqq. vid. Excursus VI ad calcem hujus carminis. Ed.

Culminibusque cavis blandum strepit ales hirundo,
Gens devota choros agitat, gratique sacrato
Ludunt festa die, visit sacra numen alumnum.

707. Quia Dionysius hoc loco, v. 529, non hirundinem, sed aedonem i. lusciniam nominat, hinc aliqui censuerunt *aedon*, non hirundo, legendum esse. Sed, inquit Camers ad Prisc. 544, hoc cum *cavis culminibus* non convenit, nisi legas in Avieno: *Montibus atque homini blandum*, etc. ut habet codex græcus. Nihilo minus Schraderus tentat: *Culminibusque, canens blandum, parit ales aedon?* Mihi videtur Avienus hirundinem consulto et ex certa ratione nominasse, quam aperio in Excursu supra citato.

708. *Gens devota choros agitat, cratituque sacrato. Cantuque* legit Vlitius ad Calpurnium, p. 477. *Charitesque* malit Reines. in Epist. ad Daumium, p. 140. Wassius ad Sall. Jug. p. 257 legit *cantuque*. Withofius in Specim. Gunth. p. 156 corrigit *cœtusque sacroto Ludunt festa die*. Difficile est, hic aliquid certi constituere. Daumii, non autem Reinesii (ut male Huds.), conjectura *Charitesque*, invitis Charisin facta est. (Fortasse ipsum *Charisin* ponendum est, *Charisinque sacrato... die*, ut sint Χαρίσια, quæ choris agebantur. W.) Nec Heinsii *ritu*, vel *ac rite* cuiquam placebit. Melius *cantu*. Blanditur sane Withofii *cœtus*. Suspicor tamen aliud latere. An forte: *Gens devota choros agitat, Grotique sacrato Ludunt festa die?* ut sic exprimere voluisse videatur Dionysii Ῥύσια, quod græcus interpres explicat χαριστήρια. Schr. His scriptis Schraderus alio tempore subjecit: *Cœtus* nunc incidit, favente Dionysio. Avienum *choros cœtusque* conjungere solere monuerat Withof. l. l. Wass. — Antiqua Ven. eamque sequens Pith. cum Hudsono dederunt *cratituque sacrato* corrupte: *rituque sacrato* Cusp. et Vad. quomodo et correxit Heinsius, qui ad Ovid. Metam. IV, 421, locum hunc corruptissimum vocat.—Idem quoque *ac rite* conjecit. — *Cantuque* voluit Vlitius ad Calpurn. II, 94, quia ibi in antiqua edit. simili mendo pro *cantibus* legitur *cratibus*. Vlitio adsentit Wassius ad Sall. et Burm. ad Nemes. III, 55, quo versu *ludi*, *cantus chorique* junguntur. Hudsonus etiam *crepituque* invenit. *Charitesque* conjecit, sed infeliciter, Daumius in Epist. ad Rein. LII, p. 140: *cœtusque* felicius Withofius, seu quis alius eruditus est, qui margini edit. Trogn. observationes, mecum communicatas, adlevit, isque conjecturam suam firmat collatis v. 752 et 1006. Sed præ omnibus placet Schraderi emendatio *gratique*, quia et Dionysii Ῥύσια bene exprimit, et vestigiis antiquæ scripturæ commode respondet.

709. *Ludunt festa. Ludit* Burm. ad Nemes. l. l. Credo, ut conveniret *agitat*. Sed talis variatio usitata est. Vid. Observ. Nostr. p. 84. Deinde sic rariora tritis commutantur. Ipse Avienus, v. 282: « certi laris inscia gens est, Nunc in dumosas erepunt denique rupes »; v. 1374: « Ergo et Nysæos dicit gens rite recessus, Et stata sollicito deducunt orgia ritu ». Miror vero neminem offensum esse invenusta repetitione *sacrato... sacra*. Schr. — *Visit*

Hinc Sporades crebro producunt cespite sese,
Densa serenato ceu splendent sidera cælo.
Nec minus adtolluntur Ionides insulæ ab alto.
Hic juxta Caunus, Samus hic Saturnia juxta,

sacra numen alumnum. Augustius hoc exprimit Virgilius l. c. *Ipse jugis Cynthi graditur*, etc. nempe dum instaurantur chori. *Alumnum numen* Deli vocatur Apollo, ut in ea natus, et singulariter cultus, sicut a Statio, Theb. III, 439: « Dele, times, magnique fidem testaris alumni ». Vicissim Delus Ἀπόλλωνος κουροτρόφος Callimacho dicitur, in Del. v. 2 et 276; et Claud. Cons. Prob. et Ol. v. 185: « Ad loca nutricis jam non errantis Deli ». Vid. superius, v. 319 et 619. W.

710. *Hic Sporades* dedit Vad.

711. *Densa serena toceus splendentia sidera cælo.* Corruptissime hic versus sic in Veneta expressus, et a Pithœo redditus est. Perpolivit denique editor exempli Madrit. hoc uno forsitan loco aliquid feliciter conatus, cujus scripturam reddidit Hudsonus: « Densa serenato ceu splendent sidera cælo ». Alii eruditi idem amplexi sunt, quos Schraderus nominat. Oddius tamen minore successu mutavit: « Sidera ceu cælo resplendent densa sereno ».— *Densa serenato ceu splendent sidera cælo* etiam correxerunt Wass. ad Sall. Jug. c. 12, p. 257, et magno verborum ambitu Withof. l. l. *Densa serenato ceu* in V. sed addiderat aliquis: Dele *ceu:* quod imperitiam arguit. Ipsa autem comparatio est Dionysii, v. 530 seq. Νῆσοι δ' ἑξείης, κ. τ. λ. Schr.

712. *Adtolluntur Ionides;* similiter supra v. 595, *adtolluntur Echinades.*

713. *Hic juxta Caunus, Samus hic.* Dionysius sic v. 533: Ταῖς δ' ἔπι νῆσοι ἔασιν Ἰωνίδες· ἔνθα δὲ Καῦνος, Καὶ Σάμος ἱμερόεσσα. Priscianus, v. 551: « Ioniasque simul: quas inter Caunus, et altæ Sunt Samos atque Chios ». Hudsonus ad Dionysii versum adnotat: « In uno MS Κῶος, quod recipiendum esse monet Hillus, aut legendum ἔνθα Κάλυμνα. Sed quum Κῶοι Dorici generis sint Straboni, et ἔνθα Κάλυμνα longius recedat, quin Caunus insula Ionica fuerit parva et ignobilis, non dubitat Ursinus, quoniam et alia aliis indicta habeat Dionysius ». Schraderus post hæc monet, eumdem ordinem observari apud Strabonem, pag. 186, B. Subsequuntur enim Cos, Samus, Chius, Lesbus, Tenedus, Imbrus, Samothracia. Unde vix dubitari posse videtur, quin apud Dionysium pro Καῦνος legendum sit Κῶος. Sed Κῶς contractum est ex Κόος. Vid. Salm. ad Sol. pag. 112, b. E. Inde adject. Κῶος. Vellem vel unum exemplum, in quo Κῶος esset priore producta. Interim in re incerta servaturus sum apud Avienum in contextu *Caunus*, quod et Priscianus, et omnes habent, excepto uno Dionysii codice. Schr. — *Samus hic Saturnia juxta.* Explicat Dionysius, qui v. 534 de Samo: Πελασγίδος ἕδρανον Ἥρης. Schr. — *Saturnia* dicitur ob Junonem ibi eximio cultu veneratam, vel ut alii putant ad ripas Imbrasi in hac insula natam. Virg. Æn. I, 19, de Carthagine: « Quam

Tumque Chius patulæ prospectans arva Pelinæ.
Lesbus item et Tenedus per aperti marmora ponti
Expediunt arces, et culmina nubibus indunt.
Hinc se piscosi pandit sinus Hellesponti.
Hic salis Arctoi spumas vomit impiger æstus,

Juno fertur terris magis omnibus unam Posthabita coluisse Samo ». Ed.

714. *Tumque Chius patulæ prospectans. Chios* habet Prisc. vs. 552, et V. Porro in textu Avieni scribendum puto *Pelinnæ*, ex Dionysio v. 535, secundum Salmas. ad Solin. p. 607, b. B. et nummis. Vid. Holsten. ad Steph. Byz. p. 249. Dubito autem, utrum mons sit, an campus. *Campo* favet τὸ *patulæ*. Sic enim Claud. VI Cons. Hon. 515: « Celsa dehinc patulum prospectans Narnia campum ». Omnes tamen pro monte acceperunt. Hinc bifariam legi posse arbitror « patula prospectans arva Pelinna » (cf. Tibull. I, 8, 19); vel « Chii patulæ prospectant arva Pelinnæ ». Addo et tertiam conjecturam: « patulæ prospectans arce Pelinnæ ». Nulla tamen harum mihi satisfacit. Nunquam enim ab Avieno aut Dionysio inter insulas soli montes insularum memorantur vel nominantur. Schr.— Quia *prospectari* vix dicitur, nisi de editiore loco in humiliora, hinc Avienus Pelinnam non de campo, ut Salmasius voluit, sed de monte acceperit, necesse est, *Pelinnam* vocans montem, quem Dionysius et alii Πελίνναιον. — Sed in meis exemplaribus est Πελληναίου, quod hic quidem prosodia excludit. Ed. — Et certe hoc adserit Dionysius ipse, qui v. 535: Καὶ Χίος ἠλιβάτου Πελληναίου ὑπὸ πέζαν, quod bene exprimit Papius in interpr. « Et Chios excelso sub vertice Pellenæo ». Ed. — Atque hinc *patulæ*, epitheton Pelinnæ, non patentem in planum, sed in sublime et late conspicuam significare potest. — Certe Noster τῷ *patulæ* adjectivum Dionysii ἠλιβάτου celsæ, arduæ, exprimere voluisse videtur. Ed. — His sensibus prior Schraderi conjectura aptior est cæteris. Neque tamen, ut in re dubia, mutare quidpiam in versu Avieni audeo. W. — *Chius* Cusp. Vad. Pith. *Chios* vult Oddius. *Pelinnæ* omnes edd.

715. *Lesbus item et Tenedus.* Accuratius Dionysius, v. 536: Κεῖθεν δ' Αἰολίδων ἀναφαίνεται οὔρεα νήσων Λέσβου, κ. τ. λ. Priscian. vs. 553: « Æolicæ post, et Lesbus Tenedusque sequuntur ». Cf. Herod. VI, 8, et ibi Wessel. Quum autem Avienus Dionysium sequutus *Ionicas* vs. 712 memorasset, et hic Æolicas memorare debuerat. Schr.

717. *Hic se* dedit Cusp. reliqui *Hinc se*, quod præfert Schraderus, quia Hellespontus a Tenedo se pandit, et Prisc. v. 554 habet *inde*.

718. *Hic salis Arctoi spumas vehit.* Pro *vehit*, emendo *vomit*, quod et offert A. Probandi gratia adeas Val. Fl. I, 687: « volat immissis cava pinus habenis, Infinditque salum, et spumas vomit ære tridenti ». Et Dionys. vs. 300, 539, 693, 981, quibus locis ἐρεύγεσθαι de fluminibus. Schr. *Spumas venit* exhibet Venet. cum Ortel. unde Pith. et Huds. *vehit*: sed Cuspin. et Vad. *spumas vomit*, atque id merito præfertur.

Hic protenta quatit late freta glauca Propontis.
Si quis læva dehinc Euxini marmora sulcet,
Ora Borysthenii qua fluminis in mare vergunt,
E regione procul spectabit culmina Leuces.
Leuce cana jugum, Leuce sedes animarum:
Nam post fata virum semper versarier illic
Insontes aiunt animas; ubi concava vasto
Cedit in antra sinu rupes, ubi saxa dehiscunt
Molibus exesis, et curvo fornice pendent.
Hæc sunt dona piis: sic illos Jupiter imis
Exemit tenebris, Erebi sic inscia virtus.
Rursum Cimmerius qua Bosporus ora patescit,

719. *Protenta quatit* omnes edd. Heinsius coojeceral *rapit.* Sed monet Schrad. vetare id Avienum, qui v. 128: « Obliqoomque quatil gurges proten[illegible] altum ». Tantum abest, ut ipse sic conjecerit, ut proditur io exemplo Amstelod.

720. *Marmora fulcet* Ven. ex qoo Pith. et sequentes fecerunt *sulcat,* sed melius Cusp. et Vad. *sulcet,* quod etiam in A. et V. esse adfirmal Schrad. atque adserit similibus locis, ubi sic construit Noster, ut v. 653, 659, 758, 1097; Or. Mar. 129, 178, 238.

721. *Ora Borysthenii fluminis.* Sic sup. v. 448: *Borysthenii vis fluminis.* Ovidio Pont. IV, 10, 53: *Borysthenius amnis.*

723. *Leuce cava jugum* Ven. et Cusp. vitiose. Emendarunt statim Camers ad Prisc. 558. Vad. et Pith. *cana.* — Vid. Excursus VII ad calcem hojus carminis. Ed.

727. *Molibus exesis, et curvo fornice pendent.* Ex antiquioribns hæc expressa. Ovid. Metam. XIII, 810: « Sunt mihi, pars montis, vivo pendentia saxo Antra ». Virg. Georg. IV, 374: « pendentia pumice tecta ». Calp. Ecl. VI, 68: « scopulisque cavum sinuaotibus arcom Imminet, exesa veluti testudine, concha ». W. — *Mollibus exesis* solos Pith. expressit, reliqui omnes *Molibus.*

729. Cusp. et Vad. sic legunt et distinguont *Exemit tenebris Erebi, sic inclyta virtus.* Sed profecto melius Pithœos lectionem Venetæ expressit: « sic illos Jopiter imis Exemit tenebris, Erebi sic inscia virtus ». Paria sunt hæc verbis Horatii, Epod. XVI, 63: « Jopiter illa piæ secrevit litora genti ».

730. *Qua Bosporus ora patescit.* Pro *ora* Hudsonus ex aliis, ut ait, profert *ore,* ut supra vs. 168. Sed Schraderus tuetur *ōra,* quia sic Veo. Pith. Trogn. et familiares Poetæ soot hujusmodi Græcismi. Quænam vero sint editt. exhibentes *ore,* ignorat. Ego Camertem invenio ad Prisc. 562 adfirmantem, legi posse *ore patescit,* eomque sequitur pro more Vad. in edit. Sed ambo fere perpetuo solent Græcismis Avieni offendi, eosque tollere conari. Unde nec hoc loco iis fides

Dexterior ponto subit insula, vastaque late
Excedit moles pelagus: sedet eminus ingens
Phænagore, et muros adtollitur Hermonassa.
Hæ maris infusi consurgunt insulæ ab alto.
Exterior queis unda dehinc, circumfluus et queis

habenda. Præterea antiquam scripturam *ora* etiam Cusp. servat.

732. *Excedit moles pelagus*. Sic pariter, Schradero notante, v. 241: « Excedit confinia sola Carambis ». Et v. 463: « Mœsus, et excuto post tergum cespite Thracas Plurimus excedit ». — *Sedet eminus ingens Phænagore*. Mihi etiam incidit, quod Hudsonus tentaverat, *sed et*, quia locus non satis apte videbatur cohærere; certe longe magis perspicua hic græca sunt v. 550 seq. Verum duriora, etiam quoad constructionem, poetæ potius linquenda, qui paullo ante: « spectabit culmina Leuces, Leuce cana jugum, Leuce sedes animarum ». Esse etiam videtur oppositio in istis: *sedet* Phænagore: *adtollitur* Hermonassa; *sedere* de locis planis. Vid. Lexica. Schr. Neque oppositio ulla in his verbis quærenda, neque *sedet* ullo modo sollicitandum est. Nam eo verbo, variandi caussa, non aliter utitur, quam alias verbis *est*, *stat*, *adstat*, *jacet*. *Sedet* Phænagore, h. e. jacet vel adstat; in ea insula, quam ante dixit *vasta mole pelagus excedere*; neque hic ullam duritiem constructionis animadverto. Quænam vero sit insula intelligenda, in qua Phænagore, monui ad Prisc. v. 565. Verbo *sedet* pari sensu usus est supra v. 563 de Peloponneso: « Insula, quæ platani folio compar sedet ». Et Sil. Ital. VIII, 508: « per udos Alba sedet campos », item, VI, 647; XII, 162. Verbo *adstant* utitur Noster v. 658 et pluribus locis. W.

733. Ven. scribit *Phanagore*: atque alii constanter *Phanagoriam* vocant hanc urbem, sine diphthongo. Schraderus propterea dubitat, an edendum sit *Phanagore*. — Sed diserte hoc loco Dionysius profert Φαιναγόρη, cujus incolas Ionia tellure oriundos memorat. Ed. — Ut hic *muros adtollitur*, sic et v. 672 *Carpathus hic rupes adtollitur*. Camers ad Prisc. 562 hic iterum vult *muris*, quem et sequitur Vad.

734. Narrat Schraderus, hunc versum in Ambr. omitti, sed tamen caussam omittendi nullam esse. Per mare *infusum* munet intelligi *internum*. Sic et v. 77: « Quatuor infuso late sale terga dehiscunt ».

735. Dubitandum non puto, quin Poeta scripserit: « Exterior queis unda dehinc, circumfluus et queis Æstuet Oceanus, quibus illæ flatibus omnes Culmina pulsentur, memori date carmine, Musæ! » Oceanus autem dici nequit *æstuare insulas*, sed *insulis*, ut Sen. Agam. 560: « æstuat scopulis fretum » Itaque probo viros doctos, qui legunt: *queis æstuet*: sed hoc amplius corrigi debuerat, ut dictum. Sic pervenusta erit pronominis eodem casu positi repetitio. *Culmina* pulsantur, est Græcismus, qualis: « dextrum genu lapide ictus: contusa pectus et genas » (vid. et v. 601, *transactus arundine membra*. W.), de quibus Heins. ad Claud. B. Gild. 135, qui et in vet.

Æstuet Oceanus, quibus illæ flatibus omnes
Culmina pulsentur, memores date carmine Musæ.

Propter Atlantei tergum salis Æthiopum gens
Hesperides habitant; dorsum tumet hic Erytheæ,

MS *culmina* correxerat: *carmine* firmat et probat Ambr. Alia mens est Oudendorpio in Misc. Obs. V. p. 70, qui versus istos sic constituit: « Exterior quas unda dehinc circumfluat, et quis Æstuet Oceanus, etc. » Scun. — Cusp. Vad. et Pith. hunc versum sic ediderunt: « Exterior quas unda dehinc, circumfluus et quas Æstuet Oceanus ». Duriore locutione offensus Huds. mutavit: « Exterior quas unda dehinc circumfluit, et queis Æstuet ». Oudendorp. in Obs. Misc. *circumfluat, et quis*, etc. sed, judice Schradero, *circumfluus* nulla de caussa mutarunt. Vir doctus in marg. Trogn. pro *Æstuat* notavit *Adluit*, quo sane mollior redditur constructio; sed deest auctoritas. Ego vero duriorem hanc constructionem, in qua scripti et excusi libri consentiunt, malim poetæ relinquere, atque eam explicatione juvare, ita ut *circum* in *circumfluus* regat accusativos *quas*: dehinc quas circum exterior unda, et circumfluus Oceanus æstuat. Interim ad meliorem intelligentiam recepi emendationem Schraderi. *Circumfluus* Oceanus est Horatio *circumvagus* Epod. XVI, 41. — H. e. quod Catullo, Epith. Pelei et Thet. dicitur: « Oceanusque mari totum qui amplectitur orbem ». Ed.

737. Vulgo *Culmine pulsentur*, ait Huds. et sic Cusp. Vad. Pith. dederunt: sed *culmina* recte cum Hudsono adserunt Oudend. in Misc. Obs. vol. V, p. 79, et Schr. Idem *pulsentur*, etsi Hudsonus male *pulsantur*. — *Memori date carmina Musæ* scribunt Cusp. Pith. Huds. Camers ad Prisc. 562 corrigit *memores date carmina Musæ*. Sed nondum confecta res est: nam *dare carmina* hoc loco non opportunum esse, recte monet Oudend. igitur *carmine* ponit, quod ipsum firmatur codice Ambr. notante Schrad. Rursus autem quod ille scribit, *memori date carmine*, non prorsus placet. Rectius *memores* cum Camerte scribi existimo. Nam *memores* Musæ, et *meminisse* dicuntur quum invocantur. Virgil. Æn. VII, 645: « Et meministis enim, Divæ, et memorare potestis ». Add. Ecl. VII, 19.

738. *Propter Atlantei... Hesperides habitant*. Probo lectionem Ambr. *Atlantei*. Abit Avienus a Dionysio et Prisciano, Æthiopibus tribuens insulas Hesperidas, quas forte petiit e versu 563 Dionysii; nisi quis velit versus in ejus libro hoc ordine lectos: 558. Ἤτοι μὲν ναίουσι· 563: Νήσους θ' Ἑσπερίδας· 559: Ἄτλαντος περὶ χεῦμα. Scun. Solet Avienus continentis terræ incolas cum vicinis insulis communicare, et supra v. 328 visus est Æthiopas in Cerne insula collocare. W.

739. *Hesperides habitat* Pith. et Huds. *habitant* legendum cum Withofio censet Schrad. quo modo versu 303 legitur: idem conjicit vir doctus, cujus notata ad marg. Trogn. habeo, et quem ipsum Withofium suspicor, ad quem provo-

16.

Hicque Sacri, sic terga vocat gens ardua, montis:

cat Schrad. Item *habitant* dudum exhibuerunt Cusp. et Vad. —*Tumet hic Erytheia.* Sic Pith. et Trogn. in Ven. *Erithya.* Huds. *Erythreia;* sed in Add. ipse corrigit *Erytheia.* Ego *Erythea.* — Et hoc adductis rationibus in not. ad vers. seq. probat Wernsd. Ed. —Sic Scaliger edidit Propert. IV, 9, 2: « Egerat a stabulis, o Erythea, tuis ». Sic correxit Ovid. Fast. I, 543: « Ecce boves illuc Erytheidas adplicat heros »; in notis enim D. Heinsii mendose editur *Eritheides.* Sic vulgatur Fastor. V, 649: « boves Erytheida prædam ». Nec aliter Silii, XVI, 195, N. Heins. et Drakenb. edere debuerant, non autem *Herculeas Erythia ad litora Gades.* Græca diphthongus ει in hujus generis nominibus transit in Latinum *e* productum, velut in *Alexandrea*, *Antiochea*, *Apamea.* In alia Drakenb. discedit ad Liv. t. IV, pag. 576, varie proferri ratus *Alexandria* et *Alexandrea.* Ego autem, præsertim in poetarum scriptis, *ea* prætulerim. Caussa, quod non tantum in præstantissimis scriptis, sed et in inscriptionibus et nummis reperitur. Vid. Ursin. ad Cic. de Div. I, cap. 4, et ad Att. XI, 15. Quid? quod numerus exemplorum, quibus *ia* firmatur, inventis novis codicibus in dies decrescit. Paulini Nolani Nat. Fel. XI, 84, olim legebatur: *Marcus Alexandria tibi datus;* nunc Mingarellus e Bonon. vulgavit *Alexandrea.* Conf. Burm. ad Propert. p. 592. Quis itaque dubitet, v. 1040 pro *Malos et Anchialia* reponere *Mallos et Anchialea?* Schr. — Posset tamen et hic proferri *Erythia*, utpote a græco Ἐρύθεια, quod profert Dionysius vs. 558, quia non tantum in *e*, sed et in *i* latine transit diphthongus ει. Sic, quæ Græcis Ἀκαδημεία, fit latine Academia penultima pariter longa. Vetustioribus quidem semper hæc syllaba producitur, licet deinde alii posterioris ævi poetæ corripuerint. Sic Claudian. Consul. Mall. Theod. vs. 94: « In Latium spretis Academia migrat Athenis »: sed Laurea Tullius, Ciceronis libertus, in epigr. de Academia Ciceronis villa: « ... Academiæ celebratam nomine villam ». Ed.

740. *Hicque Sacri, sic terga vocat.*—Pith. et Huds. cum Ven. dederunt *Hicque Sacre:* sed hoc stare non potest, quia neque latinum, neque græcum est. Cusp et Vad. *Hicque Sacri*, idque adeo referunt ad sequens *montis*, ubi tamen paullo impeditior constructio est. Hudsonus in Add. conjicit *Hicque Acre*, non male; idque adridet etiam Wassenberghio V. C. Sic tamen potior promontorii denominatio desideratur. Hinc Schraderus mavult a librario scriptum fuisse, *Hicque Sacr. e*, id est, *Sacra est*, sc. arx vel summa. Ego Cusp. et Vadianum sequutus scribendum putavi, ut edidi. Huds. lectioni *Acre* favent sequentia: sic *terga* vocat gens *ardua* montis. sed obstat lectio vulgata *Sacre:* Dionysius item, qui ἱερὴν ἄκρην memorat, et Prisc. apud quem v. 574: « Sed summam contra Sacram cognomine »: denique omnes scriptores, qui *Sacrum promontorium* vocant. Ipse suspicor, divisis literis olim scriptum fuisse: Sacr. e, id est, *Sacra est;* conf. Prisc. Dionys. 561: atque sic obtinebit ellipsis vocis ἄκρη, vel *arx*,

Nam protenta jugum tellus trahit : hoc caput amplæ
Proditur Europæ : genitrix hæc ora metalli,
Albentis stanni venas vomit : acer Iberus
Hic freta veloci percurrit sæpe faselo.

vel *summa*. Sic *Œstrymnis*, sc. arx Or. Mar. v. 91. *Sunias* v. 678. Dicat aliquis, hanc ellipsin exemplo nullo firmari (in adlatis enim voces sunt propriæ, non adpellativæ). Fateor; sed inauditum magis *Sacre*. Et cur non liceat Latinis, quod Græcis, quibus Ἱερὰ, pro Ἱερὰ νῆσος, *Hiera*. Schr. Expeditissimum est Cuspiniani et Vad. lectionem sequi. Scribo : « dorsum tumet hic Erytheæ, Hicque Sacri, sic terga vocat gens ardua montis ». Ea lectio nomen Sacri promontorii plene, atque ipsis fere verbis exprimit, præterea duorum editorum auctoritate fulta est; denique ab ipso Avieno confirmatur, qui Or. Mar. v. 108 eamdem constructionem eadem de re observavit : « Ast hinc duobus in Sacram (sic insulam Dixere prisci) solibus cursus rati est ». Pariter enim, ut hic voces *Sacram..... insulam*, sic ibi *Sacri... montis*, interjecto *sic dixere prisci*, *sic vocat gens*, dirimuntur. Si cui adhuc impeditior constructio videatur, is distinguat : « Hicque Sacri, sic terga vocat gens ardua, montis ». Nam *terga* ab Avieno simpliciter pro tellure vel promontorio poni, e versu 77 et aliis liquet. Cæterum in tribus versibus continuis *tergum*, *dorsum*, *terga* legi, merito offendat. W.

741. *Hoc caput amplæ Proditur Europæ*. Sic plane supra v. 104.

742. *Genitrix hæc ora metalli Albentis*. *Liventis* Ambr. Favere forsan videbitur Virgil. Æneid. VII, vs. 687, *Liventis plumbi*. Pariter autem *livens* in *labens* corruptum Progn. v. 252, ubi haud dubie legendum : « Aut ne liventi piceus color abdat amictu Lampada ». Sed stannum, κασσίτερος, *livens* dici nequit. Hom. Il. XXIII, 561 : φαεινοῦ κασσιτέροιο. Cæsar Bell. Gall. V, 12 : « Nascitur ibi plumbum album in mediterraneis regionibus ». Ipse Avienus, Or. Mar. de monte Argentario, v. 293 : « Stanno ipse namque latera plurimo nitet, Magisque in auras eminus lucem evomit ». Itaque mutare non sum ausus lect. *albentis*, quam Pith. Trogn. Huds. receperant. Schr. — *Albentis stanni venas vomit*. Loquendi genus simile nondum inveni. Ipsa vena aliis *vomere* dicitur metallum, ut *aurum* Claudian. in Seren. 75 : « oblatum sacris natalibus aurum Vulgo vena vomit ». Itaque legendum conjicio : « genitrix hæc ora metalli Albentis, stannum venis vomit ». Schr. — Hanc quoque Schraderi emendationem ut elegantiorem probat Wernsd. in not. sed in textum non recepit. Ed.

743. *Labentis stanni* scribunt Ven. V. Cusp. Vad. *liventis* Ambr. quod quia ad priorem scripturam prope accedit, non spernendum videtur.

744. *Iberus Hic freta veloci percurrit sæpe faselo*. Hoc de sua lectione addidit Avienus, quam pluribus verbis exponit in Or. Mar. v. 100 seqq. ubi Iberos memorat negotiandi studio Oceanum percurrere novo genere navigiorum, nempe *faselis*, uti ibidem vocat, e pellibus vel co-

Eminus hic aliæ gelidi prope flabra Aquilonis
Exsuperant undas et vasta cacumina tollunt.
Hæ numero geminæ, pingues sola, cespitis amplæ,
Conditur occidui qua Rhenus gurgitis unda,
Dira Britannorum sustentant agmina terris.
Hic spumosus item ponti liquor explicat æstum,
Et brevis e pelago vertex subit : hic chorus ingens
Feminei cœtus pulchri colit orgia Bacchi :

rio confectis : « Navigis junctis semper aptant pellibus, Corioque vastum sæpe percurrunt salum », plane ut hic loquitur. W. — *Hic freta* pro vulgato *Hæc* edidit Vad. quod mihi rectius videtur. Nam ante nullis de fretis sermo fuit, ad quæ respiciat *Hæc*.

746. *Exsuperant undas* Schraderus pro imitatione Maronis habet, Æn. II, 207.

747. *Hæ numero geminæ, pingues sola*. Similiter supra de Creta v. 675: « Multa latus, glebamque ferax, et opima virentum ». Nota variationem constructionis, qualis in hoc v. 330: « Corpora proceri, nigri cute, visceris sicci », et in Solino, p. 54, C. « sapore aspero, et amaritudinis miræ ». Schr. — Cusp. et Vad. ediderunt *pinguis sola cespitis ampla*. Melior tamen lectio Pithœi et cæterorum videtur.

748. *Qua Rheni gurgitis* habent omnes antiquæ. Bene Hudsonus correxit *occidui qua Rhenus gurgitis unda*. Verbum *Conditur* illustrat Schrad. locis Virgilii, Æneid. VII, 719 et 802.

749. *Dira Britannorum sustentant agmina*. Hoc testimonio Camdenus in Hibernia, p. 682, probat, Britannos in Ierne fuisse. Conf. Diod. Sic. V, 32. Schr. *Sustentant* interpretor *alunt*, quomodo supra v. 327: « Æthiopum populos alit ampli cespitis ora ». Add. v. 196, 415. *Diri*, vel *duri*, ut v. 418, vel *feroces* plerique populi ad Septemtrionem habitantes dicuntur. Et Rutil. I, 500: « Et quæcumque ferox arva Britannus arat ». W.

750. *Hic spumosus item*, Melius Dionysium vertit Prisc. v. 585: « Nec spatio distant Nesidum litora longe ». Schr.

751. *Et brevis e pelago vertex subit*. Avienus unam facit insulam cum Strabone, lib. IV, p. 303, B. Dionysius plures, ut et Prisc. v. c. qui nomen adpellativum (Nesides) mutavit in proprium. Porro in istis: « hic chorus ingens Feminei cœtus pulchri colit orgia Bacchi », omisit nomen gentis (Amnites expressit Prisc.), forte quia penitus ignotum, vel in codd. corruptum. Apud Dionys. 571 leg. Ναμνιτάων. Schr. Plures variationes observavit Huds. in not. ad Dionys. W. — *Brevis e pelago vertex subit*. Sic omnes edit. solus Vad. scribit *vortex*, in quo sine dubio erravit. Nam Avienus brevem insulam significat e pelago surgere. Sic etiam citat Camers ad Prisc. 585, quamvis hic litus quoddam continentis, in æquor porrectum, intelligere videtur.

Producit noctem ludus sacer: aera pulsant
Vocibus, et crebris late sola calcibus urgent.
Non sic Absinthi prope flumina Thracis alumnæ
Bistonides; non, qua celeri ruit agmine Ganges,
Indorum populi stata curant festa Lyæo.

753. *Producit noctem ludus sacer.* Val. Flacc. I, 251: « Dulcibus alloquiis ludoque educite noctem ». Ad hunc locum Burm. citat Stat. Theb. VIII, 219: « vario producunt sidera ludo Ante domos »; item Nostrum: « Producit noctem ludus sacer ». Sed aliud est *noctem* vel *sidera ludo producere*, et aliud, ubi ipse *ludus* dicitur noctem *producere*. (Nempe ludus ad multam noctem durat; peragi solet, pervigilium celebrat.) Usum verbi *producere* multis locis, etiam nostro Avieni, adductis probavit Brouckh. ad Propert. I, 3, 39, p. 16. Schr.

754. *Crebris sola calcibus urgent.* Idem est, ac quod Horatius, Carm. I, 4, 7: « Alterno terram quatiunt pede ». Etenim *calces* hic simpliciter pro pedibus accipio, quomodo Heynius ad Virg. Æn. V, 324. W. — Sed proprie de equis dici notat Burm. ad Anth. III, 171. Silius, IV, 142: « Ictu quadrupedis fulva porrectus arena Elisa incussis amisit calcibus ora ». Phædrus, Fab. I, 21, 9: « Calcibus frontem exterit », ubi male in quibusdam edd. *extudit*. Virgilius, de equo moriente, Æn. X, 892: « ... calcibus auras Verberat, ejectoque incumbit cernuus armo ». Ed. — *Urgent* hic non satis aptum videtur. Ed.

755. *Non sic Asynthi* exhibet Pith. sed melius Cusp. *Absinti*, et Ved. *Absinthi*. Camers ad Prisc. 586 *Asynthi*, quomodo reliqui. Porro omnes *prope flumina Thraces et almæ Bistonides*, quod certissima conjectura Schr. emendat. — *P. fl. Thraces, et almæ Bistonides.* Ocius corrige, convenienter Dionysio: « Non sic Absinthi prope flumina Thracis alumnæ Bistonides ». Correctionis caussas late exposui in Observ. p. 40-42. Schr. Ex his tantum duo loca repeto, quibus *Absinthi alumnæ* illustrentur. Stat. Theb. XII, 181: « Quo Rhodopes non ulla nurus, nec alumna nivosi Phasidos, innuptis vallata cohortibus iret ». Claud. IV Cons. Hon. 211: « Eurotas proprios discernere nescit alumnos ». W.

756. *Non qua celeri ruit agmine Ganges.* Ambr. habet *celebris*, qui videtur voluisse: *celebri ruit agmine*. Et sic quidem tollitur repetitio ejusdem vocis v. 758; dubitari etiam potest, an Ganges *celer* dici possit, ob Virgilii locum, Æn. IX, 30, et Claud. Cons. Mall. v. 236: *celebri* tamen agmine minus blanditur, quam *celeri*: *ruit* etiam congruit *celeri*, non *celebri*. Itaque vulgatum servandum, quum Ganges etiam celer aliis, ut Lucano, VIII, 227; Plin. VI, c. 22. Schr.

757. *Stata curant festa Lyæo.* Sic Cic. pro Balb. cap. 24: « Sacra Cereris, quum essent adsumpta de Græcia, per Græcas semper curata sunt sacerdotes ». Schr. Sic ipse Noster supra v. 705: « fatidico curant solennia Phœbo ». Cæterum, quam dubium mihi videatur, Bacchum in his insulis ad septentrio-

Longa dehinc celeri si quis rate marmora currat,
Inque Lycaonias cymbam procul urgeat Arctos,
Inveniet vasto surgentem vertice Thulen.
Hic quum plaustra poli tangit Phœbeius ignis,
Nocte sub illustri rota solis fomite flagrat
Continuo, clarumque diem nox æmula ducit.
Nam sol obliquo torquetur cardine mundi,
Directosque super radios vicinior axi

nes cultum, jam aperui in not. ad Prisc. v. 585. W.

758. Editio Pithœi altera Lugd. vitiose hic exhibet *celeri si quas rate*. Error ortus inde, quod in prima Paris. per compendium scriptum erat *si qs rate*. Recte enim priores Cusp. et Vad. *si quis*.

759. *Inque Lycaonias... urgeat Arctos*. Fere iisdem verbis in Or. Mar. v. 130: « si quis dehinc... lembum audeat Urgere in undas, axe qua Lycaonis Rigescit æthra ». Schr. Conf. v. 1340, et supra v. 54. W.—Cusp. mendose *urgeat Arcto*: reliqui omnes *Arctos*.

760. *Invenit et* dedit Ven. et Cusp. Camers ad Prisc. 589 correxit *Inveniet vasto*, quod et reliqui habent. Porro *Thylen* scribit Pith. et Huds. *Thulen* habent Cusp. et Vad. eamque scripturam præfert Schrad. provocans ad Salmas. Exerc. Plin. p. 877. a. F.

762. *Rota solis fomite flagrat Continuo*. Diurnam lucem continuat in noctem. Hoc de terris borealibus constanter adfirmant scriptores veteres. Tacitus, Agric. cap. 12: « Dierum spatia ultra nostri orbis mensuram, et nox clara, et extrema Britanniæ parte brevis, ut finem atque initium lucis exiguo discrimine internoscas ». Idem in Germ. cap. 45: « Trans Suionas... extremus cadentis jam solis fulgor in ortus edurat adeo clarus, ut sidera hebetet ». Huc etiam referas Juvenal. II, 161: « minima contentos nocte Britannos ».

763. *Continue* Vad. sed reliqui omnes *Continuo*, quod melius videtur.—Porro *clarum diem nox æmula ducit* idem est, ac *præcedit*, ut *Lucifer ducit diem* ap. Virg. Æn. II, 802. W.

764. *Nam sol obliquo torquetur*. Sic supra, v. 357: « Prodidit obliquo solem decurrere cælo ». Huc faciunt verba Plinii, lib. II, cap. 77: « Minora intervalla esse lucis inter ortus solis juxta solstitia, quam æquinoctia, adparet: quia positio Signiferi circa media sui obliquior est, juxta solstitium vero rectior ». W. — *Nam sola obliqui* exhibent Cusp. et Vad. Rectius Pith. *Nam sol obliqui*. Præfero tamen, quod Hudsonus dedit *Nam sol obliquo torquetur cardine mundi*.

765. Velim equidem: *Directosque super radios, vicinior axi, Assidue inclinat*. Neque tamen huic conjecturæ nimium ipse tribuo. *Axis* vero ponitur pro septemtrionali seu polo arctico. Virg. Georg. II, 271; Cic. Tusc. I, cap. 28; Ovid. Pont. IV, 7, 1; Manil. IV, 789. Schr. — *Decretosque super radios* habent Ven. Cusp. et Vad. Sed verum est, quod Pith. et Huds. expresserunt, *Dire-*

Occiduo inclinat, donec juga rursus anhela
Devexo accipiat cælo Notus. Inde fluenta
Tenduntur Scythici longe maris in facis ortum
Eoæ: tum cyaneis erepit ab undis

ctosque. Cogit hoc Dionys. v. 585: Ἀκτίνων ἰθεῖαν ἐπὶ κλίσιν ἐρχομενάων.

766. *Occiduo*, quod vulgatæ omnes habent, offensus videtur Schraderus, cujus conjecturam vide ad notam superiorem. Nec hoc admirandum: nam necessario videtur Avienus septemtrionalem partem, non occiduam, nominare debuisse. Et Priscianus, v. 590, diserte nominavit: « quum scandit ad axes Signiferi, Boreas succendens lampade partes ». Nec tamen *occiduo* movere audeo. Nam *occiduum axem* etiam v. 673 dicit, et hoc loco videtur Avienus aut occiduum axem miscere boreali, cum eoque unum facere, aut occiduum pro meta vel initio cursus solaris ad Septemtrionem tendentis habere. Ipse enim se explicat, et clarius loquitur Or. Mar. v. 655: « Quum lumen axi Atlantico inclinaverit, Ut in supremos ignem Hyperboreos agat ». Axis Atlanticus et occiduus idem est. — *Inclinant* scribunt Ven. et Cusp. rectius reliqui *inclinat.* — *Donec j. r. a. Devexo accipiat.* Juga anhela accipio de equis Solis quasi fatigatis et anhelantibus e continuo adscensu in axem borealem, quem erectum et altiorem fingebant Veteres, devexum contra vel depressum australem. Sic *Orientis anheli equi* dicuntur Virg. Georg. I, 250, quia adscendentes in superiores oras quasi e fatigatione anhelant. Et Ovid. Metam. IV, 632: « pontus, qui Solis anhelis Æquora subdit equis, et fessos excipit axes ». Jam *juga* pro equis vel bobus jugo junctis dici, vulgatum est. Vid. Ovid. Met. XII, 432. W.

768. *In fasis ortum* Ven. unde Cusp. legit *in phasis ortum:* sed ne forte *Phasidis* fluvii Colchorum ortum intelligas, prohibet prima correpta. Rectius igitur Pith. et Huds. legunt *in facis ortum.* Vadianus plane aliter, atque ex antiqua scriptura *fasis* vel *phasis* effecit *in salis oras Eoi.*

769. *Eoa et ut coeaneis se repit ab undis.* Cum Salmasio in Exerc. Plin. p. 700, b. C. sic legimus: « in facis ortum Eoæ, qua cyaneis erepit ab undis Insula », aut sic: « ortus Eoos, ubi cyaneis, etc. » Huds. Castigandum est: « Eoæ, tum cyaneis erepit ab undis Insula ». Nunc circumfertur, *in facis ortum Eoa et ut coeaneis.* In veteri codice bibliothecæ Ambros. inveni *Eoa et cum cyaneis.* Heins. ad Val. Cat. Dir. v. 40, in Burm. Anthol. II, p. 658. Ego Heinsium sequor ex Ambros. castigantem: *Eoæ: tum cyaneis erepit.* In ipso codice legebatur quidem *cum*; sed *cum* et *tum* vix discerni queunt. Deinde *tum* sequente consonante poni solet, *tunc* sequente vocali. Vid. v. 449, 463, 423. *Erepit insula* rarissimum est. Statius, Silv. II, 2, 30: « Inde per obliquas erepit porticus arces ». Schr. — Corruptissima scriptura Venetæ et Pith. « Eoa et ut coeaneis se repit ab undis », varias emendationes et conjecturas peperit. Cuspin. scribit « Eoæ, tunc Oceani se repit ab undis ». Vad. « in

Insula, quæ prisci signatur nominis usu
Aurea, quod fulvo sol hic magis orbe rubescat.
Contemplator item, ceu se mare flectat in Austrum,

salis oras Eoi, post Oceani surrepit ab undis ». Propius ad veritatem recentiores. Alius vir doctus in marg. Trogn. notaverat : « in facis ortum Eoæ Oceani canis erepit ab undis ». Equidem Schr. lectionem sequor. Eadem corruptio in voce *cyaneus* occurrebat supra v. 370. Heinsium ea loca Avieni in margine sui exemplaris, tum prolixius in notis ineditis ad Val. Cat. Diras emendasse scribit Burm. Anthol. Lat. t. I, p. 64. — Prima quidem in Cyaneis corripienda videtur. Certe Sinetius et Gruterus ad Epigr. a Burmanno adductum adnotant hanc in Cyane, Nympha ac fonte Siciliæ, unde *Cyaneæ undæ*, corripi Ovid. Met. V, 412, et passim; unde singulare sit hoc in versu primam in Cyaneis longam occurrere. Sed monendum numquam apud antiquos poetas primam in *Cyane* produci, in adjectivo autem *Cyaneus* nullibi correptam inveniri. Idem Ovid. Pont. II, 10 : « Quaque suis Cyanen miscet Anapus aquis ». Sic apud Claud. Rapt. Pros. III, 246 : « ...mediis invenimus arvis Exanimem Cyanen » ; et sic sæpe apud alios. At in altero ipsius Ovidii loco, Met. IX, 453 : « Cognita Cyanee præstanti corpora forma ». Apud Statium, Theb. V, v. 357 : « oraque primum Cyaneis arctata vadis » ; Lucan. II, 716, de Cyaneis cautibus, « Cyaneas tellus emisit in æquore cautes ». En.

772. *Contemplator item*, formula est Virgilii, Georg. I, 187, et ante hunc Lucretii, II, 113; VI, 188, ut notat Schrad. Sed eadem Avienus sæpius utitur, ut in Phænom. v. 880 : « Contemplator enim geminæ rutilantia formæ Viscera » ; et Progn. 163 : « Contemplator item, seu plenum luminis orbem Cynthia distendit, etc. » item v. 494 : « Contemplator item, si longo plurima ponto Agmina festinant volucrum ». W. — *Contemplator item ceu se mare in Austrum*. Sic dabat ed. Pith. mendoso eum hiatu : Scal. supplevit *tollat in Austrum*. Edit. Madr. in margine : Deest *fundat*, vel *vertat*, vel simile verbum. Hudsonus in notis : Locum restituit Salmasius in Exercit. Plin. pag. 783 : « Contemplator item qua se mare tendit in Austrum, Inque Notum... cærula curvat ». Oudendorp. in Obs. Misc. V, p. 78, dubitat, an adstipuletur Salmasio, *tendit* supplenti, quia paullo ante præcessit : « inde fluenta Tenduntur Scythici maris ». Heinsii et Withofii conjecturæ parum sunt probabiles : *madidum ceu se mare in Austrum ... verses*, vel *cernes, ut se mare in Austrum ..... ceu se cursu mare in Austrum*. Posses etiam : « Contemplator item, tepidum ceu se mare in Austrum », ut *tem* per compendium fuerit scriptum pro *tepidum*, idque præcedente *tem* ob similitudinem neglectum : *tepidus* ita Auster dicitur v. 1222, et Prisc. v. 595. Sed probabilius est *verbum* deesse; quodnam autem, sine libris definire temerarium est : æque enim possis *flectat in Austrum*. In similibus autem synonymia duplex fere verbum reperitur, ut v. 646.

Iuque Notum Oceanus freta ponti cærula curvet:
Altaque Coliados mox hic tibi dorsa patescent
Rupis, et intenti spectabis cespitis arces.
Pro quibus ingenti consistens mole per undas
Insula Taprobane gignit tetros elephantos,
Et super æstiferi torretur sidere Cancri.

647, 653, 654, 758, 759. Ut nt est, *ceu* non moveo: vetat enim Poeta, Phæn. 196: « Adspice, ceu rutilis flagret lux Gnosia flammis »; et v. 1147: « Inspice, ceu dextra referatur ab æquore plauta ». Peccant igitur omnes, qni mutant, præcipue Hudsonus, qui in contextum e Salmasii sententia recepit: « Contemplator item qua se mare tendit in Austrum ». SCHRAD. — Vir doctus in ora edit. Trogn. notaverat: *Contemplator item verses, ut se mare in Austrum*, vel etiam *cernes ut se*. Hic *contemplator* pro substantivo accepit. Sed his conjecturis omnibus levare interpretes poterat inspectio edit. antiquarum. Cuspin. baud dubie ex meliore codice, edidit: « Contemplator item ceu se mare flectit in Anstrum ». Vadiauns nihil mutat, præter *flectit*, pro qno rectius *flectat* ponit, convenienter sequenti *curvet*. Atque hæc est ipsa emendata lectio, quam Schraderum quæsivisse videmus.

773. *Curvet* legunt Ven. Cuspin. Vad. Pith. *curvot* Salm. et Huds. ut accommodent præcedenti *tendit*, vel *flectit*.

774. *Coliados* Cusp. at Vad. *Coliadis* Pith. Huds.

775. Pro *intenti*, qnod vulgatæ habent, Hudsonus malit *extenti*, quod probat Schrad. et firmat vs. 388, 462, 1229; sed Avienus vocibus *intentus*, *protentus*, *extentus* promiscue uti solet, ut vs. 335, 424, 741.

776. *Pro quibus*, i. e. ante vel juxta quas arces. Sic correxit Camers, quum ante in Cusp. legeretur *Proh quibus*.

777. Penultima in *Taprobane* ab Avieno et reliquis corripitur, producitur contra ab Alexandro Lychno apud Steph. Byz. De Taprobane porro vid. Bochart. G. S. lib. I, cap. 46. SCHR. — *Tetros elephantos* vocat auctore Lucretio, V, 1301: « Inde boves Lucas turrito corpore tetros Anguimanos, etc. » et hoc adnotavit Schrad.

778. *Et super æstiferi torretur sidere Cancri*. In V. *subter*: voces autem sæpe permutantur. Pro *sidere* in Ven. et A. *sidera*. An ex duabus lectionibus concinnanda verior: « Subter et æstiferi torretur sidera Cancri? » *Subter* cum acc. v. 591: « Axe Noti rigidas subter rupes Aracynthi, etc. » tamen vix placet: *torretur subter sidus Cancri*. Sed nec *super* ferri potest. SCHR. — Nimirum haud dubie legendum: *At super æstiferi torquentur sidera Cancri*, a Dionysii v. 595: Ἧς ὕπερ... Δινεῖται κατὰ κύκλον ἐν αἰθέρι καρκίνος αἴθων. WASSENB. Antiquæ edd. Cusp. Vad. exhibent *super æstiferi torretur sidera caneri*. Hoc perperam accipientes posteriores Pith. et Huds. scripserunt *sidere Cancri*, atque *Subter*... *sidera* conjicit Schrad. Sed fortasse

Hæc immensa patet, vastisque extenditur oris
Undique per pelagus: latus autem protinus olli
Agmina cetosi pecoris, vaga monstra profundi,
Adludunt : fervent Erythræi marmora ponti

male sollicitatur *super sidera*, et Avienus significare voluit, Taprobanem esse supra vel ultra Tropicum Cancri, ideoque torreri æstu, quod verum est, atque etiam videtur verbis Dionysii convenire, qui quum versu 595 ait, ἧς ὕπερ δινεῖται Καρκίνος, supra Taprobanem versari Cancrum in orbem, non aliud dicit, quam Avienus, quia pro diverso, quem constituas, termino, Taprobane supra Cancrum, et Cancer supra Taprobanem dici potest. Interim receptam a recentioribus, tamquam emendatiorem, lectionem nolim abjicere, *super æstiferi torretur sidere Cancri*, quia forte Avienus eodem modo Dionysium interpretatus est, quo Priscian. v. 597: «jacet hæc sub sidere Cancri». Sed hac in lectione *super* accipiendum est pro adverbio superne, vel desuper, quomodo sæpius Noster, ut v. 416, 765: et clarius Or. mar. vs. 653: «Septemtrione qui super posito rigent». Pariter infra vs. 1290: «Namque alii dura pulsantur desuper Arcto».

779. *Hæc immensa patet.* Diversas diversorum sententias collegit Bochart. l. c. p. 693. Add. Wessel. ad Diod. Sic. II, 55. SCHR.

780. *Latus aut protinus olli.* Sic corrupte edidit Pithœus. Apta Hudsoni correctio est, qui pro *aut* emendavit *autem*. Comparari cum hoc de cetis loco merentur versus Val. Fl. VI, 664: «Ac velut ante comas ac summa cacumina silvæ Lenibus adludit flabris levis Auster; at illum Protinus immanem miseræ sensere carinæ». Versu 782 verba: «fervent Erythræi terga profundi Tota feris», per parenthesin ponenda arbitror. SCHR.—Vir doctus in marg. Trogn. conjecit *Undique per pelagus latitant, aut*, vel *saliunt, aut protinus*, quia sic etiam Prisc. 598: «saliunt densissima cete». Sed breviore via emendandum *latus autem protinus olli*, quod unice verum est, sed jam olim a Cuspiniano et Vadian. perscriptum, item in cod. Ambr. inventum est.

781. *Agmina cetosi pecoris*, pecus vocari solent pisces magni maris. Lucretius, II, 342: «mutæque natantes Squamigerum pecudes». Horat. Carm. I, 2, 7: «Omne quum Proteus pecus egit, etc.» Virg. Cir. 486: «avidum pecus Amphitrites». Claud. in Ruf. I, 279, «Neptuni pecus». Auson. in Mos. v. 135: «Nunc pecus æquoreum celebrabere, magne Silure». Livius Andron. apud Nonium: *lascivum Nerei simum pecus Ludens*, etc. Nomine *cetosus* vix alium usum esse reperio, præter Nostrum, qui et in Phæn. v. 1310, *cetosa viscera* pro ceto, astro cælesti ponit.—*Vaga monstra profundi.* Sic frequentissime vocari solent poetis, ut et portenta, ceti, pristes, balænæ. Horat. Carm. I, 3, 18; Virg. Æn. VI, 729, VII, 780; Val. Cat. Dir. v. 55; Halieut. Nemes. v. 65 (huj. op. tomo I, pag. 234. ED.); Claud. Stil. II, 28, III, 360. W.

782. *Erythræi marmora ponti.* Sic vocat mare quod Latinis Rubrum dicitur; quod a Solis repercussu ta-

Tota feris: hæc, ut rigidi juga maxima montis,
Nubibus adtollunt latus omne, et terga tumescunt:
Instar in his rupis spinæ tenor arduus adstat,
Molibus in celsis scrupus quoque creber inhorret.
Ah! ne quis rapidi subvectus gurgitis unda

lem reddi colorem, alii ab arena terraque, alii talem ipsius esse naturam existimarunt; vel, ut alii, quorum verior videtur sententia, a rege Erythra, cujus sepulchrum in Ogyri insula ejusdem maris erat. Et ipse Dionysius huic opinioni favet v. 607, quem Avienus exprimit: « Regis Erythræi tellus hæc nota sepulchro ». Ed.

783. *Rigidi juga maxima montis* legit Cusp. Pith. et Huds. sed *montes* Vad. et sic citat Nic. Anton. Bibl. Hisp. II, p. 158. Utraque lectio probabilis, præferam tamen priorem.

784. *Nubibus adtollunt latus omne.* Costarum altitudinem hic describi monet Salmas. Exerc. Plin. p. 406. Sic Oppiano, Halieut. V, 65, ceti dicuntur βαρυνόμενοι μελέεσσιν ἠλιβάτοις, gravati membris vastis, instar montium: nam ἠλίβατος apud Homerum aliosque poetas rupium et montium epitheton est. W.— *Nubibus attolent* vitiose Cusp. pro *adtollunt.*

785. *Instar in his rupis spinæ tenor arduus.* Spinam cetorum esse quasi continuam et excelsam rupem ait, duritiem saxeam simul et altitudinem belluarum exprimens. Hinc *scopulosa cete* dicuntur Statio, Ach. I, 55: et Val. Flacc. II, 518 de Pristi: « Illa simul molem horrificam, scopulosaque terga Promovet », quamquam Heinsius et hic, et apud Statium legere mavult *scruposa.* Similiter belluæ marinæ, a Perseo interfectæ, *terga cavis super obsita conchis*, pro squamis, dicit Ovid. Met. IV, 725: quod in primis convenit cum sequentibus *scrupus quoque creber inhorret.* Supra v. 622 occurrebat *inhorrens Corsica silvis*, ubi vide adnotata. W.

786. *Molibus in celsis rupis quoque.* Sic Pith. vitiose e Ven. edidit. Heins. ad Val. Fl. II, 518, pro *rupis* emendat *scrupus.* Ita etiam in Ambros. et sic dudum exhibuit Merula in Cosmogr. p. 119. Eaque lectio firmatur loco ipsius Avieni, Or. mar. 137: « creber his scrupus locis, Rigidæque rupes, atque montium minæ ». Schr. — *Molibus in celsis rupis quoque* dedit Hudsonus, voce *rupis* e priore versu repetita, sed scribendum *scrupus quoque.* Et sic dudum ediderunt Cusp. et Vad. Pariter versu 809: « Et scaber in multis scrupus riget ».

787-789. *Ah! ne quis rapidi.* Secuti sumus Pricæi conjecturam in notis ad Apul. Mil. p. 59 (95). Adde Heins. ad Val. Flacc. II, 518, ubi pariter hunc locum sic castigat. Porro *subvectus* habet V. id autem jam reduxit Merula, Cosmograph. p. 120, et post eum complures alii. *Hæc in* v. seq. præbet V. et sic legit Merula, Pric. alii: *sali* pro *salis* habet A. idque ego recipio. Totum ergo locum sic exhibebo, ut eum exhibuit Huds. nisi quod pro *salis* e cod. probo *sali.* Schr. Locum hunc etiam recitat, ut eum Pricæus emendavit, Nic. Antonius in Bibl. Hisp. t. II, cap. 9, p. 158: atque inde

Hæc in terga sali lembum contorqueat umquam :
Ah! ne monstrigenis, hostem licet, inferat æstus
Fluctibus : immodici late patet oris hiatus
Quippe feris, antro panduntur guttura vasto;

significationem aliquam amoris Christiani erga hostes elicere conatur, quum contra Pricæus eum locum inter alios poetarum, quibus mos gentilium hostibus male precandi probatur, produxerit. Sed frustra sic concludi ab Antonio, monstravi in Proœmio ad Avienum. Hic tantum addo, e correctione, qua Vadianus totum locum conformavit, sensum plane ethnicum enasci, et Nic. Antonii interpretationem eludi. Hic enim legit: « Ac ne quis rapidi subductus gurgitis unda Hæc in terga salis lembum contorqueat unquam, Antea monstrigenis hostem, licet, inferat æstus Fluctibus ». Hoc est : Ac ne quando eveniat, ut quis casu et per imprudentiam subductus, ablatus, gurgite in istud mare periculosum deferatur, licet antea permittere, aut curare, ut æstus hostem aliquem monstrigenis fluctibus inferat. W.—Pithœus edidit (e Veneta, opinor), *An æquis rapidi subtectus*. Pro quo Cusp. legit, *An ne quis rapidi subtectus*. Camers ad Prisc. 599: *Hac ne quis rapidi subtectus gurgitis undam*. — Schrad. citat *Ah! ne* e Veneta, quod Werns. est contrarium. Ed.

788. *Nec in terga salis* præbent Ven. Cusp. Pith. quo exemplo *nec*, breve alioquin, subinde produci a poetis probare vult Dausius ad Paul. Petr. p. 348. Sed *Hæc in terga* scribit Camers ad Prisc. et Vad. cum cod. V. sequentibus aliis.

789. *Aune monstrigenis* Ven. et Pith. *An e monstrigenis* Cusp. *Aut se monstrigenis* Camers, l. c. *Antea monstrigenis* Vad. Sed Hudsonus e Pricæi emendatione substituit *Ah, ne monstrigenis*. Et Pricæus eam formulam confirmat e Virg. Georg. II, 252 : « Ah nimium ne sit mihi fertilis illa ». Mihi manifestior imitatio Virgiliana adparere videtur ex Ecl. VI, 77, ubi in simili Scyllæi monstri descriptione, eadem exclamatio locum habet : « Ah! timidos nautas canibus lacerasse marinis ». *Monstrigeni fluctus* sunt fecundi cetorum, quos supra *monstra profundi* vocaverat v. 781. Idem est *belluosus Oceanus* Hor. Carm. IV, 14, 47, et Avieni Or. mar. vs. 204. —Similiter et Nostro Oceanus cetosus dicitur, infra v. 1357 : « Colis et ipsa dehinc cetosi vergit in æquor Oceani ». Ed.

790. *Immodice late patet* omnes quidem antiquæ edd. exhibent; bene tamen emendavit Hudsonus *immodici*, quia duo adverbia sic conjungi, ineptum videtur, et *immodici* consensu codicum A. et V. firmari narrat Schrad. Similiter v. 168 : « immodico sinus ore patescit », et v. 200 : « parci Faucibus oris hiat ».

791. *Antro panduntur guttura vasto* Antra et specus dicuntur immanium belluarum fauces et alvi. Phædrus, IV, 5, 10 : « Capacis alvi mersit tartareo specu ». Prudent. Cathem. VII, 115 : « Alvi capacis vivus hauritur specu ». Vid. Drakenb. ad Sil. VI, 276. W.

Protinus hac ipsas absorbent fauce carinas,
Involvuntque simul mox monstra voracia nautas.
Ogyris inde salo promit caput, aspera rupes,
Carmanis qua se pelagi procul invehit undas;

792. *Protinus hæc ipsas*. Heinsius quidem conjecit *hac* (quod Werusdorfio placet), nescio tamen, an vulgatum *hæc* potius tuendum sit e Dionysio. Bochartus, Hieroz. P. II, pag. 742, graviter notat fabulas, fingentes ipsas etiam naves simul cum viris a monstris absorptas. Sena.—Sed verius Nemesian. Halieut. vs. 66: « miseros nautas navesque morantur euntes ». Ed. — Propter angustos gulæ meatus, quos ceti seu balænæ habent, Bochartus, l. c. adfirmat, ipsas naves a cetis absorberi, fabulæ monstrum esse, quovis ceto portentosius. W. —Pro *absorbent* Ven. *absordent* vitio manifesto, quod tamen repetiit Pith. *absorbent* Cusp. Vad. et reliqui.

793. *Involvuntque sinu* conjecisse Schraderum tradit Friesem. ego nusquam inveni: *vorantia nautes* exhibet Ven. in quo dubium est, *nantes* an *nautas* voluerit: *nantes* dederunt Pith. et Huds. *nautas* Cusp. et Vad. quod placet aliis, et sane propter præcedens *simul*, quod ad *carinas* refertur, magis aptum videri debet. Sic enim pari in argumento Virg. Ecl. VI, 76 seq. *rates* et *nautas* conjungit. Et brevius Prisc. v. 602: «Quippe solent pariter navem sorbere virosque»: *monstra natantia* citat Bochart. de anim. S. S. P. II, p. 742: sed *voracia nautas* esse in Ambr. testatur Schrad. et utrumque adfirmat fidenter se in textum illaturum esse, quum præsertim hæc uniee firment Dionys. 603, et Prisc. 602. Oddius etiam legit *voracia*, atque ego invenio hoc nomen magis ex usu Avieni esse, ex. grat. in loco plane simili, v. 639: « miserandaque fata Involvere salo fluctuque hausere voraci Sæpe rates ».

794. Distinguo: *Ogyris inde salo promit caput aspera, rupes Carmanis* ne duo epitheta concurrant; *asperam* fuisse patet e v. 797. Heinsius ad Ovid. Met. VIII, 142, carminis legem violari videns, corrigebat: « Carmani qua se pelagi, etc. » Sed Avienus dedit « . . . rupes Carmanis qua se pelagi procul invehit undis ». Nam Dionysius, v. 606: Καρμανίδος ἔκτοθεν ἄκρης Ὤγυρις, et Prisc. 604: « Ulterius pergas si post Carmanida summam ». Paria dudum notavi in Observ. p. 48. Schrad.— *Ogyris inde salo*. In nomine consentiunt Dionysius, Prisc. Mela, Plinius, Steph. Byz. Suidas. (Curtius insulæ nomen habet. Itaque non erat, quod de eo dubitaret Vossius ad Mel. p. 846, ed. Mel. Gron. Apud alios male corruptum est, ut Arrian. Ind. 37; Strabon. p. 1111. Scha.

795. *Carmanidis* habent omnes vetustæ, ideoque adduxerunt præcedenti *rupes*: *Carmani* legit Heins. ad Ovid. Met. VII, 142, adeoque *Carmanum pelagus* dici putavit, Græcis non inspectis. At *Carmanis* legendum Schraderus pridem in schedis notavit, post in notis, quas exhibemus, et in Observ. p. 48 demonstravit. Hæc emendatio utique verissima, siquidem *Carmanidis* legem carminis violat. Ego vero *Car*-

Regis Erythræi tellus hæc nota sepulcro
Tenditur, et nudis juga tantum cautibus horrent.
Persicus hinc æstus fauces hiat: insula rursum,
Si tamen in Borean flectantur carbasa cymbæ,
Icarus aerio consurgit vertice in auras,
Icarus ignicomo Soli sacra; namque Sabæi
Turis ibi semper vaga fumum nubila volvunt.

manis non conjungo cum *rupes*, sed simpliciter dictum puto ut vs. 636 *Peloris*, 678 *Sunias*, et Or. mar. 91 *Œstrymnis*, sc. ἄκρη vel arx. Porro *invehit undas* habent Ven. Cusp. Pith. idque defendit, et pluribus ipsius Avieni exemplis, firmat Heins. ad Ovid. Met. l. c. Unus e veteribus Vad. edidit *invehit undis*, idque probavit Schr. me non adsentiente.

796. Salmas. ad Sol. p. 341 monet, quem Avienus et Prisc. cum Dionysio vocent *Erythræum regem* esse *Erythrean* nomine vero et proprio, quod per τὸ ἐθνικὸν Ἐρυθραῖος efferatur, quemadmodum Ἱμεραῖος ποταμὸς sit Ἱμέρας fluvius, urbs Romana, vel Alexandrinus, vocetur Roma, vel Alexandria. Cf. quæ notavi ad Prisc. 604. Porro pro *hæc nota* Vadianus edidit *hinc nota*, adeoque diversam hanc tellurem ab ins. Ogyride facit, perperam.

797. *Et nudis juga tantum cautibus horrent.* Vir doctus in Obs. Misc. I, p. 375 conjicit *et nudis juga centum cautibus horrent:* quam conjecturam prorsus repudio. Sic enim abesse debet vox *nudis:* et *centum* cautes exiguæ insulæ pæne ridicule tribuerentur. Pro *et* forte leg. *at.* S.

800. *Icarus aerio consurgit vertice in auras.* Firmant nomen Stephanus, Dionysius, ejusque duo interpretes Prisc. et Avien. Arrian. de Exped. Alex. Mag. VII, 20; Ælian. Hist. An. XI, 9. Strabo tamen p. 1110 Ἰκάριον vocat. Sed testimonia citata legere jubent Ἴκαρον. Nec aliter legit Eustathius. Ptolemæus, p. 181 ed. nov. Ἰχάρα, sed Palat. Ἴκαρος. Hoc recipio. Plin. I, p. 337: (lib. VI, c. 28) « deserta usque ad insulam Icharam »: legendum videtur *Icarum*. Schr.—Schrad. forte legendum putat *consurgat*, quia Dionys. εἰσαφίκοιο.

801. *Icarus ignicomo Soli sacra.* Difficultas quædam hinc oritur, quod Avienus Soli sacram facit Icarum, quum Dionysius ταυρόπολον θεόν memoret, et sic dicatur Diana, (Spanh. ad Call. p. 297; Interpr. ad Liv. V, 808, [XLIV, 44]; Burm. ad Ovid. Met. XV, 511); Dianæ itidem templum in Icaro fuisse tradat Ælian. Hist. An. XI, 9, neque aliter Dionysium ceperit Prisc. v. 608: « Insula quæ fertur nimium placere Dianam ». Avieno tamen favet Strabo, XVI, p. 1110, B. ubi dicit, in insula Icaro esse templum Apollinis sanctum et oraculum Tauropoli; modo illic sana lectio. Conf. lib. XIV, p. 946, C. Schr. — Conf. quæ notavimus ad Prisc. vs. 607. W. — *Ignicomo Soli:* infra v. 1088 *flammicomo.*

802. *Turis ibi semper.* His confer locum Hor. Carm. IV, 11, 11: « Sordidum flammæ trepidant rotantes Vertice fumum ». W.

Insulæ in Oceani procursibus hæ tibi tantum
Carmine sunt dignæ: multas vehit undique pontus
Præterea, parvas specie, famaque carentes.
Pars Asiam, Libyam pars adjacet altera ponto,
Pars videt Europam: non has tamen aut modus oræ,
Aut interna cavi commendat vena metalli.

804. *Multas vehit undique pontus.* Nota usum insolentem verbi *vehere.* Id sequioris ætatis scriptoribus sæpe idem esse ac *ferre, portare, gestare,* satis notum est, et docuit Gronov. Observ. lib. III, cap. 5. Rutilius, I, 486: « riget horridus Ister, Grandiaque adstricto flumine plaustra vehit », i. e. portat. Et quod alii scriptores dicunt, *ferre aliquem laudibus*, id Plinius, Epist. IV, 27, « laudibus vehere »; vid. Cort. ad eum locum. Sed tamen *vehere* iis locis usurpatur de rebus, quæ portando simul promoventur. Hic pontus insulas, fixas et immotas, vehere dicitur. Cujus sensus similem locum nullum inveni, nisi velis hunc Claudiani Rapt. Pr. II, 257: « Ossa pruinosum vexit glacialis Olympum », ubi tamen positum esse potest pro evexit, erexit, sustulit. Hinc forsan *vehit* hoc loco explicandum est de motu in altius, pro *erigit, adtollit,* ut Noster multis locis, et quomodo supra v. 795 dicebat *Carmanis se invehit undas*, motum ad ulterius, vel promotionem in mare significans. W. — *Carmine ruudigenæ* monstrosa est lectio Venetæ et Pith. sed ipse Pith. in Emend. in poem. correxit *erunt dignæ.* Melius Cusp. et Vad. *carmine sunt dignæ*, conspirantibus editore Madrit. Hudsono et Schrad. qui idem præhere Ambr. adfirmat; ex ipsoque Poeta probat, qui mox infra, v. 1391, pariter ait: « nullis sunt dignæ denique Musis ».

805. Schraderus distinguere malit *Præterea parvas, specie famaque carentes.*

806. Hic versus *Pars Asiam*, etc. in vulgatis editt. omnibus plane alieno loco, et manifesto errore, inter versum 812 *Harum quis*, et 813 *Si velit has ullus*, positus erat, sed Jo. Schraderus in libro Observ. cap. 4, p. 45, 46, eum hic collocandum, et cum versu 807 *Pars videt Europam*, continuandum esse, quum aliis argumentis, certis et evidentibus, tum maxime Dionysii et Prisciani auctoritate, jussit, ut necessarium duxerim, elapsum et trajectum versum suo loco restituere, idque tantum mirer, neminem editorum et interpretum, qui alias Avienum cum Dionysio et Prisciano diligenter contulerunt, hic aliquam perversitatem ordinis odoratum esse. Cæterum hoc versu pro *altera ponto* Schrad. olim in sch. et post in notis conjecit *porro*, quod mihi superfluum videtur. *Pontum* conjecit Oddius, quæ lectio propterea displicet, quod quasi quartam partem insularum adjicere videtur, quam Dionysius ignorat. Pro *adjacet altera* vir doctus in ora Trogn. vult *adspicit altera.*

808. *Cavis* conj. Oddius. Sed hoc durum juxta et obscurum est. *Cavum* est metallum, quod venam habet.

Harum aliæ duris reserant vix litora nautis,
Et scaber in multis scrupus riget; undique iniquus
Subrigitur vertex, et inhospita cespitis ora est.
Quarum quis valeat numerosa ut nomina fari?

809. *Duris reserant vix litora nautis*, h. e. vix commodos et patentes portus præbent recipiendis navibus. Hoc sensu Rutil. I, 401: « Proxima securum reserat Populonia litus ». Quod supra dicebat v. 626, « indulsit litora nautis », de hospitalitate accipiendum est. Similiter in carm. ad Fortun. Præn. v. 11: « Litora qui præstant fessis tutissima nautis ». W. —*Diris nautis* omnes edd. legunt, quod plane mirandum, quum nullum ineptius hoc loco epitheton esse possit, quam illud ipsum. Scribendum est sine cunctatione *duris*, et sic emendavit Schrad. in Obs. p. 45, et in præf. ad Emend. p. 55. Plane confirmat Prisc. v. 612: « Duris difficiles nautis, vel portubus aptæ ». Vide præterea, quæ observavi ad Prisc. v. 245.

810. *Scrupus riget, undique iniquus Subrigitur vertex*: Iniquus est asper et sterilis, ut v. 503: « regio insurgentibus alte Cautibus horrescit, scrupus sola creber iniqua Asperat ». Contra *æquus cespes* est fertilis, ut vs. 415: « Proxima magnanimos alit æquo cespite Iberos ». W. —Vadianus edidit *scriptus riget*, nescio an vitio operarum. — *Inhospita cespitis ora est*. Pariter Ovidio *inhospita* dicuntur *litora Ponti*. En.

812. Pro vulgato *Harum* Schrad. emendandum censet *Quarum*, quia sic etiam vitetur repetitio *has*, *harum*: et libenter sequutus sum. Sed pleræque edd. legunt *quis valeat numerosa ut nomina*. Solus Vad. paullum mutavit *numerosa hic nomina*. Hudsonus in notis explicat: Id est, *harum ut quis valeat numerosa*, etc. Addit tamen, forsan legendum *numeros aut nomina*. Idem conjecit Withofius in marg. Trogn. et adseruit Schrad. in not. adfirmans vulgatum *numerosa ut* nihil aliud esse, nisi vitium typogr. Ven. quod Pithœus et alii nimis religiose servaverint. Ego vero genuinum censeo *numerosa ut nomina*, quippe non solum Ven. et Pith. sic scribunt, sed et Cusp. et dignum hoc est stylo Avieni, qui adjectivis nominum subinde *ut* adponere solet, pro utpote, vel scilicet. Quis, inquit, valeat eorum nomina fari, utpote numerosa. Sic versu 393: « Tritonidis alta paludis Ut circumfuso populorum examine cingunt », ubi Vad. æque ac hic, particula *ut* offensus, illam in *Hic* mutare conatus est. Denique Dionys. 619, et Prisc. 613 tantum *nomina* insularum dicunt eloqui difficile esse, non item *numeros*. Conf. etiam v. 1059. — Priorum editt. vs. 812 *Pars Asiam, Libyam pars*. Hic versus collocandus est post 805, idque fieri debere jam monui Observ. pag. 45, 46, in eam rem quum aliis usus argumentis, tum Dion. et Prisc. auctoritate. Sed et hoc amplius pro *ponto* legendum aliquando conjeceram *porro*, maxime ob locum similem v. 1267, 1270: postea tamen alia subnata cogitatio, an non, secundum Dionysium, legendum: « Pars Asiæ, Libyæ pars adjacet altera pontum, Pars videt Europam ». Schr.

Si velit hoc ullus, velit idem scire quot alto
Curventur fluctus pelago, quot sidera cæli
Educant flammas, quot robora proferat Ida,
Quantus arenarum numerus versetur ab Euro.

813. *Si velit has ullus, velit idem scire.* Additamentum hoc est Avieni simulque imitatio Virgilii, Georg. II, 103 seqq. Schr. Et sane color in utroque loco idem est, et verba similia. Sed hic modus sidera, fluctus, arbores, arenas ad designandum numerum immensum advocare pervulgatus inter poetas est. Vid. not. ad Rutil. I, 94. Non dissimilis certe locus est Catull. LXII, 206; Ovid. Trist. IV, 1, 57, Punt. II, 7, 25 seqq. Satirice multitudinem scelerum pro numero innumero adhibet Juvenal. X, 219 seqq. W. — *Si velit hos* edidit Cusp. Camers ad Prisc. 611 correxit *has*, idemque dederunt Pithœus et reliqui. Schraderus monet, quod Pithœus dederit, nulla niti auctoritate, nec tamen, quomodo alias legendum, indicat. Mihi videntur editores *has* posuisse non alia de caussa, quam quod, quum in editis versus 806 *Pars Asiam, Libyam pars*, intercederet, sequens versus generatim ad insulas referendus erat. Nunc, ejecto eo versu, puto scripturam antiquam Cuspiniani *hos* admonere, ut scribamus *Si velit hoc ullus*, nempe fari nomina.

815. *Elucent flammas.* Huls. *flammis.* Contra nititur Oudend. Obs. Misc. V, 1, 70: « Tot exemplis, inquit, permoti forsan rectius retinebimus *flammas*, quam *flammis*, quod substituit Anglus ». *Ejaculent* Withofius et Heinsius, qui et *ejectent* et *eructent* in margine conjecerat. Oudendorpium refutat latinitas: ipse Avienus v. 471: « Ignea perpetuis ardescunt sidera flammis »; et modorum permutatio. *Curventur* enim et *proferat* subjunctivum requirunt. Heinsii et Withofii conjecturæ *ejaculent* favet usus verbi *jaculor*, pariter adhibiti a Claudiano, Gild. 496: « Et contusa vagos jaculentur sidera crines ». Gellius, XVI, 19: « Arionem cum fidibus et indumentis, cum quibus se in salum ejaculaverat, exstitisse ». Possis etiam: « quot sidera cæli Educant flammas ». Sic enim Avienus, Phæn. 126: « non ulla facem succenderit unquam Stella prior, neque flammiferos eduxerit ortus ». Schr. — *Elucent flammas* omnes vetustæ tenent. Camers ad Prisc. 611 legere voluit *Elucent flammæ*, nisi quis græcam potius constructionem esse velit. Rectius emendatio in verbo *Elucent* tentatur, pro quo Withofius in ora Trogn. *ejaculent*, quod versu Nemesiani, Cyn. 212, firmat: « Quum segnes radios tristi jaculatur ab æthra Phœbus ». Wernsd. Schraderi conjecturam *Educant flammas* adserit, et exemplum adfert ex Progn. 234: Non hic quum primos educet gurgite vultus ».

816. *Quantus arenarum numerus versatur ab Euro.* Heinsius ad Ovid. Met. IX, 499, e libro Mediol. et Oudendorp. Obs. Misc. V, p. 70, reponebat *verratur*. — Et quidem hæc conjectura sane probabilis. Virg. Æn. I, 59, de ventis: « Quippe ferant rapidi secum, verrantque per auras ». Conf. Ovid. Metam.

Carmine nunc Asiam formet stylus: incute doctam
Phœbe, chelyn! totis Helicon adspiret ab antris.
Maxima pars orbis narrabitur; inclyta tellus
Prometur Musis. Terrarum summa duarum
Unius est limes, quæ cespite protegit ambas.
Vastius est Asiæ diti caput, indeque sensim

XI, 499. Ed. — In Ven. et Pith. *versatur*. Anonymus *versetur*. His favet Boeth. Cons. Phil. II, 2, 2: « Si quantas rapidis flatibus incitus Pontus versat arenas ». Columella, III, 2, ut vulgati libri: « Discere, quam multæ Zephyro versentur arenæ ». (In Virgilio legitur *turbentur*.) Ovid. Metam. II, 456: « Ibat et adtritas versabat rivus arenas ». Alcimus tamen Avitus, V, 384: « Non impar numero, cælum quum pingitur astris, Æstuat aut motus pelagi crispantibus undis, Litore vel quantas converrit fluctus arenas, Vel quantis stillant humentia nubila guttis ». Schrad. Videtur Schrad. nihil in textu fuisse mutaturus. W. — *Versatur* habent quoque Cusp. et Huds. sed *versetur* poscunt præcedentia *Cerventur* et *proferat*, idque etiam posuit Vad. Recentiores tamen *verratur*.

817. *Carmine nunc Asiam formet stylus*, h. e. formam Asiæ describat. Sic v. 1250: « Has quoque Musa tibi formabit carmine terras ». Et vs. 1045: « Hinc solers Asiam facili cape carmine totam. Forma sit hujus enim talis tibi ». W.

818. *Incute doctam, Phœbe, chelyn! totis Helicon*. Hoc additamentum est Avieni. Simillima loca sunt v. 257, et Phæn. v. 75, ubi eadem verba leguntur. Nugas agit Barth. Adv. XLVI, 16, p. 2159, ubi Heliconem idem esse numen, quod Phœbum, ait, advocans Nemesianum, Cyneg. 4: « ingentes Helicon jubet ire per agros ». Helicon enim hic mons est, quod *antra* docent ipsi tributa. Schr.

819. *Maxima pars orbis*. Nempe illi longitudo, teste Cluv. Intr. G. V, 1, mill. Germ. 1300, et latitudo milliarium 1230. Ed.

821. *Qua cespite* omnes vetustæ exhibent; *quæ cespite* Huds. induxit. — Vulgata lectio *qua* tuenda est adversus Hudsonum. Nam hæc est sententia: Asia tangit Europam et Africam: *qua* parte id fit, vastius est Asiæ caput...inde contrahitur versus Orientem. Schr. Sic Schraderus vulgatam lectionem *qua* defendit ex ea ratione, quod verba *qua protegit ambas* connectenda putat cum sequentibus *Vastius est Asiæ caput*. At mihi aliud videtur. Pertinent omnino ad præcedentia: Terrarum duarum (Europæ et Africæ) summa unius illius (Asiæ) limitem efficit, quæ cespite protegit ambas. Connexionem eam docet locus ejusdem sententiæ vs. 25, seq. « ambas (Europam et Africam) Una Asia, inclinans geminis se cornibus, urget Desuper, ac rupti divortia continet orbis ». Hinc non diffiteor, ad intelligendam eam connexionem Huds. lectionem mihi aptiorem videri, quam vulgatam. W.

822. *Vastius est Asiæ* Ven. et Pith. *Vastius et* Cusp. Sed Camers ad Prisc.

In matutinos oram conducitur axes.
Hic adstare procul Bacchi fert fama columnas,
Ultimus Oceani qua terras adluit æstus,
Indica qua rupes tumet extima, qua vaga Ganges
Cespite dorsa trahens in Nyssæum Platamona
Porrigitur. Similis nequaquam est forma duabus,
Nec modus est compar: secat unus denique pontus
Europam et Libyam: multus circumsonat istam
Oceanus, trinoque sinu vagus influit æstus
Unam Asiæ molem: sinus istam Persicus intrat,

620, cum eoque Vad. legendum proponunt *Vastius ast*, quod ipse malim.

823. *Oram conducitur* Ven. Cusp. Pith. Huds. *ora* scribunt Camers, l. c. et Vad. suo more græcismos Avieni expellentes: *conducitur*, i. e. contrahitur, in arctius spatium coit; vid. v. 266.

826. *Indica qua rupes tumet extima.* Sic v. 1050: « Extima iu Indorum ». Pro vulgato *qua vaga* malim equidem legere *quo vaga Ganges Cespite*: alias *cespite* hoc loco importunum videtur.

827. Graviter reprehendenda est Pithœi negligentia, qui fœdum errorem metricum in contextum admisit, edens *Nyssæum in Platamona*, pro *in Nyssæum Platamona*. In A. est *Heliseum Plantavaia*. V. jam *in Nyssæum Platanona*. Hæc vox notior fuisse videtur, quam Platamon. Graviter autem peccavit Poeta, qui hic proprium rursus ex adpellativo fecit. Rectius Prisc. vs. 619: « Nyssæos irrigat agros ». Edit. Ven. *in Heliseum Platamona*. Schr. — Cf. Schr. præf. ad Emend. p. 28. W. — Veneta hic dat *in Beliseum Platamona*: Cusp. *in Nysseum Platamona*. Vad. *in Nyseum Platamona*. Pithœi lectionem sequitur Huds. et subjicit, sic in Græcis Dionysii esse.

828. *Porrigitur*, nempe Ganges, *vaga dorsa trahens*, ut mox v. 860 de Tanai fluvio: « in salsam protendit terga paludem ». W. — Pro *Porrigitur* Camers ad Prisc. vs. 620 vult legi *Ast Asiæ similis nequaquam*. Sed *Porrigitur* ad *Gangem* pertinens vix abesse potest. Neque Priscianus hic nomen Asiæ repetiit: *est* abesse in Ambr. dicit Schrad. idque esse elegantius.

830. *Multus* idem sonat ac *multiplex*, variis nominibus designatus, ob varias, quas adluit, regiones. Ed. — *Circumsonat istam*, id est, Asiam: *hanc*, quod sequitur eamdem, designat, et his vocnlis promiscue uti solet Avienus. Cf. v. 267 et 876.

831. *Trinoque sinu.* Diserte hoc explicat Dionysius, v. 630, sed multo concinnius quam Noster uno versu tres sinus, Persicum, Arabicum et Hyrcanum nominat. Persicus sinus Prisciano est Parthicus, et Arabicus, Sabæus. Ed.

832. *Sinus istam Persicus instat.* Puto legendum *intrat*, quod contextus, mappæ et Dionysius suggerunt: ἔνθεν βάλλων Περσικὸν Τρηχ-

Maximus hanc Arabum scindit sinus, et sinus æquor
Inserit Hyrcanus: duo nigri partibus Austri
Curvantur, rigidam suspectat tertius Arcton:
Hic et in Euxini prorepit marmoris undam,
Et Zephyrum tergo spectat procul: adjacet ambos

νιόν τε, etc. Auctor ipse versu 990: «Hunc secat ingens Mæander, salsique ruens vada gurgitis intrat». Anon. Anglus in Obs. Misc. vol. I, t. III, p. 373. Vulgatam defendit Burmann. *instare* enim eum quarto casu offenderat. Similia N. Heinsius ad Virg. XII, 748. Me non tam casus accusativus, quam ipsum verbum offendit huic loco non congruens: neque enim explicat Dionysiana: ἐρεύγεται ἔνδοθι βάλλων· nec convenit præcedentibus v. 830: «trinoque sinu vagus influit æstus Unam Asiæ molem». Egregie vero *intrat* v. 1026 firmatur: «Plurimus hinc terras intrat sinus»: add. v. 53, 87, 395. Prisc. v. 56: «quem Caspia tellus Suscipit intrantem vastis Aquilonis ab undis». Valer. Flacc. I, 590: «et mediis intrarent montibus undæ». Schr. — *Sinus istam Persicus instat* Ven Cusp. Pith. Huds. *sinus isthac Persicus intrat*, et in seq. *Maximus hac Arabum* corrigit Vad. sed alterum *hac* saltem non convenire videtur, quia *scindit* suum casum amittit. Atque illud *intrat* Vadiani omnes fere recentiores commendant. Et sic Withofius in ora Trogn. et inprimis Schrader.

834. *Nigri partibus Austri.* Niger Auster propter imbres et nimbos, quos Auster agit. Atque hoc duxit e Virgilio, qui Georg. III, 278: «aut unde nigerrimus Auster Nascitur, et pluvio contristat frigore cælum»; et Æn. V, 696: «ruit æthere toto Turbidus imber aqua densisque nigerrimus Austris». Et generatim *nigri venti* propter eamdem rationem, apud Horat. Carm. I, 5, 7. W.

836. Probo potius vulgatum *prorepit*, quam quod in A. est, *perrepit*. Illud firmat Avienus, v. 297: «Ecce alias lento prorepit gurgite Nereus». Add. 540, 1043; Or. mar. 459. Schr. — *In Euxini prorepit:* sic omnes edd. recte. Et *prorepit in undam* non explicandum est influit, vel miscetur Euxino, sed oram suam ita porrigit, ut Euxino adpropinquet. Quare si quoddam veteris libri indicium juvaret, pro *in Euxinum* scribere mallem *ad Euxinum*. — Dionys. quidem Hyrcanum dicit γείτονα πόντου Εὐξείνου, quod ad verbum expressit Prisc. v. 626. Ed.

837. In A. et V. pro *ambos* invenio *ambas*, ut v. 821. Sed hanc lectionem tolerari non posse, docet Dionys. v. 634, et Prisc. 625: «at Boreos Hyrcanum vergit ad axes, Gurgitis Euxini vicinum». Schr. — Vadianus distinguit *tergo spectat, procul adjacet ambos*. Et *ambos* habent omnes edd. Cæterum hoc loco varietatem aliquam editionis Vadiani deprehendo, quantam adhuc nullam. Nam post versum 837 et verba *adjacet ambos*, integrum versum inserit, quem neque aliæ edd. agnoscunt, nec Dionysius poscere videtur. Sic enim scribit: «Adjacet ambos Gens Scythiæ dispersa, vagisque sedilibus exit. Tellus multa dehinc, etc.» Aliam hujus additamen-

Tellus multa dehinc, et longis tenditur arvis.
Ast Asiam incumbit vasto mons aggere Taurus,
Interstatque jugo mediam, Pamphylia campo
Qua jacet, incipiens, ac verticis ardua ducit
Indorum in pelagus : nunc autem subrigit idem

ti caussam uon reperio, nisi solertiam vel περιεργίαν Vadiaui, qui legens in Dionysio 634, et Prisciau. 626, circum Hyrcauum vel Caspium mare inuumeros homines habitare, idqne in Avieuo desideraus, putavit enm locum aliunde supplendum esse. Nam *Scythiæ gentis* quidem Dionysius hoc loco non memiuit, at memorat Mela de sinu Caspio agens, III, 5, 32 : « Ad iutroeuntium dextram Scythæ Nomades freti litoribus insident ». Qui Scythæ Nomades hand incommode verbis Vadiani describuntur : « Gens Scythiæ dispersa, vagisque sedilibus exit ». Paullo iuferius ipse Dionysius vs. 728, et Avieuus vs. 906, Scythas memorant accolas esse Caspii maris. Sed hoc magis reprehendi meretur Vadianus, quod invito auctore suo huc iutrusit, quod alio loco jam exstabat, quum præsertim in ipso Avieuo multis exemplis edoctus esset, quam multa ille soleat a Dionysio et Prisciano memorata præterire.

839. *Asiam incumbit* Ven. Pith. Huds. Camers ad Prisciau. 629, et Vad. scribuut *Asiæ*.

840. *Interstatque*, i. e. stat inter mediam jugo suo, ut v. 255 : « Sic vasti moles pelagi iuterfunditur oras ». — *Pamphylia campo Qua jacet incipiens*. Forte *campos Qua jacet*. Heins. Sic v. 39 : « Cespes terga jaceus Asiæ succedit in oras ». Sed vulgatam Solinus defendit cap. 39, ed. Salm. de Cilicia : « Plurima jacet campo ». Hunc autem sæpe imitatur. Schr. — *Pamphylia* (*Pampylia* Cusp.) *campo* omnes edd.

841. *Ad verticis ardua ducit Indorum pelagus*. Pricæus ad Lucæ cap. 23, 5, p. 471, e Dionysio legendum mouet : « Pamphylia campo Qua jacet incipiens, et verticis ardua ducens Indorum ad pelagus ». Hudsonus, qui se profitetur emendasse : « ac verticis ardua ducit Indorum ad pelagus » honore fraudat inventorem popularem. Ipse edam aliquando cum Huds. *ac verticis*, quod offert cod. V. deinde ex *Indorum pelagus* parva, vel nulla mutatione refingo *Indorum in pelagus*. Eteuim *in* absorptum ab *um*, ut millies. Sic autem v. 1049 : « Totam Asiam celsi præcingi vertice Tauri Extima in Indorum ». Conf. Plin. V, 1, 27. Denique suspicor, poetam non *ducit* scripsisse, sed *ducens*. Schr. — *Ad verticis ardua ducit Indorum pelagus*. Sic antiquæ Ven. Cusp. Pith. Vadianus sensum laborare videns correxit : « incipiens, juga verticis ardua ducit Indorum in pelagus ». — Melius recentiores, cum eisque Huds. Wern. videntur *ad* scripsisse; *in* tamen Schraderi probat. Ed.

842. *Subrigit idem* Ven. Cusp. Vad. Pithœi edit. prima Paris. et Trogn. ut v. 811; sed nescio qua de caussa editor Pith. secundæ Lugd. et Genev. reposuit *subluit idem*, quem sequutus est præclarus editor Madrit. perperam sane, immo pessime.

Obliquas arces et flexilis aera pulsat;
Nunc directa solo tentus vestigia figit.
Mille dehinc amnes unus vomit, exserit unus
Flumina per terras, vel qua riget ora Bootis,
Vel qua lene Notus spirat, qua perstrepit Eurus,
Et qua dejecto Zephyrus sustollitur axe.
Nec tamen hic uno signatur nomine ubique,
Sed dum flectit iter, novus emicat; utque tumenti
Gens vicina subest, peregrina vocabula mutat.

843. *Et flexilis aera pulsat.* Forte legendum *flexibus.* Markl. ad Stat. Silv. V, 5, 70. Sed caussa mutandi nulla. Dionysio congruit Avienus. Is enim vs. 640 : λοξόν τε καὶ ἀγκύλον. Præterea non *flexibus* pulsat aera, sed potius *arcibus.* Synonyma autem sunt : « Subrigit obliquas arces », et « flexilis pulsat aera ». Schr. — *Et flebilis aera pulsat :* sic Cusp. et Vad. omnino vitiose. Camers ad Prisc. 629 correxit *flexilis*, quod etiam expressit Pith. Miror autem Vadianum, qui perpetuus fere comes Camertis est, vitiosum *flebilis* retinuisse.

844. *Vestigia figit.* Vide notata a Schradero ad vers. 481. Schr.

845. *Exserit unus Flumina per terras.* Supra dixerat vs. 212 : « seu quod brevis exitus undas Exserit ». In seqq. v. 1157 : « Fusus ab Armenia vastum caput exserit antro ». Sed adparet, diversa esse : « fluvius caput exserit antro... » et : « Mons exserit fluvios per terras ». An legendum *egerit ?* Sic certe Or. mar. vs. 676 : « Atque præcipites aquas Stagni per æquor egerit ». *Vomit* autem et *egerit* sunt synonyma : eodem pertinet *eructare*, vs. 861 : « arduus istum Caucasus eructat ». Schr. — *Exserit unus* omnes edd.

848. Pro vulgato *Et qua* in V. erat *Vel qua*, quod Schraderus fere probabat. — Pro vulgata lectione *delecto* Higtius volebat *devexo*, aut *dejecto.* Ego cum Hudsono velim recipere *dilecto*, quod ibidem Brouckhus. conjecerat in marg. ed. Madrit. Juvat locus Manilii, IV, vs. 593 : « Auster amat medium Solem, Zephyrusque profectum ». Schr. — *Delecto* exhibent Venet. Cusp. Pith. Camers ad Prisc. 629, cum Vad. *dejecto :* idemque conjicit vir doctus in ora Trogn. Ego malim, quod proximum scripturæ priscæ est, *dejecto*, quoniam alibi v. 560 *cadentis partem poli* Zephyro adsignat, et cadentem *pronam diem* dicit v. 237.

850. *Novus emicat*, h. e. videmus eum adsurgere, adtolli novo sub nomine, quasi novum montem adparere. *Emicare* poetis dicuntur, qui prodeunt, adsurgunt, eriguntur, ut conspici præ aliis et distingui possint. Virg. Æneid. V, 319 : « Primus abit, longeque ante omnia corpora Nisus Emicat ». Ovid. Met. IX, 226 : « Nunc quoque in Euboico scopulus brevis emicat alte Gurgite ». W.

851. *Peregrina vocabula mutat.* Varia Tauri montis nomina, flexus-

Accipe, qui populi circumdent denique Taurum.
Mæotæ primi salsam cinxere paludem.
Obversatur item trux Sarmata, bellica quondam
Gentis Amazonidum suboles: nam quum prius illæ
Egissent vasti prope flumina Thermodontis

que in diversas regiones percenset Mela, lib. I, cap. 15, et Plin. lib. V, cap. 27, s. 27. SCHR.

852. *Qui populi circumdent denique Taurum.* Sic v. 531: « Tot populi Ausoniam circumdant mœnibus altis »; et vs. 941: « Caspia tot late circumdant æquora gentes ». SCHR. — *Circumdent denique.* Schraderus in schedis notaverat *undique*: sed nihil de eo in notis.

854. *Obversatur* omnes edd. Hudsonus vero, quasi in his legisset *observatur*, sic edidit, rursusque in notis corrigit *obversatur*, ob quam ἀβλεψίαν notatur a Schrad. — *Trux Sarmata, bellica*, etc. Sic Priscian. 645: « Sauromatæque truces ». Sarmatia quidem duplex: Europæa, quæ nunc Tattaria minor, Lithuania, Polonia; et Asiatica quæ Circassia et Tattaria major, cujus nomen a flumine *Tattar*. ED.

855. Pro *Gentis Amazonidum* in Ambr. est *Gentis Amazoniæ*; quod elegantius videri potest, ne duo genitivi conjungantur. Sic tamen Avienus v. 951: « Thermodon Gentis Amazonidum lambit sata». SCHR.

856. *Egisti vasti prope flumina. Egisti* vox nihili est. Ad hunc forsan modum refingenda sunt verba: « nam quum prius illis, Ejectæ (aut Egestæ, aut Exactæ) vasti prope flumina Thermodontis, Threicio, etc. » Amazonas Martis filias dici testatur Isocrates in Panathenaico. Vide Petr. Petitum de Amazonibus, pag. 21 et 207. HUDS. — *Nam quum prius illæ Egissent vasti prope fluminn Thermodontis.* Avienus, quod ad migrationem Amazonum, sequitur Dionysium vs. 657: Πλαγχθεῖσαι πάτρηθεν, ἀπόπροθι Θερμώδοντος· Dionysius autem, ut solet, Herodotum, IV, 110 seq. qui et occasionem et singula momenta, quibus factum est, ut Amazones in Scythiam deferrentur, et cum Scythis consuescentes in Sauromatas degenerarent, fuse narrat. Consentit auctor Peripli Ponti Eux. pag. 2 Huds. Τούτοις ἐπιμεμίχθαι τὰς Ἀμάζονας τοῖς Σαυρομάταις λέγουσιν, ἐλθούσας ποτὲ ἀπὸ τῆς περὶ τὸν Θερμώδοντα ποταμὸν γενομένης· ἐφ' οἷς ἐπεκλήθησαν οἱ Σαυρομάται γυναικοκρατούμενοι. Diversa autem tradit Servius, et, qui ab eo citatur, locupletior auctor Sallustius, ad Virg. Æn. XI, 659: « Circa Tanaim antea Amazones habitaverunt; unde se postea ad Thermodonta, fluvium Thraciæ, transtulerunt: quod etiam Sallustius testatur, dicens: *Dein campi Threissi, quos habuere Amazones, ab Tanai flumine, incertum quam ob caussam, digressæ* ». Cf. Amm. Marc. XXII, 8, p. 240. SCHR. — *Egisti vasti* corrupte exhibent Ven. Pith. Huds. recte autem Cusp. et Vad. *Egissent*, quod ipsum recentiores agnoverunt. Melius Hudsono conjecit Oddius leg. esse *Degissent*, quo tamen facile caremus post inventum *Egissent*. *Thermodoontis* habent Cusp. Pith. cum Madrit., in quo duplicem errorem notat Schr.

Threicio de Marte satæ, junxere profectæ
Concubitus: longas exercet Sarmata silvas:
Ex quibus elapsus Tanais procul arva pererrat
Barbara, et in salsam protendit terga paludem.
Hic Asiam Europa disterminat: arduus istum
Caucasus eructat: Scythicos hic fusus in agros
Impacatorum nutrit pubem populorum.
Hujus utrumque latus quatit amplis bruma procellis,

eumque sit Brouckhusium in marg. Madrit. correxisse. Conferri jubet Voss. Anal. II, 33.

858. *Longas exercet Sarmata silvas*. Phrasis *exercere silvas* (pro qua Prisc. *habitare*) sine exemplo est. Silius quidem VIII, 566, habet *lustra exercent;* sed ibi e Coloniensi libro Heinsius reponit *Exagitant*. Schr. — At Silius tamen alio loco hanc phrasin usurpavit, XV, vs. 772: « Ut, quum venatu saltus exercet opacos Dictynna ». Quo quidem plenius rem eloquitur, addito *venatu*, sed hoc etiam omisso nudam phrasin *exercere silvas* recte de venatu adhiberi, facile docent similes Poetarum dictiones, ut Gratii *movere* et *impellere silvas* v. 3 et 65, Val. Flacci « fatigare silvas », III, 21; Silii « agitare saltus », II, 94. Nullum dubium est verbum *exercere* Poetis idem esse ac crebro usurpare et frequentare, ac de omni usu, actione et ratione vitæ adhiberi, intelligendumque esse pro adjuncti ratione. Itaque etsi frequentissimum est *exercere terram*, *arva*, *solum*, de agricolatione, ut vs. 461, 1023, non minus tamen recte et usitate dicitur *exercere silvas*, de assiduo in silvis discursu, labore, venatu, habitatione, pastione, alioque actu vitæ: quomodo de Massylis Noster supra vs. 284: « nunc silvas inter oberrant Conjugibus natisque simul ». Proprie quidem res et actiones exercentur, sed Poeta etiam locum et tempus, quibus res aguntur, exerceri dicit. Vid. quæ notavimus ad Prisc. vs. 124.

861. *Hic Asia*. Pro *Hic* Withofius tentavit *Hinc*, et fateor, idem mihi incidisse. Sed *hic* et *iste* de eodem frequentat Avienus (ut supra adnotatum est ad vs. 830), et vulgatum tuetur Dionys. vs. 664: ὁ δὲ πλατὺς ἔνθα καὶ ἔνθα. Schr. — *Hic Asiam Europam disterminat* Cuspin. mendose. *Asia Europam* Pith. et Huds. *Hic Asiam Europa* scribit Camers ad Prisc. 653, et Vad.

863. *Impacatorum populorum;* sic Persas adpellat infra vs. 1248. — *Nutrit pubem populorum*. Sic Claud. VI Cons. Hon. 80: « nec te mutare reversum Evaluit propria nutritor Bosporus arce ». Idem in Prob. et Olyb. 236: « Respice, si tales jactas aluisse fluentis, Eurota Spartane, tuis ». Vid. nost. edit. notas ad hos versus. Ed. — Conf. v. 495. W.

864. Pro *utrumque* V. *utrinque*. Dionys. ἔνθα καὶ ἔνθα. Porro dubium est, legendumne *amplis* ex vs. 296, an *amplum* coll. vs. 155. Sic Schraderus, sed *amplis* omnes editiones tenent.

Constrictumque tenent hunc frigora. Proxima rursus
Cimmerii Sindique colunt: Cercetia gens est 866
Atque Toretarum propter genus: indeque Achæi,
Ab Xanthi ripis atque Idæo Simoente,
Inter cauricrepas et scruposas convalles,

865. *Constrictumque tenent hunc frigora.* Sic et Dionysius, vs. 666: Τοῦ δ' ἂν κυμαίνοντος ἀπείριτον ἐκ Βορέαο, Πηγετὸν ἀθρήσειας ἀπὸ κρυμοῖο παγέντα· et Prisc. vs. 655: « Hunc tamen immenso torrentem flumine vertit In glaciem Boreas horrendo flamine sævus ». Negat tamen Mela, I, cap. 19, 130: « Ipse Tanais ex Rhipæo monte dejectus adeo præceps ruit, etc. » Schn. — Integrum locum jam produxi ad Prisc. v. 655. W. — Vadianus hic distinguit *tenent hunc frigora proxima. Rursus*, perperam.—*Rursum* V.

866. *Cimmerii Sindique colunt.* — *Cimmerius Indique* Ven. Nimirum *s* vocis *Sindi* male adhæsit voci præcedenti. Similis corruptela apud Herodot. IV, 28. *Cimmerius Sindique* V. *Cimmerii Sindique* Pith. et, ut videtur, A. quare nihil mutavi, quamquam scribi potest *Cimmerius*. Schn. — *Cimmerius Sindique* Cusp. Vad. *Cimmerii Sindique* Ambr. Huds.—*Cercitia gens est.* Scribe *Cercetia*, et mox *Toretarum*. Harduin. ad Plinii lib. VI, p. 756 (in not. ad lib. VI, sect. 5, num. XXII). Huds. — *Cercitia* Ven. Pith. et sic apud Strabonem, XII, p. 825. B. Apud Ptolemæum pro Κερκέται MS Coisl. pag. 698 Κερκῖται. An tales sequutus est Avienus? *Cercetia* V. et A. ut Dionysius, v. 682, Priscian. 663, et cæteri. Unus autem Avienus syllabam *ce* producit, quam cæteri corripiunt, ut Dionys. Priscian. et Orph. Argon. v. 1044: Κερκετικόν τ' ἀνδρῶν φῦλον, Σιντῶν τ' ἀγερώχων. *Certitiu* Cusp. sane perperam. Ed.

867. Pro *Atque Oretarum* cum Harduino atque aliis restituo *Atque Toretarum*. Litera majuscula, dein adpingenda, fuerat omissa. Τορέται vocantur et *Toretæ* a Dionys. Prisc. Steph. Byz. Plinio: quare vix dubito, quin id pariter restituendum sit Straboni, XI, 757. C. ubi legitur Τορεάται. Schn. — *Ad Quoregetarum* corrupte Ven. unde Pithœus fecit *Atque Oretarum*, eumque sequutus Huds. sed Cusp. et Vadian. emendate et recte *Atque Toretarum*, quomodo et apud Dionys. 682, et Prisc. 664 legendum est. Vide ibi notata nostra. Post *indeque Achæi* distinguo, ut ab iis sejuncta sit sequentium versuum constructio.

869. *Inter cauricrepas et scruposas convalles.* Ita ex emendatione cl. Salmasii in Exercitt. Plinianis, pag. 890. Huds. — Ego quoque recipiam versum, uti a Salmasio refictus est, atque ita Avienum scripsisse, dudum in præf. ad Emend. p. 57, professus sum. Consentiunt cum Salmasio in emendando versiculo Voss. ad Scyl. pag. 42, sive 76, et Heins. ad Val. Flaccum, II, 518, quos miror inventorem dissimulasse Salmasium. (Sed hi fortasse non Salmasio debebant, sed primis editt. aut Vadiano, quem certe Vossius habuit et inspexit. Nemo tamen eum nominat. W.) Tot eruditorum conjecturæ fere persuadent, verum esse *Caurierepas*. Si tamen adtendas,

Transvexere larem. Juxta gens aspera degit

deberet addi *Qui*, ut apud Dionys. τεύς. Sic Prisc. « Et qui..... » aut distinguendum : « indeque Achæi : Ab Xanthi ripis ... inter Cauricrepas et scruposas convalles Transvexere larem ». Sed si sic scripsit, miserrime convertit græca. (Si Zephyri πνοιαὶ rapuerunt a Xantho, quomodo larem ponunt inter convalles cauricrepas?) Præterea, unde habuit *convalles scruposas?* Si Cauri nomen a Poeta profectum, fere crediderim posuisse de vento frigido. — Pro *Chauri* in V. *Tauri*. Inde Higtius : « In Tauri cryptas (vel petras) et scruposas convalles ». Sed mihi hæc mutatio non probabilis videtur : quomodo enim de Tauro hic cogitare poterat Avienus? SCHR. — De veritate lectionis constitutæ vix dubitari potest, conspirantibus in eam priscis editionibus pariter, ac liberis eruditorum conjecturis. Sed Avienus male Dionysium expressit, aut eum exprimere noluit, suæ indulgens libertati. Dionysius tantum dicit, Achæos Austri et Aquilonis flatibus a Troja abductos in has terras esse : Avienus ipsas sedes Achæorum Cauris, h. e. ventis frigidis, personare facit, et in convalles scruposas convertit. Nec tamen hoc sine auctoritate fecisse videtur, siquidem locum Ammiani Marcell. conferamus, qui mox producetur. Fortasse ille apud Dionys. v. 684 pro νοσφίσαντο aliud verbum legit, quod Achæos in novis sedibus suis Cauris infestari et pulsari significaret. Sed illud quale fuerit, difficile exquiro. Post *Achæi* sequi debebat *Qui ab Xanthi ripis :* sed non insolens Avieno est, relativas omittere, et connexionem abrumpere; cujus exempla vid. 875-1221. Et omnino hic locus inter aberrationes Avieni adparentes referendus est, quibus si succurrere aliqua emendatione velis, « Qui scis, an prudens huc se projecerit, atque Servari nolit? » Wd. — Venetæ et Pithœi corrupta lectio est : « Inter Chauri crepassent scruposas convallis ». Emendatius Cusp. et Vad. ediderunt « Inter Chauricrepas et scruposas convallis ». — Hudsonus adjicit aliam conjecturam : « In Coracis ripam », quæ sane lectio ingeniosa Werusd. videtur, sed cæteris adhuc Dionysio minus respondens.

870. *Transvexere larem.* Omisit Avienus Dionysiana vs. 685 : Ἑσπομένους μετὰ δῆριν Ἀρητιάδῃ βασιλῆι. De migratione Achæorum, duce Ascalapho, Martis filio, conf. locus Strabonis, p. 758, præcipue Ammiani Marcell. lib. XXII, cap. 8, pag. 339, ed. Gronov. « Achæi bello anteriore quodam apud Trojam consummato, non quum super Helena certaretur, ut auctores prodidere nonnulli, in Pontum reflantibus ventis errore delati, cunctisque hostilibus, stabilem domiciliis sedem nusquam reperientes, verticibus montium insedere semper nivalium : et horrore cæli districti, victum etiam sibi cum periculis rapto parare adsuefacti sunt : atque eo ultra omnem deinde ferociam sævierunt ». Adde Columell. de Re Rust. I, 3, 6 : « Nequam vicinus tantum malum est, ut multi prætulerint carere penatibus, et propter injurias vicinorum sedes suas profugerint : nisi aliter existimamus diversum orbem gentes universas petiisse, relicto patrio solo, Achæos

Heniochi, Zygiique dehinc, qui regna Pelasgûm
Linquentes, quondam tenuerunt proxima Ponti.
Impiger hos propter Colchus colit: iste feraci
Exsul ab Ægypto celsæ serit aspera rupis:
Caucasus Hyrcanæ nimium conterminus undæ est.

dico, et Hiberos, Albanos quoque, nec minus Siculos, ... quam quia malos vicinos ferre non poterant ». Schr. — *Aspera gens*, Heniochi, ut hic, describitur a Lucan. III, 269: « Hinc Lacedæmonii moto gens aspera freno Heniochi ». Idem, II, 590, « Marte feroces » vocat. Schr. — Val. Flacc. VI, 42: « Heniochosque truces ». Nomen illis derivatur ab ἡνίον, quod græce frenum significat: quod exemplo Lucani supra adducto confirmatur. *Zygii* pariter a ζυγὸς, jugum, nominantur. Ed.

871. *Heniochi*, *Zygiique dehinc*. Venet. et Pith. corrupte « Iniochi perique hinc, qui ». Cœlius Calcagn. in aduott. ad Dionys. sic corrigit: « Heniochi Zygiique hinc et qui regna Pelasgûm »: sed paullo melius Cuspin. et Vad. « Eniochi Zigiique dehinc, qui regna Pelasgûm ». Ipsum hoc e Græcis Dionysii se restituisse ait Huds. scribens « Heniochi Zygiique dehinc ». Aliam Schraderi conjecturam « Eniochi Mœsique dehinc » Friesem. producit, quam Schrad. ipse nescit.

873. *Impiger Colchus*. Sic v. 1136: « super impiger ampla Æquora desulcat glebæ ditis Cletabenus »; et v. 1151: « mediis sic impigra in arvis Cappadocum gens est ». Horat. Carm. III, 16, vs. 26: « Quam si, quidquid arat non piger Appulus, Occultare meis dicerer horreis ». Schr.

874. *Exsul ab Ægypto*. Sic Prisc. 671: « Ægypto missi Colchi tenuere coloni ». Dionysius, v. 689: Κόλχοι ναιετάουσι, μετήλυδες Αἰγύπτοιο. Herod. II, 104; Bochart. G. S. IV, 31. Schr. — Luculentius Val. Flacc. V, 419 seqq. « cunabula gentis Colchidos hic ortusque tuens: ut prima Sesostris Intulerit rex bella Getis, etc. » Et Ammian. Marcell. l. c. p. 339: « Phasis fremebundis cursibus Colchos adtingit, Ægyptiorum antiquam sobolem ». W. — *Celsæ ferit aspera rupis*. Pro vulgato Pithœi *ferit* recepturus sum sinceram lectionem Venetæ *serit*, non discrepante A. in quo *celsæ xerit*. Conf. Virgil. Æneid. XI, 319: « Aurunci Rutulique serunt, et vomere duros Exercent colles, atque horum asperrima pascunt ». Stat. Theb. VII, 332: « Aulida qui Græcamque serunt, viridesque Plateas ». Schr. — *Ferit aspera rupis* exhibent Cusp. et Vad. Withofius in ora Trogn. conj. *terit* vel *serit*. Aliam conjecturam, « celsæ exterit aspera rupis », quam Schradero tribuit Friesem. ipse ignorat.

875. *Caucasus Hyrcanæ nimium conterminus undæ*. Perperam omnes vetustæ *cont. nudæ*. *Undæ est* Huds. non monens, qua auctoritate. Sed singularis et dura constructio: « celsæ serit aspera rupis. Caucasus Hyrcanæ nimium conterminus undæ ». Itaque præfero: « nimium conterminus undæ est ». *Est* unica litera ē scribi solebat, unde sæpe excidit. Vid. var. lectt. additæ Livio, III, 23, 5, et IX, 26, 6, ibique

Hujus valle procul Phasis gemit, istius antro
Agmina provolvit, Circæaque lapsus in arva
Incidit Euxinum. Borealis cardine cæli
Rursus in Eoæ lucis confinia tellus
Inclinata jacet, gemino vicina profundo.

Drakenb. Eadem medicina facienda Or. mar. v. 314, 619, et inprimis v. 154. Schr. — Secundum Dionysium, v. 690, constrnctio verborum ita continuari debebat : Colchus celsæ aspera rupis serit, nempe Caucasum, vel quæ est Caucasus, nimium Hyrcanæ undæ conterminus. Sed Avieni mos est, ubi subjectum aliquod amplius declarare vult, abrumpere constructionem, et cum nominativo incipere. Hunc plane in modum supra loquebatur v. 722 : « E regione procnl spectabit culmina Leuces: Leuce cana jngum, Lence sedes animarum ». Debebat scribere: « Leuces, quæ cana jugnm », vel « Hæc Leuce cana jugnm et sedes animarum est ». Sicut autem hic τὸ *est* addere omisit, ita et nostro loco omisisse videtur. Commode tamen adjici et exprimi fateor. W.

876. *Hujus valle procul Phasis gemit.* Dionysius et Prisc. Phasin ducunt ab Armenio monte. Avienus unnm Dionysii versum (694) omittit et ἔνθα capiens pro *unde*, ducit o Cancaso. Habet tamen suos auctores, nt Aristot. Meteor. I, 13; Psell. de omnif. doctr. pag. 171 ed. Fabr. Bibl. Gr. V, 2. Conf. Busching. tom. V, 1, p. 154. Forte dissensum observaverat Poeta, vel versiculum istum in libris, seu codice suo non inveniebat. Schr. — *Hujus valle: .. istius antro.* Male Withofius duplicem hujus loci medicinam tentabat in marg. Trogn. « Hujus valle prius Phasis gemit, istius antro, etc. » Aut « Fusus valle procul Phasis genita i. a. Agmina provolvit », ignorantia moris Avieni, apud quem *hic* et *iste* sæpe de eodem. Vide supra. Vallis et antrum hic sunt synonyma. Fluvii autem prorumpunt ex imis vallibus. Sic vs. 966 : « Et citus Armeniæ rursum convallibus arcis Surgit Halys ». De Peneo Ovid. Metam. I, 570: « Peneus ab imo Effusus Pindo spnmosis volvitur undis ». Schr.— Pithœus ex Veneta corrnpte legebat « Hujus valle pro Fasis gemit istius antro ». Casp. correxit « Hujus valle ruit Phasis, gemit istius antro ». Vadianus similiter, et hic versn seq. amplius *provolvens*, loco *provolvit.* — Sed omnino melius Hudsonus ex sola, uti videtur, conjectura : « Hujus valle procul Phasis gemit, istius antro Agmina provolvit », adprobante Schradero, qui et *procul* in Ambr. esse adfirmat.

878. Avienus Dionysio respondebit et Prisciano, v. 676, si distinguas: « Incidit Euxinum. Boreali cardine cæli Rursus in Eoæ lucis confinia tellus Inclinata jacet ». Schr. Talis et supra constructio occurrebat vs. 236 : « Sed brachia Pontus, Finibus Arctois, Eoæ lucis in ortum... Molliter inclinans, etc. » W.—Post *Euxinum* interpungere jubet Schrad. *Incidit Euxinum : Boreali cardine cæli rursus in*, etc. Hunc sequutus sum. Editiones veteres hunc versum continuant uno tenore, et a sequente dirimunt.

Caspia nam late terram super adluit unda,
Euxinique subest tergum salis : asper Hiberus
Hic agit : hic olim Pyrrhenide pulsus ab ora
Cespitis Eoi tenuit sola, ceu vaga sæpe

881. *Caspinam late terram superabluit unda, Euxinique subest tergum salis.* Locum vitiatum esse docet latinitas; vox enim *Caspina* nusquam reperitur : et res; neque enim denotatur alterum profundum, inter quod Isthmus jacet. Denique Dionysius, qui sic habet vs. 696: Ἰσθμὸς Κασπίης τε καὶ Εὐξείνοιο θαλάσσης· conf. Prisc. v. 677 : « Euxinum dirimens et Caspia litora late ». Priori incommodo succurrit Heinsii medicina emendantis : *Caspiacam late terram superabluit unda.* Sic enim loquitur Statius; vid. Lexica. Sed ita reliqua tamen manent incommoda. Omnibus medebitur facilis medicina : *Caspia nam late terram super adluit unda, Euxinique subest tergum salis.* Hoc enim convenit latinitati, rei et Dionysio. Caussa vitii, quod duæ voces coaluerant *Caspia nam* in *Caspianam*, quod exhibet V. unde deinceps *Caspinam* fecere. Scha. — Hanc emendationem probat Wernsdorfius, et exemplo Nostri adserit v. 898 infra : « Caspia per teretes Tethys distenditur oras ». Ed.—Scribendum edendumque est *super adluit*, quia in Ven. est *super abluit*, nec *superadluo* munitur ulla auctoritate: *abluit* recte displicuit Hudsono, Oudend. ad Melam, p. 983, et ante utrumque Nic. Heinsio. Schr.—*Caspinam late terram* exhibent omnes vetustæ, etiam Huds. quod Heinsius (non Schraderus, ut Fr. prodit) emendavit *Caspiacam*, quod usitatius vocabulum est. Eamdem ac Schr. medelam jam olim adhibuit Camers ad Prisc. 680. Friesemannus tradit, nonnullos legere, *Caspide nam late terram*, quos non inveni : *super abluit* Ven. et Cusp. *superabluit* conjunctim utraque Pithœi. Hudsonus correxit *superadluit*.

882. *Asper Hib.* Sic v. 870 Heniochos nominat *asperam gentem*. Ed.

883. *Hic olim Tyrrhenide pulsus ab ora.* Huds. et Withof. emendant *Pyrrhenide*. Nihil certius esse docent Dionys. v. 698 : Οἵ ποτε Πυῤῥήνηθεν ἐπ' ἀντολίην ἀφίκοντο, et Prisc. v. 680 : « Pyrrhenes quondam celso qui monte relicto ». *Pyrene* enim ponitur pro Hispania ad Pyrenen posita. Silius, XVI, 247 : « domitis Pyrenes gentibus » ; et 279 : « variosque subacta Pyrene Emisit populos ». Claudian. Eutrop. I, 406 : « Teutonicus vomer Pyrenæique juvenci Sudavere metu : segetes mirantur Iberas Horrea ». Ut autem Dionysius Πυῤῥήνηθεν Hiberos, sic Pelasgos Italiæ Κυλλήνηθεν deducit v. 348 : Οἵ ποτε Κυλλήνηθεν ἐφ' Ἑσπερίην ἅλα βάντες, quæ Noster sic expressit v. 491 : « Inde Pelasga manus, Cyllenæ finibus olim Quæ petit Hesperii freta gurgitis ». Ne quis autem scrupulus supersit, adfirmo sic esse in Ortel. Schrad.— *Tyrrhenide* omnes vetustæ, quod quum aperte falsum sit, jam Camers ad Prisc. 680 certissimam emendationem dedit *Pyrenide pulsus ab ora*. Et recentiores Hudsonus, With. Schraderus idem viderunt. Sic etiam in cod. Ortel. lectum est. Porro

Fors rapit exactos patria: tenet æquora campi
Gens Camaritarum, qui post certamina Bacchum,
Indica Bassaridum quum duceret agmina victor,
Accepere casis, mensasque dedere Lyæo:
Orgia ludentes et nebride pectora cincti
Deduxere choros, Nyssæi ludicra ritus.
Hos super in fluctus adsurgit Caspia Tethys.
Hæc dicenda mihi; nec diri gurgitis unquam

Vadianus *hue olim* edidit pro *hic*.

885. Vulgo: *Ceu vaga sæpe Fors rapit exactos: Prima tenet*. Sed præcedit v. 882, *Asper Hiberus Hic agit*. Nimirum in Isthmo duo populi memorantur a Dionysio, Iberes et Camaritæ v. 697. Igitur ineptum de secundo *primi*, ut vult Huds. aut *prima* dicere. Deinde nihil simile Dionysius. Ne multa, legendum *Fars rapit exactos patria: prima* et *patria* num confusa alibi, nescio. Sed *patria* liber Ambr. Similis autem locus Or. mar. v. 135: « Liguresque pulsi, ut sæpe Fors aliquos agit, Venere in ista ». *Vagam fortunam* dixit Cicero, Milon. c. 27. Schr. — In Veneta et Pithœana sic exstat: *Fars rapit exaetos. Prima tenet æquora eampi:* qua lectione, quia versus laborat, Hudsonus correxit *Primi tenet æquora campi*. Sed Cusp. et Vad. plane aliter cum Schradero consentientes: *Fors rapit exaetos patria: tenet æquara eampi Gens Camaritarum*.

886. *Gens Camaritarum*. Sic scripsisse Avienum dubitari non debet. Docent hoc Dionysius pariter et Prisc. 682, Ammianus etiam Marc. XXII, 8, p. 241: « Post hæc confinia Camaritarum pagi sunt celebres ». Nomen etiam χαμάραι, unde Καμαρῖται: vide Strab. p. 758, B. et ad eum Casaub. Tacit. Hist. III, 47, et ad eum Ern. Salmas. ad Spart. Hadr. 610. Cæterum Camaritas nemo Geographorum præter Dionysium, quem sequutus putatur Ammianus, memorat. Schr. — Fusius de Camaritis egi in Excursu ad Prisc. 687. W. — *Gens Camaritarum*. Hos tres versus sic plane describit Cælius, uti nos hic exhibemus.

889. *Orgia ludentes* Ad hæc confer v. 1003: « ritus Iaccho Luditur, atque sacris feriunt ululatibus æthram »; et v. 1349: « Et glebam sulcant et ritibus orgia ludunt ».

890. *Deduxere ehoros*. Vs. 1002: « Mæonis hic etiam deducit turba choreas ». Schr. — *Nysæi* Cusp. Vad. Pith. In A. *Nyssari* esse monet Schrad. idque facere pro scriptura *Nyssæi*, quam recepit Hudsonus. Nummi tamen habent Νυσαίων. — Hæc omnia de Camaritis neglexit Priscianus. Tantum habet: « gens est, carissima Baccho ». Ed.

891. *In fluctus adsurgit Caspia Tethys*. Sic Virg. Georg. II, 160: « te, Lari maxime, teque Fluctibus et fremitu adsurgens, Benace, marino ». Horat. Carm. II, 9, 3: « aut mare Caspium Vexant inæquales procellæ Usque ». Schr.

892. *Nec diri gurgitis*, et v. seq. *nec vagus arbem* habent Cusp. Pith. Huds. sed Vad. scripsit *non*

Lustravi pinu freta barbara, nec vagus orbem
Undique reptavi: sed vasti flumina Gangis,
Caucaseas arces et dumicolas Arienos
Incentore canam Phœbo, Musisque magistris

diri gurgitis, et *non vagus orbem*, quod nescio an magis placere debeat.

893. *Nec vagus orbem Undique reptavi. Reptavi* Ven. *reptavit* Amb. cod. *raptavi* Gen. *Hunc perreptavi* Heins. Non audio. Statius, Theb. V, 581: «Et Nemees reptatus ager». Claudian. Ruf. II, 180: «teneroque amnis reptatus Achilli». Idem, IV Cons. Hon. 134: «Cretaque se jactet tenero reptata Tonanti». Paneg. Lat. Pac. IV, 5: «et geminis Delos reptata Numinibus». Schr. — *Reptare* ut plurimum de imbecilli gressu infantum, ita sæpe de omni tardo et difficili itinere; quemadmodum Horat. Serm. I, 5, 25: «Millia tum pransi tria repimus»; et Noster v. 458: «Per dumosorum reptantes dorsa jugorum»: *raptavi*, si verum esset, contrarium significaret, raptim et celeriter orbem percurri, quemadmodum rapere, corripere, raptare campum, viam, iter dicunt poetæ. Sed hoc duriusculum, et sententiæ auctoris minus aptum. W. — *Undique reptavi* Cusp. Vad. Pithœi prima et Huds. *reptavit* A. *raptavi* Pithœi secunda. Præferenda haud dubie vulgata *Undique reptavi*. — *Sic vasti flumina Gangis*. Pro *sic vasti*, quod editiones habent, Schraderus librum Ortel. offerre dicit *sed*: quod valde placet, et orationi Poetæ majorem lucem adfert, quamquam hæc a sententia Dionysii valde discrepat. — Hic quidem *sed* Schradero videtur confirmari Dionysii vs. 715; Dionysius autem se dicit non scrutari Caucaseas arces, aut Arienos: *sed* Musarum numine rapi. Quod Avieno plane contrarium.

895. *Dumicolas Arienos* Ven. Pith. Huds. et sic legit Salmas. ad Sol. p. 555, a. A. sed Cusp. et Vad. ediderunt *pumicolas*, et Camers ad Prisc. 685 monet, vel *pomicolas* vel *pumicolas Arienos* legendum esse, a pomorum vel pumicum lapidum copia. E Dionysio, quæ verior sit lectio, perspici non potest: nam hunc exprimere noluit. Præferenda tamen videtur primitiva Venetæ *dumicolas*; quia *arces Caucaseas* conjungit, ut supra v. 505: «Bruttius hinc dumos acer colit inter, et arces Obsidet infidas». De Caucaso Indico hic loqui auctorem, docet Salmas. l. c.

896. *Incentore canam Phœbo*. Sic habent omnes vetustæ, Ven. Trogn. Huds. item Cusp. et Vad. et Pithœi prima Paris. *Inventore* invexit Pithœi secunda Lugdun. et Genev. vitio librarii, quas fideliter sequutus editor Madrit. Paullinus Nolanus, Carm. XV, 30: «Non ego Castalidas, vatum phantasmata, Musas, Nec surdum Aonia Phœbum de rupe ciebo: Carminis incentor Christus mihi». Avienus, Phæn. init. «Carminis incentor mihi Jupiter; auspice terras Linquo Jove», ut habet ed. Ven. (nam cæteræ dederunt *inceptor*), cui lectioni pondus addit Paullinus, qui totum fere versum ab Avieno sumpsit. Schr. — Si pluribus hoc indiciis constaret,

Omnia veridico decurrens carmine pandam.
Caspia per teretes Tethys distenditur oras,
Et sinuant curvis hanc totam litora terris.
Tantum sed fuso pontus jacet iste profundo,
Ut ter luna prius reparet facis incrementa,
Quam quis cæruleum celeri rate transeat æquor.
Gurgitis Oceanus pater est: namque iste nivalis
Axe Helices infert rapidi freta concita ponti,
Et sinus inde sibi pelagus trahit: hic vada propter
Caspia versatur Scytha belliger; hicque feroces
Degunt Albani: trux illic arva Cadusus
Dura tenet, Mardi celeres, Hyrcani, Apyrique.

quod Schraderus hoc loco suspicatur, Paullinum quosdam versus ab Avieno sumpsisse, egregie hoc militaret pro ætate, quam Avieno antiquiorem vulgo ei tributa dedi. W.

900. Pro *pontus jacet* Withofius in ora Trogn. notabat *patet*. Sed adjectum *fuso* satis indicat, quod vult With. Sic fere v. 525: « Hinc jacet in patulos projecta Calabria campos ».

903. *Gurgitis Oceanus pater est.* Sic vs. 437: « Abnoba mons Istro pater est ». Et de Oceano pariter Or. mar. v. 392: « Hic gurges oras ambiens, hic intimi Salis irrigator, hic parens nostri maris ». Similiter de Mæotide supra vs. 246: « Sola parens Ponto, genitrix hæc sola fluento est ». Pro *namque iste* Hudsoni et Friesem. editio *ista* dedit, haud dubie vitio operarum.

905. Pro *inde tibi* Schraderus legit *sibi*, quod præbebat A. et quia non aliter vs. 293: « Major vasta sibi late trahit æquora Syrtis ». Hoc mihi satis caussæ fuit, ut *sibi* scriberem.

906. *Scytha belliger.* Omisit hic Avienus Dionysii Hunnos, quod miror. Porro, quamquam Dionys. vs. 730, et Prisc. 706, suadere videantur, auctorem scripsisse *hincque* pro *hicque*, tamen nihil mutandum censeo, quia Poeta *hic*, *illic* de iisdem locis frequentat. Vid. 603. S.

907. *Arva ad usus* Ven. corrupte: *arva Sadusus* Cusp. sed *Cadusus* jam correxit Camers ad Prisc. 710.

908. *Mardi celeres, Hyrcani, Apyrique. Tapyrique* cod. Ortel. optime. Sic enim populi vocantur, non *Apyri*. Dionysius, vs. 733: Ὑρκάνιοι Τάπυροί τ', quam lectionem recte tuetur Salmas. ad Solin. p. 690, b. Nec dubito, quin pariter scripserit Prisc. v. 712: « Hinc Tapyri », non « Hinc Apyri ». Ubique autem conjunguntur hi populi, Hyrcani, Mardi, Tapyri, ut apud Curt. VIII, 3, 17: « Ergo Phrataphernі Hyrcaniam et Mardos cum Tapuris tradidit ». Add. Eratosthen. apud Strab. p. 782. A. Verum si scriptura codicis recipiatur, versus erit dimidio pede major: « Dura tenet, Mardi celeres, Hyrcani, Tapyrique ». Sed quantum erit reponere; Mardus

Cespite vicino Mardus fluit, et procul ipsos
Accedit Bactros; adtingens denique atroces
Agmine Dercebios, medius disterminat ambos,
Hyrcanique salis tumido convolvitur æstu.
Sed Bactrena solo vasto procul arva recedunt,
Parnessique jugi tegitur gens rupibus illa:

celer, Hyrcani, Tapyrique? veluti Scytha belliger, trux Cadusus, pernix Ligus, Colchus, 873. Junguntur ita passim sing. et plur. Silius Ital. X, vs. 304: « Et Nomas, et Garamas, et Celtæ, et Maurus, et Astur », ubi tamen Burmannus ob tot singularis, *Celta*. Ego contra nullam puto corrigendi caussam esse. Poeta enim, ne tot singularia concurrerent, variandi gratia scripsit *Celtæ*. Sic apud Livium, XXIV, cap. 9: « adversus Samnites, Bruttiosque et Lucanum »; vide Drak. tom. III, p. 107. Ipse, quod majus est, Avienus vs. 442: « Sarmata, Germani, Geta, Bastarnæque feroces, Dacorumque tenent populi, tenet acer Alanus ». Add. v. 865: « Cimmerii Sindique colunt »; ubi V. *Cimmerius*; vs. 1208: « Cossi, Massabatæque et Chalonita vagantur ». Schr. — Pro *Mardi* Ambr. habet *Medi*, notante Schrad. Medi nempe librario notiores videntur fuisse, quam Mardi. *Hyrcani Apyrique* omnes edd. Sed Tapyri verum nomen populi est, sine dubio etiam a Dionysio, v. 733, primitus scriptum, quia sic cæteri Geographi nominant: duo tamen interpretes, simulque Eustathius *Apyri* nomen tenent, et apud Dionysium legerunt Ὑρκάνιοί τ' Ἄπυροί τε, quæ lectio quoque datur in var. lect. Salm. loc. cit.

909. *Cespite vicino Mardus fluit.* Edendum censeo *Margus* pro *Mardus*, ut Ursinus apud Dionysium emendabat, in easdem partes inclinante Hillo. Nec dubito, eamdem medicinam faciendam Prisciano. Schr. — Et similiter ipse jam ad Prisc. v. 713 notavi, Margi nomen apud ipsum Dionysium nonnullos voluisse legi. Ego tamen nondum ausus sum, scripturam, quæ omnium Avieni pariter ac Prisciani exemplarium est, mutare, quum præsertim *Mardus* in quibusdam exemplis versu 911 iterum nominetur.

911. *Agmine Dercebios.* Salmas. ad Solin. p. 690, b. apud Dionysium, v. 738, ubi vulgatur Δερκέβιοι, corrigit Δερβίκιοι. Holsten. vero ad Stephan. Byz. pag. 95, Δερβίκιοι. Ipse tamen in Avieno sine codd. nihil muto. Schr. — Pro *medius disterminat* Cusp. et Vad. exhibent *Mardus disterminat*. Veneta corruptius *Dorcobios medios disterminat ambas*.

913. *Sed Bactrena*, etc. Legendum est *solo vasto* ex Dionys. qui v. 737 χέρσην εὐρυτέρην dixit. Sic etiam legit Salmas. ad Solinum, p. 554, a. A. (nulla tamen correctionis mentione facta) et Bayer in Hist. R. Bactr. p. 13. Schr. — *Soli vasto* exhibent Ven. Cusp. Vad. quod Pith. et Huds. mutarunt in *solo vasto*; unde magis firmatur Schraderi emendatio.

914. *Parnessique jugi tegitur.* Ita ex Dionysii codicibus. Antea: « Par-

Dercebios aliud cohibet latus et vada tangit
Caspia: tum clari pharetris agilique sagitta
Massagetæ rauci succedunt flumen Araxis:
Durum ab stirpe genus, placidæ mens nescia vitæ,
Ignorant flavæ Cereris commercia, Bacchi
Semper inexpertes animam traxere ferinam.

nassique jugi tegitur ». In Dionysio Παρνισσοῖο, et in Avieno *Parnissique* legit Salmasius in Exercitt. Plin. pag. 554. Huds. — Post emendata loca Dionysii, Avieni et Prisciani pergit Salmasius: «Bactrii porro Paropanisadis et Arienis vicini; ideo eos incolere dicit sub jugis Paropanissi, quem Παρνισὸν et Παρνισσὸν adpellat, non Παρνησσόν. Nam nomen illud per contractionem factum ex Παροπανισὸς, quem et Παροπανισσὸν dixere. Straboni Παροπαμισὸς, Arriano Παραπαμισὸς, Stephano Παροπαμισσὸς, et Παροπαμισσάδαι ». Quod ad rem, Bactrii sub Paropamiso. Sequitur Eratosth. apud Strab. pag. 782: Bactrios aliquantum,... quorum major pars secundum Paropamisum sit posita, τῷ Παροπαμισῷ παρακεῖσθαι. Schr. — Nihil præterea adjicit Schrad. Hinc quid ipse de hoc loco statuerit, vix liquet. Equidem non dubito, quin Dionysius scripserit: κνημοῖς ὑπὸ Παρπάμσοιο, Avienus autem « Parpamsique jugi tegitur gens rupibus illa ». Fateor tamen difficile esse quidquam hac in re definire. Wassenb.—*Parnassique jugi* Ven. Cusp. Vad. Pith. Pluribus de diversa nominis scriptione egi ad Prisc. v. 716.

915. *Aliud cohibet latus*, nempe Margi fluminis.

917. *Glauci Araxis* habent edd. Schraderus scribere maluisset *rauci*, quod conveniat naturæ fluvii. Sed nihil ausus est mutare. Ego vero, si Avienus Dionysium expressisse putatur, *rauci* legendum esse existimo. Nam ille v. 739 habet κελάδοντος Ἀράξου. Et *raucum* cum *glauco* sæpius permutatum esse apud Nostrum, vidimus ad v. 385. — De commutatione horum verborum vid. notæ Oud. in Obs. Misc. vol. V, t. I, pag. 79; et vid. Burm. Anth. Lat. t. I, p. 507. Ed.

918. *Durum ab stirpe genus* e Virgilio petitum, Æn. IX, 603. Schrad. Pro *mens nescia* alii *gens* proferunt; ego vero vulgatum *mens* retinendum censeo ex more Avieni, qui ubi de populi alicujus more agit, post nominatum populum, vulgus, gentem sigillatim *mentem* ponere solet. Sic plane sup. v. 549: « ut vulgi corda fatiget Sors rerum, et mentem terat inclementia fati », ubi vulgatum *gentem* delere, et *mentem* reponere jusserunt boni interpretes. — *Placidæ mens nescia vitæ*. Withof. et Higt. *gens*. Displicere possit eodem versu *genus* et *gens*: sed favere nonnihil dixeris v. 866: « Cercetia gens est, Atque Toretarum propter genus »; ubi tamen de diversis populis Schr.

920. *Semper inexpertes*. Hoc vocabulum lexicis ignotum, ut monet Schr. recurrit v. 1389. Pro *animam traxere* alii *animum* et *vitam*. Ego nihil muto: *animus* magis generosis hominibus vel animalibus tribui solet, *animæ* vili contemptoque generi, quale est hoc loco de-

His cibus et potus simul est; nam sanguinem equinum,
Et lac concretum per barbara guttura sorbent.
Nec procul ad Borean diri posuere Chorasmi
Hospitia, et juxta protendit Sugdias agros,
Sugdias, ingenti quam flumine dissicit Oxus.

scriptum. Virgil. Æneid. XI, 372: « Nos, animæ viles ». *Animam traxere* est accepere, sortiti sunt, quomodo Juvenal. XV, 146: « Sensum a cælesti demissum traximus arce ». *Diras* animas, ut hic *ferinas*, dicit v. 1243.—*Animam traxere ferinam.* Malim *animum traxere ferinum.* Withofius quidem pro *animam* reponebat *vitam.* Sed v. 918 præcedit: « placidæ mens nescia vitæ ». Gratius, Cyneg. 195: « traxere animos de patre Gelonæ ». Schr.

921. *Nam sanguinem equinum.* Numeros non damno: similes enim reperias apud Lucret. atque adeo Ovid. Am. III, 6, 101: « narrabam fluminum amores ». Accipio tamen *sanguen*, quod offert V. Hoc usi Cato, Varro, Ennius, pag. 38, 250, 300; Lucret. I, 837, 860; Cicer. Fin. V, 11. Avienus autem delectatur antiquis, ut *olos*, *labos*. Cæterum *sanguen* etiam Nic. Heinsius, auctoritate codicum nulla, legebat. Schr.—*Sanguinem equinum* habent omnes edd.

922. *Sanguinem equinum Et lac concretum per barbara guttura sorbent.* Imitatur Virgil. Georg. III, 463: « Et lac concretum cum sanguine potat equino ». — Prisc. 721: « Et lac commixtum potant cum sanguine equino ». Similia autem de illis tradunt Sen. Œd. 469: « Laxavit victos arcus Geticasque sagittas, Lactea Massagetes qui pocula sanguine miscet », quem manifeste Statius imitatur, Achill. I, 307: « Lactea Massagetæ veluti quum pocula fuscant Sanguine puniceo ». Silius, III, 360: « qui Massageten monstrans feritate parentem Cornipedis fusa satiaris, Concane, vena ». Add. Lucan. III, 282, et Claud. in Ruf. I, 313. Schr. Plura ejusmodi loca adduxit Camers comment. in Prisc. v. 741. W.

923. *Chorasmi. Chorasim* Ven. quod librarius e Scr. S. petitum posuisse videtur. Corripit autem primam Avienus, quam Dionys. et Prisc. producunt. Sed habet, quo se tueatur. Χοράσμιοι enim vocantur a Stephano, Hecatæo et Herodoto. Loca dedit Valcken. ad Herod. p. 255. Schr.

924. *Sugdias agro* dederunt Cusp. et Vad. sed *agros* jam Camers correxit ad Prisc. 725, et edidit Pith. cum seq.

925. *Ingenti quam flumine dissicit Oxus.* Ita in editione Pithœi Parisiensi: sed edit. Lugd. et Genev. habet *disjicit*, quod exstat quoque in editione Madrit. sed ineptum videtur. Alii *dissecat.* Forsan hic et mox vs. 964 *diffidit* legendum. Huds. Probo *dissecat* cum Hudsono et Withof. quamquam illud nullus codex habeat, aut editio. Schrad. Ego vero miror, viros eruditos tam morose vulgatum omnium editionum *dissicit*, quia forte insolentius visum, posse rejicere, quum Avieno quasi familiare sit, et pluribus locis, ut v. 964 et 1174, occurrat, nec in ulla earum editionum, quas addu-

Hic procul Emodi late ruit aggere montis,
Et per prolixos evectus protinus agros
Caspia propellit fluctu freta: qua perit hujus

xi, mutatum reperiatur. Enim vero Janus Gebhardus in Crepund. lib. III, cap. 7, p. 120, verbum *dissicere*, cum similibus *exsicere* et *prosicere*, ut verbum probum et cascum, enixe vindicat, idque pluribus locis poetarum, e quibus, nempe non intellectum, exsulaverat, restituit. Atque hic ad confirmandam sententiam suam omnium maxime Avieni locis uti poterat et debebat, qui pluribus aliis exemplis antiquorum verborum studium demonstrat, atque verbo *dissicit* tam aperte constanterque utitur, ut nullus dubiæ vel falsæ lectionis metus esse possit. Sed Avienus, quod iniquum ejus fatum fuit, multis eruditis non lectus, non visus est. Wd. — *Dissicit Ocus* habent Ven. Cusp. Vad. — Excusari quidem possunt editt. qui *disjicit* adserueruut, eo quod versus Virg. Æn. VII, 339 : « Disjice compositam pacem, sere crimina belli » in MSS et schedis et passim in codicibus vetustis profertur : « Dissice, etc. », non *Disjice* : quum scriptura ista nata sit ex more librariorum literam *i* non geminantium. Vid. not. Heinsii ad Virg. Æn. I, 70; licet alterum probare videatur Gron. ad Senecam, Agamemn. 195, ubi quæ de Claud. Puteano dicit, videbis amplius apud Gevart. lib. II, Elect. 4, pag. 60, de hoc verbo disserentem. In hac autem voce duplicatur *s*, quia in *Disice* prima non potest corripi, ut in *adicit*, *obicit* pro adjicit, objicit et similibus. Qua de re vide adnot. ad Cæsii Taurini v. 15, huj. operis tom. III, p. 317. Nec ideo a Wernsdorfio sententia nunc recedendum puto.

926. *Hemodi* Cusp. et Vad. *Emodi* Pith. et Hudson. melius sane, quia Dionysius ἠμωδὸν ὄρος habet. Ed.

928. *Qua perit hujus Fluminis os, diri ripas habitant Iaxartæ.* Mire hic versus vitio primorum editorum laceratus fuerat. Veneta dedit: « qua petit hujus Fluminis osdibiripas habitant Auxantæ ». Prima Pithœi Paris. hæc repetit excepto ultimo nomine, quod correcte *Iaxartæ* scribit. Secunda Logd. et tertia Genev. cum edit. Madrit. « qua petit hujus Fluminis occidui ripas, habitant Iaxartæ ». Cuspinianus et Vadianus multo aliter : « deindeque late Fluminis ecce Sacæ ripas habitant Iaxartæ ». Hi nempe corrigunt e Dionysio, qui Iaxartem non populum, sed fluvium, et Sacas ad ejus fluenta colentes dicit, sed minimum recedunt a vestigiis primæ scripturæ, et frustra Avienum ab errore liberare conantur, qui e fluvio Iaxarte populum facit, mendosa fortasse codicis sui lectione deceptus, in quo legit forte, aut sibi legere visus est: Τοῦ μὲν (ὄξου) ἐπὶ προχοῇσιν Ἰαξάρται νεμέονται, v. 749. Magis accommodata primæ scripturæ est emendatio Vlitii ad Grat. p. 144: « qua perit hujus Fluminis os, diri ripas habitant Iaxartæ », licet, hæc a Dionysii mente longe diversa esse, fateatur. Hunc sequutus est Hudsonus. Withofius adhuc mutavit cum Hudsono: *qua patet hujus Fluminis os*, vel *Meta*, *Sacæ diri*, etc. Schraderus denique ho-

Fluminis os, diri ripas habitant Iaxartæ.
Tendere non horum quisquam certaverit arcus:
Ambitus hos etenim multus trahit, et grave curvis
Pondus inest taxis, longo sunt spicula ferro,
Et rigor in nervis veluti bovis. Inde cruenti

rum et Heinsii exemplo legit : « qua patet hujus Fluminis os, diri ripas habitant Iaxartæ ». Verum (ut ait Vlitius), qui Sacas ex Dionysio inferciunt, ipsius potius, quam Avieni, mentem adsequuntur, cui hoc familiare satis, ab auctore suo dissentire. Huds. Ego acquiescendum in Vlitii et Huds. lectione putavi, quæ priscam scripturam quam minimum deserit, adeoque leg. censeo : « qua patet hujus Fl. os », et dein etiam eum iisdem et Heinsio *diri ripas habitant Iaxartæ*; quia hæ lectiones partim MS, partim ed. Trogn. nituntur auctoritate. Conferantur loca similia, v. 721 : « Ora Borysthenii qua fluminis in mare vergunt », et 730 : « Rursum Cimmerius qua Bosporus ora patescit ». Et *Sacæ* quidem ita disperennt, sed hi vel ideo etiam hic locum habere non possunt, quia Σάκαι et *Sacæ* prima correpta constanter efferuntur. Schr.

929. *Iaxartæ*. Errat auctor. *Iaxartæ* enim est 4 syllab. non trium. Sic Dion. 749; Prisc. 726. Val. Fl. V, 597 : « Hic et Iaxarten dictis stupet hospes acerbis Immodicum ». Schr. Sed quid prohibet, etiam apud Avienum legere quatuor syllabis *Iaxartæ*, correpta pariter syllaba secunda, more Græcorum.

930. *Certaverit arcus*. *Arcus* habent omnes vet. et sic legendum adserit Schraderus. Hudsonus reposuit *arcum* sequutus Vlitium ad Grat. v. 120 (qui sic imprudens scripsit), sed reprehenditur ab Oudend. in Obs. M. V. p. 168; item Schradero in not. Immo *arcum* ultro refutat, quod sequitur, *Ambitus hos multus trahit*. Heinsii conjecturam *arvis* pro *arcus* infelicissimam vocat Schrad. eumque græca non inspexisse adfirmat : neque igitur digna erat, quam sibi vindicaret Friesem.

931. *Ambitus hos etenim multus trahit*. Eadem phrasi Noster utitur de circulis, sive zonis cæli in Phænom. vs. 948 : « alios duo parcior arctat Linea, nec multa trahit istos ambitus æthra ». (*Trahit* igitur h. l. est extendit. W.) In verbis autem : « et grave curvis Pondus inest taxis », agnoscas imitationem Virgilii, Georg. II, 448 : « Ituræos taxi curvantur in arcus ». Schr. — In Virgiliano loco Heynius V. C. auctoritate script. codd. *torquentur* edidit, idque prætulit alteri *curvantur*. Nunc hæc lectio fortasse firmamentum accipiat ex imitatione Avieni. W.— Cf. var. lect. p. 405, t. I, nost. Edit. Virgil. ubi de hoc loco. Ed.

933. *Et rigor in nervis veluti bovis*. Sic edendum existimo. Alii *velut obvius*, (scil. Ven. Cusp. Pith. Hudsonus) quod quibusdam forte placebit collato vs. 413 : « Hoc agili sub mente tenens, velut obvia habebis Cætera terrarum »; et Progn. v. 100 : « si moles magna utriusque Occurset sibimet velut obvia ». Sed non dubitandum, quin Poeta scripserit trajectis literis, pro *obvius*,

Sunt Tochari, Phrurique truces, et inhospita Seres
Arva habitant, gregibus permixti oviumque boumque
Vellera per silvas Seres nemoralia carpunt. 936

bovis : nam νεῦρα βόεια sunt apud Nonn. et Hom. Iliad. IV, 122, apud Urs. ad Virgil. XII, 856, et IX, 622. Schr. — Optime hanc emendationem firmat et illustrat Claud. Idyll. II, de hystr. vs. 38 : « intendunt taurino viscere nervos », h. e. intestinis taurinis in nervos tortis, vel ipsis nervis et tendinibus taurorum. Nescio, an pari sensu accipiendi sint *nervi equini*, quos similiter arcubus tribuunt Virg. Æn. IX, 622, et Ovid. Pont. I, 2, 21 : nam nervus equinus e setis caudæ vel jubæ equinæ contortus videtur, sicut aliquando in discrimine obsessarum urbium crines tonsarum mulierum ad funes et vincula tormentorum efficienda narrantur collati ; vid. Veget. de R. M. IV, 9 ; Freinsh. ad Flor. II, 15, 10 ; Cœlius Rhodig. var. lect. lib. XVIII, cap. 11 et 12. Wernsd. — *Et rigor in nervis veluti bovis.* Antea *velut obvius.* Corrigit Vad. *Et rigor e nervis volat obvius.* Hudsonus conjicit *velut ossens.* Sed fortasse post Schraderum amplius corrigendum est : *Et rigor in nervis validi bovis.* Nam *quid bove firmius?* inquit Ovid. de Pont. I, 4, 11 ; et *validus, fortis* fere perpetua boum vel taurorum epitheta sunt. Virg. Georg. II, 237 ; Ovid. Met. VII, 538 ; IX, 46 ; et Pont. I, Epist. 4, 12.

934. Probo *Tochari Phrurique* e Dionys. 752 ; Plin. tom. I, p. 316, 15 ; Ptolem. p. 185, et probabiliter etiam 186, ubi Τάχοροι MS. Prisc. 727. Schr. — *Sunt Thocari Phrunique truces hic et inhospita Seres.* Sic Cusp. Sed Camers ad Prisc. 725 ejicit *hic*, quod abundat. *Tochari Phrunique* Vad. *Frurique* Pith. *Phrurique* Huds.

935. *Gregibus permixti oviumque boumque.* Priscianus, qui hoc loco scribit vs. 728 : « Illis nulla boum, pecoris nec pascua curæ », multo rectius vertit Dionysium v. 753 Avieno, qui vel non intellexit græca, vel aliud verbum in codice suo invenit. Schr. — Fortasse pro ἀναίνονται *adspernantur*, finxit sibi verbum ἐνναίονται, *inhabitant*, aut simile. W.

936. *Vellera per silvas Seres nemoralia carpunt.* Imitatur Virg. Georg. II, 121 : « Velleraque ut foliis depectant tenuia Seres », ut Ausonius, Technop. pag. 487 Toll. « Vellera depectit nemoralia vestifluus Ser ». Conf. Plin. lib. I, pag. 316 (lib. VI, 17, s. 20) : « Seres lanificio silvarum nobiles perfusam aqua depectentes frondium canitiem ». Claud. Cons. Pr. et Ol. 179 : « Stamine, quod molli tondent de stipite Seres, Frondea lanigeræ carpentes vellera silvæ ». Add. I in Eutr. 226. Idem, ibid. v. 304 : « Quem puer adridens pretioso stamine Serum velavit ». Orientius Common. p. 10 : « Lenia nec desunt nivei velamina lini, Sunt etiam Eois pallia velleribus ; Illa ferax jacto reddet tibi semine tellus, Hæc celsis carpent Seres in arboribus ». Schr. — Serica ipsum nunc est regnum Catajæ, vulgo *Kitay* (vel *Katai*), incolis frequens et agrorum cultu læta, et omni divitiarum genere adfluens. Urbs illi opulentissima *Cambalu*, caput totius imperii Magni Chani, frequentissi-

Ultima Epetrimos tellus habet: et procul ista
Cassa virûm est, nullis pecorum balatibus agri
Persultant; herbæ viduus jacet undique cespes,
Fronde caret; nusquam terras intersecat amnis.
Caspia tot late circumdant æquora gentes.
Nunc rursum ab Colchis et glauci Phasidis undis

mum Indis ac Sinensibus mercaturibus emporium. Ed.

937. *Ultima Epetrimos tellus habet.* Hic loci Avienus adjectivum ἐπητρίμους nomen proprium facit: quod ignorantiam ejus tam in lingua Græca, quam in Geographia prodit. Huds. — Addere debnisset ignorantiam metri. Tertiam enim in ἐπήτριμος brevem esse ostendit Dionys. v. 758 et 1079. Schr. — Nolim equidem ignorantiæ in Græca lingua postulare Avienum, qui plures puetas Græcos latine exponere ausus est, et multum Græcorum scriptorum pariter ac Geographiæ studium carminibus suis, præsertim Oræ marit. fragmento, vasti operis Geographici principio, probavit, tum in ipsa Græcia diu Proconsul versatus est. Sed luxuria ingenii nimirum et spiritu libero peccavit, qui lege interpretis et Grammatici ægre coercebatur, tenuia, quæ desperaret posse intexere, spernebat, grandia et luculenta sectabatur, in quibus exsultare posset; multa igitur Dionysii prætervolabat, aut negligebat, impetu ingenii ablatus. Nec tamen Priscianus, circumspectior interpres, minus peccavit, ut notavimus ad vs. 803, 818, 1026. W. — *Ultima Petrimos* Ven. Cusp. *Ultima Epitrimos* Vad. *Epetrimos* Pith. quem sequitur Huds. In græco, vs. 758, Scythæ vocantur ἐπήτριμοι, quod nomen Avienus, quasi populi esset, extulit. Camers ad Prisc. 731 hoc negat, et conformiter ad græcum legendum putat *Ultima postremos tellus habet*, quia ἐπητρίμους explicat συνεχεῖς, i. e. ultimos, aut *Ultima petrinos*, ut sensus sit, ultimam terram regionis hujus habere homines, loca lapidosa habitantes. Quæ sane coacta est interpretatio. Mihi videtur Avienus *Epetrimos* non pro nomine singularis populi, sed pro cognomento vel distincto genere Scytharum habuisse, posuisseque pro ipsis Scythis. Aliter perspicere vix possum, qui factum sit, ut Scytharum nomen, satis tritum et notum, præteriret.

940. *Fronde carent, numquam* habent Ven. Cusp. cum A. unde Pith. et Huds. *carens, nusquam.* Vadian. *caret, nunquam.* Schraderus probat *caret: nunquam* Pithœus recte mutavit in *nusquam.* — *Terras intersecat amnis.* Eodem verbo utitur Or. mar. vs. 611: « hujus alveo Ibera tellus atque Ligures asperi Intersecantur »; et vs. 634: « arva Gallici soli Intersecantur scrupeu fastigio ». Schr. — Tale est, quod supra de Tauro monte dicebat vs. 840: « Interstatque jugo mediam (Asiam) », ubi vide not. W.

942. *Ab Colchis et raucis Phasidos undis.* Heinsius conjecit *glauci*, offensus haud dubie tot vocibus in *is* exeuntibus. Deinde conferantur

Occiduum ad solem populos memorate, Camenæ,
Usque in Threicii fauces maris! Aspera primum
Byzerum gens est: diri sunt inde Bechires,
Macrones, Philyresque, et pernix Durateûm gens.

cum his Dionys. vs. 762, Priscian. vs. 736, a quibus Colchi et Phasis junguntur, sicut in hoc Manilii, IV, 515: « Laniger.....Phryxum Phasidos ad ripas et Colchida tergore vexit »; et Lucan. III, 271: « Colchorum qua rura secat ditissima Phasis ». Schr. — *Raucis* olim Schrad. conjecit in sch. *glaucis* habent vulgatæ. *Phasidis* Cuspin. et Huds. *Fasidis* Vad. et Pith.

944. *Aspera primum Byzerum gens est.* Admitto lectionem Hudsoni Pithœum corrigentis, *Byzerum gens est*, quomodo et citaverat Cellarius, Geograph. Antiq. II, 284, et legendum conjecerant Higt. et Withof. Favet vs. 1151: « Mediis hic impigra in armis Cappadocum gens est ». Memorabilis tamen est lectio Ambr. *Byzeron est gens*, ut v. 960 idem Ambr. *Et Maryandinon gens.* Sed obstat, quod ab omnibus dicuntur Byzeres, non Byzeri. Vid. Dionys. 765; Apollon. Rh. II, 358, 1248; Orph. Arg. 755; Strab. pag. 826; Valer. Flacc. V, 153. Contra Plin. tom. I, p. 304; Mela, I, 19, 79, sed forte corrupti. Schr.

945. *Byzerum est gens* Ven. Pith. *Byzerum gens est* Cuspin. et Vad. Huds. conjicit forsan *Byzerorum* ab Avieno esse. — *Diri sunt inde Bechiri.* Ita forte monachus leoninis versibus delectatus. Sed incommodo medetur *duri*, quod Hudsonus conjecerat, et *Bechires*, quod habet V. Utrumque reperitur Βίχιρ, et Βέχειρες. Apud Orph. vs. 739 pro λαοί τ' ἐπίχειρες e Voss. cod. legendum Λαοί τε Βέχειρες. Schr. — *Bechires* habet V. quomodo Dionys. et Prisc. v. 739.

946. *Macrones.* Eos hic agnoscunt Apoll. Rh. I, 1023; II, 396, et qui eum sequitur Val. Flacc. V, 152; Xenoph. Hist. Gr. lib. VII, p. 427, C. agnoverunt itidem Orpheus, Arg. 742, si per librarios licuisset (vid. Holsten. ad Steph. p. 315; Ruhnk. Ep. Cr. p. 755); Herodot. Strabo. Iidem autem Macrones et Macrocephali, licet tamquam diversos memoret Plin. I, 303, 16, 304, 2. Perspicue eosdem esse indicat Anonymus in Desc. Ponti Eux. t. III, G. V. Hudsoni, p. 14, ubi non *Forsan*, ut Huds. sed indubitate corrigi debet Μάκρωνας ἤτοι Μακροκέφαλοι. Conf. Cellar. II, 286. Schr. — *Philyres.* Populi sic dicti a Philyra, Chironis matre. Val. Fl. V, vs. 153: « Philyræque a nomine dicta Litora, quæ cornu pepulit Saturnus equino ». Ed. — *Philirique* Venet. Pith. Hudson. *philireque* Cusp. et Vadian. sed Cælius in Adnott. castigavit *Macrones Philyresque:* et sic habere V. et alios, ut Orph. vs. 753, monet Schrad. Conf. not. nost. ad Prisc. 740. *Durateum gens* posuit Avienus pro Mossynis, vel Mosynœcis, quia Dionysius, v. 767: οἳ μόσσυνας ἔχουσι Δουρατέους· Camers ad Prisc. 741 Avieni dictionem interpretatur *Turricolarum gens*, non inepte. Et excusari hoc pacto Avienus potest, qui licere sibi putavit, homines lignearum turrium incolas solenni

Inde Tibareni, Chalybes super, arva ubi ferri
Ditia vulnifici crepitant incudibus altis.

vocabulo adpellare, quo equus Trojanus, fœtus armis et viris, solebat *durateus;* videatur Lucretius, de Natura Rerum, I, 477. Neque necesse est *Durateûm* pro nomine proprio gentis habere, sed Avienus Mossynos vocavit gentem *durateûm*, i. e. ædificiorum ligneorum. — Rursus ex adpellativa voce finxit proprium substantivum. Eumdem errorem erravit Ortelius. Notavit errorem Cellar. Geog. Ant. II, p. 285 (lib. III, c. 8, p. m. 337). De Mosynœcis multi multis locis, Apoll. Rh. II, 1018; Dionys. Hal. I, 27; Strab. p. 825; Tzetz. ad Lycophr. 493. Corruptus Orpheus, v. 739: Μίγδην ἐν Μοσύνοισι: ibi enim σο syllaba contra omnium morem corripitur. Legendum ejecta præp. Μίγδην Μοσσύνοισι, κ. τ. λ. Sic Hom. Il. VIII, 437: Μίγδ' ἄλλοισι θεοῖσι. Schr.—Posses etiam: Μίγδ' ἐνὶ Μοσσύνοισι. W.—*Pernix durateûm gens.* Notavi jam in var. lect. *durateûm* commode haberi pro adpellativo, ut *durateûm gens* sit, quæ ligneis domibus utitur. Nunc addo videri etiam pro *pernix* legendum esse *pernox durateûm*, vel *durateis*, *gens.* Nam *pernicem* ut eam gentem vocaret Avienus, in verbis Dionysii nulla caussa adparet; contra *pernox* adjuvat sententiam, et significat, gentem eam assiduam esse in ligneis domibus, noctes totas in iis exigere, adeoque habitare: pariterque, ut hic, in aliis poetarum locis librarii vocem *pernox* cum *pernix* commutasse leguntur, ut apud Virg. Georg. III, 230, et Val. Flacc. III, 117. Et in loco Virgiliano Heynius, V. C. docet, libros scriptos et Grammaticos constanter *pernix* legere, qui propterea, quod contextus loci non alium sensum admittere videtur, *pernicem a pernitendo* ductum esse, et *perseverantem* notare contenderunt. Tali igitur sensu quum apud Virgilium *pernox*, quod meliores substituerunt, accipiendum sit, videtur etiam in nostro Avieni loco *pernox durateûm gens* esse, quæ in durateis pernoctat, i. e. per noctem habitat. Wd.

947. *Inde Tibareni.* Secunda in *Tibarenus* ab Avieno producitur, quam corripiunt Apoll. Rhod. II, 377, sequutus de more Dionys. vs. 767; Orph. 739; Valer. Flacc. V, 148. — Et Priscianus, qui adjectivum πολύῤῥηνες ab Avieno neglectum sedulo expressit, v. 743: « Hinc pecorum dives nimium genus est Tibarenum. Ed.—Cæterum contra Huds. distinguendum est *Inde Tibareni; Chalybes super*, i. e. Chalybes sunt supra Tibarenos. Atque ita Dionys. vs. 767: πολύῤῥηνες Τιβαρηνοί. Τοῖς δ' ἔπι καὶ Χάλυβες. Schr. — *Arva ubi ferri Ditia vulnifici crepitant incudibus altis.* Conferendus est Val. Fl. V, 141: « Nocte sub extrema clausis telluris ab antris Pervigil auditur Chalybum labor; arma fatigant Ruricolæ, Gradive, tui »; et v. 169: « Tum gemitu propiore Chalybs, densusque revulsis Rupibus audiri montis labor ». Ed. —*A. u. f. D. v. crepitant incudibus altis.* Sic Valer. Flacc. IV, v. 288: « quum fulmina Cyclops Prosubigit; pulsis crepitant incudibus urbes ». Dionys. vs. 768: Χάλυβες στυφελὴν καὶ ἀπηνέα γαῖαν Ναίουσιν, μογεροῦ δεδαηκότες ἔργα σιδήρου. Schr. — *Arva ditia*

Post hos Assyriæ tenduntur jugera terræ,
Armenioque jugo late surgens Thermodon
Gentis Amazonidum lambit sata; nec minus illic
Erigitur celsa in fastigia prisca Sinope.
Hanc urbem quondam, magni Jovis ardor, Asopis
Virgo, locans sævæ propter confinia terræ,

ferri vulnifici, quæ Rutilio, I, 355 : « terra ferri fecunda creatrix ». Celebre Chalybum a ferri stricturis nomen Virgilius ornatus caussa ad Cyclopum officinas traustulit, Æn. VIII, 421 : « Cyclopum exesa caminis Antra Ætnæa tonant... striduntque cavernis Stricturæ Chalybum, et fornacibus ignis anhelat ».

949. *Assyriæ tenduntur jugera terræ.* Pariter Dionysius patentem campi magnitudinem Assyriæ adtribuit v. 772 : Ἀσσυρίης πρόχυσις χθονὸς ἐκτετάνυσται. Prisc. v. 746 : « Vicinos istis campos, terramque patentem Assyrii complent populi ». Assyria nunc *Chozistan*, de qua vid. Ph. Cluv. Intr. Geogr. V, c. 14. Ed.

950. *Armenioque jugo.* Dionys. v. 773 : ἀπ' οὔρεος Ἀρμενίοιο, κ. τ. λ. Prisc. vs. 747 : « qua gurgite vasto Inter Amazonidas Thermodon, Martius amnis, Armenium linquens montem, descendit in æquor ». Illum sequutus videtur Amm. Marcell. p. 240. Schr.

952. *Erigit excelsa in fastigia.* Non placet conjectura Hudsoni *Se erigit*, nec Withofii, qui *excelsum* tentavit. Legendum *Erigitur celsa in fastigia.* Idem jam in Observatt. monui, et vere me conjecisse, postea deprehendi, quia sic perspicue Ambros. Conf. Præfat. Emend. Schr. — *Erigit excelsa* Cuspin. Pith. Sed recte Camers ad Prisc. 750 emendavit, et Vadianus deinceps edidit *Erigitur celsa in fastigia.* Ad *prisca Sinope* conf. v. 517 : « Inde Croton priscis adtollit mœnia muris ».

953. *Hanc urbem quondam, magni Jovis ardor, Asopis.* Sequitur Dionysium, qui vs. 775 seqq. Ὅς ποτ' ἀλωομένην Ἀσωπίδα δέκτο Σινώπην, Καί μιν ἀκηχεμένην σφετέρῃ παρενάσσατο χώρῃ, Ζηνὸς ἐφημοσύνῃσιν· ὁ γὰρ φιλότητος ἐραννῆς Ἰσχανόων, πάτρης ἀπενόσφισεν οὐκ ἐθέλουσαν. Ignes tamen Jovis eam lusisse Val. Flacc. canit V, vs. 110 : « Assyrios complexa sinus stat opima Sinope; Nympha prius, blandosque Jovis quæ luserat ignes, Cælicolis immota procis : deceptus amatæ Fraude Deæ nec solus Halys, nec solus Apollo ». Alii Sinopen ex Apolline gravidam peperisse tradunt Syrum. Vid. Diod. IV, p. 190; Philosteph. apud Schol. Apoll. Rhod. II, 948; Plut. Lucull. III, p. 169; Burman. ad Val. Flacc. l. c. Schr. — *Jovis ardor Asopis.* Ovid. Fast. II, 308 : « hæc meus ardor erit » (add. Epit. Hom. vs. 333). Cæterum poetæ, in his Dionys. v. 775, primam in Asopis producunt. Schr. — *Asopis* Cusp. Vad. Pith. *Asopi* Huds. nescio quam ob rem.

954. *Hanc urbem... Virgo locans ... Aulam habuit.* Sic Lucret. V, 1107 : « Condere cœperunt urbes, arcemque locare, Præsidium Reges ipsi sibi, perfugiumque ». Virgil. Æn. I, 247 : « Hic tamen ille urbem Patavi, sedesque locavit Teucrorum, et genti nomen dedit ». Schr.

Aulam habuit, plebemque suo de nomine dixit.
Nec procul hinc purus laticem provolvitur Iris;
Et citus Armeniæ cursum convallibus arcis,

955. Veneta vitiose *Auiam habuit*, Cusp. *Auia :* propterea Camers ad Prisc. 750 tentat primo *Ausa habuit*, mox *Arva habuit*, quod sequutus est Vad. Sed multo melius e prima scriptura Pithœus elicuit *Aulam habuit*, quod verum est, et a reliquis receptum. Et sic Noster vs. 1200 : « stat maxima Beli Aula ». Confer etiam v. 664. — *Plebemque suo de nomine dixit.* Imitatur Virg. Æn. I, 533 : « Nunc fama, minores Italiam dixisse ducis de nomine gentem » ; lib. VII, v. 671 : « Tiburtia mœnia linquunt, Fratris Tiburti dictam cognomine gentem ». Conf. Sil. It. I, 28. Schr.

956. *Purus laticem provolvitur Iris.* Lego *laticem* cum Heinsio et Huds. Et sic v. 1341 : « Æquore qua fuso laticem producitur Indus ». Higtius *laticem* vel *latices* conjecerat. Dubito tamen, an non conjungenda sint *purus laticem* magis, quam *laticem provolvitur*. Schr. — *Hinc purus latice provolvitur* Ven. et Pith. *laticem provolvitur* Cusp. et Vad.

957. *Et citus Armeniæ rursum convallibus artis.* Primum lego : « Et citus Armeniæ... convallibus arcis ». Sic Dionys. v. 786 : ἀπ' οὔρεος. Prisc. v. 759 : « Armeniis primas qui montibus accipit undas ». Arcem pro monte dici, notum est. Sic v. 1209 : « At rursum Armeniæ si quis pede pergat ab arce Rupis » ; in Or. mar. 606 : « Setius inde mons tumet Procerus arcem ». Convallibus autem montis oritur fluvius, ut Phasis in Caucaso, v. 876 : « Hujus valle procul Phasis gemit, istius antro Agmina provolvit ». Deinde Oddius, indice Hudsono, pro *rursum* tentabat *cursum*, quas voces permutari vidimus in Observ. Vulgatam lectionem hæc premit difficultas, quod nec Dionysio respondet, nec Prisciano. Halys autem non surgit ad Carambin, sed exit in Pontum; oritur vero ab Armeniis montibus, ut ipse Avienus et Dionys. Unde tamen *cursum* pendeat, non video. Forte voluit : « Et citus Armeniæ cursum convallibus arcis, Qua vastum in pelagus vergit saxosa Carambis, Urguet Halys ». Nihil certius. Halys urget cursum. Adposite vs. 430 : « Porro inter cautes et saxa sonantia Rhenus, Vertice qua nubes nebulosus fulcit Adulas, Urget aquas » ; v. 1177 : « Hoc elapsus idem vim proni gurgitis urget » ; Or. mar. v. 321 : « In quas Besilus atque Cilbis flumina Urgent fluentum » ; Ovid. Fast. VI, 520 : « Audit, et ad vocem concitus urget iter ». Schr. — Sic et Valer. Flacc. V, 400 : « inceptum protinus urget Aere septus iter ». W. — *Et citus Armicæ rursum convallibus arcis* Ven. *Armeniæ convallibus artis* Pith. et Hudson. *Armeniæ... arcis* Cusp. Qua lectione non contentus videtur Camers, qui ad Prisc. 750 verba hæc ad Irim fluvium trahens, primo tentat *Et citus Amasicæ... arcis*, mox *Et citus Arminicæ*, quarum emendationum rationem vide apud ipsum. Vadianus alteram sequutus videtur, et scripsit *Arminiæ arcis. Convallibus altis* quondam conjecit Schrad. in sch. sed postea damnavit.

Qua vastum in pelagus vergit saxosa Carambis,
Urget Halys: tum Paphlagonum sata longa patescunt,
Et Mariandynûm gens incolit, unde triformis
Ora canis superas quondam produxit in auras

958. Pro *vergit* Ven. Cuspin. et Vad. *verget*. Quod tam constanter servatum decepisse videtur librarios, ut sequente versu, ne simile verbum recurreret, *Urget* mutarent in *Surgit*.

959. Cuspin. corrupte ediderat *Surgit Halysum Paphlagonum*. Camers ad Prisc. 750 hoc facile corrigebat: *Surgit Halys: tum Paphlagonum;* idque a sequentibus servatum est. Sed pro *Surgit Halys* nos ex certa ratione superius indicata *Urget* scripsimus.

960. *Et Mariandynûm gens incolit*. Probo *Mariandynum*, quamquam in A. *Mariandynon*. Sunt, qui putent *Mariandenos* dici. Μαριανδηνοὶ sunt Ptolem. pag 134, sed eadem forte medicina facienda, quæ facta est e MS Herodoto, III, 90, VII, 72, ubi Wessel. SCHR. — *Unde triformis Ora canis*. Heinsius ad Ovid. Her. IX, 38, tentabat *trifauci Ore canem*, vel *trifaucis Ora canis*. Ego tueor vulgatam, et probo ex his locis: Senec. Herc. OEt. 1202: « Non me triformis sole conspecto canis Ad Styga reduxit »; Stat. Thebaid. II, v. 53: « letique triformis Janitor »; Sidon. Carm. IX, 96: « Luctator fluvius, canis triformis »; Ovid. Metam. IX, 184: « nec me pastoris Iberi Forma triplex, nec forma triplex tua, Cerbere, movit ». *Ora* autem canis triformis posuit pro *canem*. Vid. Marckl. ad Stat. Silv. pag. 85. Porro *unde* ex idiotismo Avieni pro *ubi*, ut *undique* pro *ubique*. SCHR.

961. *Ora canis superas quondam produxit in oras*. Sic recte Cod. Ambr. et ed. Pith. quod sequutus est Huds. *Auras* cod. Ortel. Sed alterum probat Schottus. *Oras luminis* similiter dixit Strabus Gallus in Hortulo: et ita semper scribendum puto in illa locutione. BURM. ad Lact. Phœn. v. 44, p. 1042. Non me fugit, *ora* et *ora* diverso significatu satis vicina reperiri. Vs. 21: « Libyæ sese explicat ora: Finis huic Gades, septenaque gurgite vasto Ora procul Nili »; add. v. 1230: « Hæc Asiæ dixere fores, hiet ore quod illo Porta quasi, et longas bivium discedat in oras ». Sed quis tam patiens est, ut in uno versu juncta ferre possit *ora* ... *oras*. Equidem corrigere non dubito *superas produxit in auras*. Sic loquuntur optimi poetæ, præsertim in oppositione ad inferos et Erebum. Ovid. Met. X, 11: « Quam satis ad superas postquam Rhodopeius auras Deflevit vates; ne non tentaret et umbras Ad Styga Tænaria est ausus descendere porta ». Virg. Georg. IV, 486: « Redditaque Eurydice superas veniebat ad auras »; Æn. VI, 128: « facilis descensus Averno ... Sed revocare gradum, superasque evadere in auras, Hoc opus »; lib. VII, 768: « Ad sidera rursus Ætheria et superas cæli venisse sub auras ». Unde corrigendus forsan Avien. Phænom. v. 216: « Algentes artus Erebo procul intimo ab usque Suscitat... mundanas revocat medicator in oras ». Pondos

Alcides Erebo : propter Bithynia glebam
Exserit : hic late Rhebas extenditur amnis,
Rhebas, cyanei qui dissicit æquora Ponti,
Rhebas, argento similem qui porrigit undam.

autem sententiæ liber Ortelii addit, qui perspicue exhibet *auras*. Schr. — *Superas produxit in oras*, sic omnes edd.

963. *Hic late Rhebas extenditur amnis*. Sequitur Avienus Dionysium, v. 794 : Ῥήβας ἔνθ' ἐρατεινὸν ἐπιπροΐησι ῥέεθρον. Quem uotat Petr. Gyllius, testis oculatus, oegans amnem esse magnum, de Bosporo Thrac. III, c. 1. Idem negat Toornefortius, Itin. Or. t. III, p. 16. Schr.—Sed Dionysii locum male ceperunt. Wassenb. Avienus, obi Rhebam fluviom late extendi dicit, oon tam lato eum alveo esse, quam louge veuire prodit (vid. v. 981), eoque verbum Dion. ἐπιπροΐησι reddit, quod verteodum esse videtur *longo tractu protendit*. Coufirmat hoc Val. Flacc. IV, 697, *longinquum* amoem nominaos : « oigraotia quam jam Litora, longinquiqoe exireut flumina Rhebæ ». Quod si alii Geographi, ut Strabo, Mela, Ptolemæos magnom fluvium oon prædicant, ac oe memorant quidem, Val. Flacci tameu et Diooysii loca persuadent, hanc famam olim ejus fluvii foisse. W. —Veo. hic corrupte : *Exerit hic latebras extenditur amnis :* qui versos et sensu, et justa pedum meusora destituitur. Vitium io voce *latebras* lateos beue expediit Pith. scribens *Exerit, hic late Rhebas extenditur amnis*. Cospin. et Vad. miuus feliciter, et tantum de explendo versus hiatu cogitaotes scripseruut : *glebam Exerit hic pinguem* (hoc e Diooysio) *latebras extenditur amnis Rhebas*. Pithœana lectio sine dobio vera, et pariter a sequentibus recepta est.— Cluver. Introd. Geog. lib. V, cap. 17, flumioa Bithyniæ enumerans Parthenium, Hippiam, Sangarium, Ascaoiom, nullam de Rheba mentionem habet. Sed Mariandynos quos tantum vicinos Bithyniæ facit Noster, ille ipsius ioter incolas memorat. Ed.

964. *Rhæbas ehæanei* Veu. *cæanei* Cusp. *Rhebas cyanei* corrigit Camers ad Prisc. 752, et adjicit *a Cyaneis Ponti insulis :* id sequuntur reliqoi. *Dissicit* omnes antiquæ, ut vs. 925 Pithœi Lugd. et ed. Madrit. pro eo *disjicit*, quod tuetur Schrad. collato v. 1174. Sed ibi eædem antiquæ aperte exhibeot *Dissicit*. Et tam coostans ejus verbi scriptora apod Nostrum vindicare illud ab omni correctione debebat. Vid. not. ad v. 925. Sic de fluvio usorpat *incidit agros* v. 536, *intersecat* 940, *findit* 1072. — Vix tamen admitto eam τοῦ *dissicit* interpretationem, quia uon Diouysio respoodet qoi Rhebam dicit tantum fluere propter ostia Pooti, vs. 795 : Ῥήβας, ὃς πόντοιο παρὰ στομάτεσσιν ὁδεύει. Ed.

965. *Argento similem qui porrigit undam*. Ovid. Met. III, 407 : « Fons erat illimis, nitidis argenteus ondis ». Theocr. Idyll. XXII, 39 : αἱ δ' ὑπένερθεν ἄλλαι κρυστάλλῳ ἠδ' ἀργύρῳ ἰνδάλλοντο. Apul. Met. I, p. 14 : « Leuis flovius io speciem placidæ palodis iguavus ibat, argento vel vitro æmulus in colorem ». Ad quem locnm plura Pricæus.

Hi Pontum cingunt populi. Nunc illa canatur
Ora Asiæ, glaucus pelagi quam subluit æstus,
Axe Noti in fauces rapidi procul Hellesponti,
Et freta qua spumant Ægyptia partibus Austri,
Usque Arabas et longa Syræ confinia terræ.
Dictum etenim, quantus rigidas Scytha degat ad Arctos.

966. *Illa canetur* omnes edd. *canatur* vult Schrad. e Dionys. v. 790, et Prisc. 767, cui adsentio.

967. *Ora Asiæ, glaucas pelagi* Cusp. vitiose. unde correxit Camers ad Prisc. 765 *Ora Asiæ glaucus*, qood rectum est, et servant reliqui. — Vide notata ad Prisc. locum, nost. Edit. t. IV, p. 361. Eu.

968. *Axe Noti in fauces* edid. Cusp. Vad. Pith. Hods. sed Camers· ad Prisc. 765 ejicit *in*, et scribit *Axe noti fauces rapidi procul Hellesponti*: *procul* euim ait, interdum accusativo jungitur. Sed hic sensum Poetæ uon cepit, et uecessarium est *in fauces*, quia Poeta oram Asiæ enarrare vult, quæ porrigitur usque in fauces Hellespouti. Hinc alios legere *ad fauces* mouet Huds. quos tamen uondum iuveoi. Vid. super. not.

969. *Et freta qua spumant Ægyptia.* Mare Ægyptium crebro memoratur. Vide Wessel. ad Herod. pag. 154. Sed illi hic locus non est. Dionysius, v. 801: Καὶ ποτὶ μηκίστου νότιον ῥόον Αἰγαίοιο. Ita corrigendum: « Et freta qua spumant Ægæi partibus Austri ». Sic ipse Avienus, v. 555: « hanc freta quippe Ægæi lambunt pelagi »; et vs. 689: « Mirus et ille dehinc Ægæi gurges habetur ». Schr. — Mihi videtur erroris absolvendus Avienus, qui nihil aliud, quam verba Dionysii ioterpretatus est, et νότιον ῥόον μηκίστου Αἰγαίου, australem gurgitem maris Ægæi, qua longissimum est, putavit adpellandom esse mare Ægyptium. Idem alibi *Pharium* adpellat v. 165. Schr. — *Spumant Ægyptia* omues edd. Ego vero uihil mutare audeo, consentientibus omnibus libris, idque potius inter παροράματα Avieni referendum. Fortasse ue hoc quidem.

970. *Usque Arabas.* An ex *Arabs* faciendum *Arabos*? Sic vocant Prisc. 896: « Nou Arabis similes opulentis », et, quem sequi gaudet, Virg. Æn. VII, 605: « Hyrcanisve Arabisve parant ». Aliorum loca dedit Heins. ad Ovid. Her. XV, 76. Schr. — *Usque Arabus* Ven. et Cuspin. *Arabes* Pith. et Huds. sed rectius videtur e prima scriptura *Arabus* faciendum *Arabas*, uti edidit Vad.

971. Legendum est: « Dictum etenim, quautus rigidas Scytha degat ad Arctos ». Sic enim codd. A. et Ortel. Mox, quamquam A. habet *arces* pro *Arctos*, vulgatum servo, collato illo Nemesiani, Cyn. v. 69: « Nec taceam rigida quæ nuper bella sub Arcto ». (Sed in vulgatis est *Nec taceam primum.*) Notandum porro, hunc versum: « Dictum etenim, etc. » alio ordine legi in libris Dionysii et Prisciani. Mihi placet ordo Avieni, qui vel suo judicio transposuit, vel exemplar habuit, in qoo transponebatur. Schr. — *Dictus enim* Ven. Cusp. Pith. *Dictum etenim* Vad.

Chalcedon tumulus fluctu circumdatus alto
Eminus Europen proceraque mœnia Byzæ

972. *Chalcedon tumulus fluctu circumdatus alto.* Hodie præfertur, ut scribatur *Calchedon*, non *Chalcedon*, e nummis, in quibus Καλχηδονίων, vel Καλχαδονίων. Spanhem. V. et Pr. N. I, p. 118; Pellerin. II, p. 27; Wessel. Herod. V, 26, 85, IV, 144, pag. 343; Holsten. ad Steph. Byz. pag. 163; Heins. ad Virg. Ecl. X, 50. Schr. — Heinsio ad Claudian. Nupt. Hon. et Mar. v. 88, *Chalcedon* seu *Calchedon* hic positum videbatur pro *Chalcedonius.* « Sic Julianus, inquit, Epist. 61, Καλχηδόνα πορθμὸν dixit, quem alibi Καλχηδόνιον adpellat ». Sed loco Juliani citato legitur Καλχηδόνος πορθμὸν, nulla scripturæ varietate memorata. (In edit. Op. Jul. Paris. 1630 omnino legitur, uti Heinsius prodit, et pro varietate in marg. ponitur Καλχηδόνος. W.) Præterea mire dicitur *Chalcedon*, *tumulus fluctu circumdatus alto.* Aliud quærendum videtur. Atque igitur conjicio, quamvis paullo timidius: *Chalcideon tumulus*, etc. nam apud Dionys. v. 803: Χαλκιδέες μὲν πρῶτα παρὰ στόμα γαῖαν ἔχουσιν. Dionysius autem Chalcedonios videtur *Chalcides* adpellasse (conf. vs. 764), quia forte eos ἀποίκους Chalcidis, urbis Eubœæ, esse censuit, uti conjicit Gyllius de Bosp. Thr. pag. 356, et Hillus ad Dionys. l. c. Schr. — *Calchedon* Cusp. *Chalcedon* Vad. Pith. — *Tumulus fluctu circumdatus alto.* Tumulus hic forte natus est e corrupta lectione apud Dionysium: Χαλκιδέες μὲν πρῶνα (pro πρῶτα) παρὰ στόμα γαῖαν ἔχουσιν. Cf. v. 900, ubi ὀρέων δύο πρῶνες occurrunt. Referam tamen verba quædam Plinii, I, 507, 12 (lib. IX, sect. 20): « Est in Euripo Thracii Bospori, quo Propontis Euxino jungitur, in ipsis Europam Asiamque separantis freti angustiis, saxum miri candoris, a vado ad summa perlucens, juxta Chalcedonem in litore Asiæ ». Schr.

973. *Eminus Europen. Europem* Ven. *Europen* Pith. Trogn. Gen. Huds. ut fere semper Priscianus. Ego vix dubito, quin Poeta scripserit *Europam.* Sic enim semper vocat, ut Or. mar. v. 686: « Europam ut isto flumine et Libyam adseram disterminari »; et Descr. Orb. v. 742: « hoc caput amplæ Proditur Europæ ». Schr. — Add. v. 221. W. *Eminus Europem* Cusp. Sed Camers ad Prisc. 765 vult *Cominus Europen*, Vad. *Cominus Europam.* Mihi antiquior scriptura præferenda videtur. — *Proceraque mœnia Byzæ Adspicit.* Dionysius memorat οὖδας Βυζάντιον v. 804. Caussam explicat Dodwell. in Diss. de ætate et patria Dionys. § 10: « Ab urbis, inquit, Byzantii mentione prorsus abstinet (Dionysius), etiam data occasione, immo pæne exigente... Sic enim habet vs. 803: Χαλκιδέες μὲν πρῶτα, etc. Male mœnia Byzantis vertit Prisc. vs. 771: Οὖδας enim vox poetica, idem valet quod οὖδος, et γῆ seu ἔδαφος vertitur a Grammaticis... Sed urbem triennii obsidione expugnatam mœnibus nudaverat Severus, et in κώμης formam redactam Perintho subjecerat, tum ne quidem urbium numero censendam. Urbis ergo rudera verius, quam

Adspicit : ab tergo tendit Bebrycia glebam,
Celsaque nubiferæ sustollit culmina rupis
Mysus ager : Mysos tacitum diffusus in æquor
Tergaque flavescens sulcat Cius : hujus ad undam
Pulcher Hylas Nymphis quondam fuit anxia cura.
Hinc in cæruleum cedit sinus Hellespontum,
Explicat et Phrygiam tellus incurva Minorem;

Urbem, mœnibus desolata, οὖδας Βυζάντιον rectius, quam Βυζάντιον adpellandum censuit ». Multis hæc refutari possunt, et vanitas argumenti ostendi. Sed pro multis unum erit, Poetam varietatis caussa passim sic de urbibus loqui; ut his ipsis versibus : Χαλκιδέες μὲν πρῶτα παρὰ στόμα γαῖαν ἔχουσι. An et hinc conficeres, Chalcedonem fuisse tum temporis nullam? Vs. 74 : ἔνθα τε γαῖα Μασσαλίη τετάνυσται ἐπίστροφον ὅρμον ἔχουσα. An tum nulla Massilia? Cf. vs. 1074; Prisc. vs. 733. Martial. III, 91, vs. 1 : « arva Ravennæ ». Schr. — *Mœnia Byzæ* dicuntur a conditore, qui fuisse dicitur Byzas, Neptuni filius, aut alius Megarensium dux, qui Byzantium condiderunt, teste Stephano. W. Ed. — *Mœnia Brisæ* Ven. Cuspin. sed Camers ad Prisc. 771 « mœnia Byzæ », ut reliqui.

974. *Ab tergo tendit Bebrycia glebam.* Sic Dionys. v. 805 : Βέβρυκες δ' ἐπὶ τοῖσι. Prisc. 773 : « Bebrycii post hos ». Val. Flacc. Argon. III, 484 : « quæ proxima Tiphys Litora, quosque dabat densa trabe Mysia montes ». Schr.

977. *Terraque flavens* Cusp. vitiose. *Tergaque* correxit Camers ad Prisc. 765, et sic Vad. Pith. et reliqui. — *Flavens sulcat Cius.* Dionys. 806. Prisc. 774 : « Qua Cius egregia decurrens murmurat unda ». Citat hunc locum Heins. ad Ovid. Met. V, 498. Pro *Cius* in V. *Chius* : hic notior scilicet. Schr. — *Chius* quoque Cusp. et Ven. *Cius* Vad. Pith. Huds.

978. *Pulcher Hylas Nymphis.* De Hyla Dionys. 807 : Ὕλαν ἡρπάξατο νύμφη, sequutus, ut semper, Apoll. Rhod. I, 1236. Conf. Valer. Flacc. III, 561 : « Turbavitque sonus surgentis ad oscula Nymphæ ». Atque hi unam Nympham, quæ rapuerit, memorant, Avienus plures, cum aliis. Orph. Argon. 643; Theocr. XIII, 45; Nicand. apud scholiast. Apollon. Rhod. l. c. Strabo, XII, pag. 845, B. Apollod. I, 9, 19; Propert. I, 20, 45. Schr.

979. *In cæruleum cedit sinus Hellespontum* Ven. Cusp. Pith. *cedens sinus* edidit Vad. et conjicit Oddius : sed hujus correctionis nullus usus. Vulgata potius *cedit* necessaria fit sequentis versus emendatione, quam statim subjicimus.

980. *Explicat et Phrygiam tellus incurvat in orbem.* An mentem cepit Dionysii? v. 809 : Ἔνθεν ἐφ' Ἑλλήσποντον ἐπιτρέχει ἄσπετος ἀγκὼν Βαιοτέρης Φρυγίης· et Prisc. 777 : « Hinc Hellespontum pertenditur angulus ingens, Qua brevior Phrygiæ pars est ». Lego : « Explicat et Phrygiam tellus incurva Minorem, Major Sangario, etc. » Hoc ipsa res et collati Dionysius ac Prisc. comprobant. Vid. Observat. nostræ, pag. 39

Major Sangario late præstringitur amni.
Hæc procul Eoos procedit plurima in axes,
Fertilis herbarum: qua cælum rursus in umbras
Inclinat vertex, panduntur terga Minori,
Quæ jacet immensæ late sub rupibus Idæ,
Infortunatam pertingens cespite Trojam.
Æolis inde patet vastum super Hellespontum
Ægæi per terga sali. Prolixus Ionum
Rursus ager glebam protenditur: hunc secat ingens
Mæander, salsique ruens vada gurgitis intrat.

(et Præf. ad Emend. p. 56). Pondus addit consensus Withofii, in ora libri, qui cum plurimis aliis ad me pervenit. Schr. — *Explicat et Phrygiam* Ven. *Phrygiæ tellus incurrat in orbem* Cusp. *incurvat* Camers ad Prisc. 778: « Phrygiæ tellus se iucnrvat in orbem Major », Vad. alios legere *curvatur in orbem* notat Hudson. Sed in verbis *incurvat in orbem* grave nlcus detexerunt Critici recentiores, et Withof. vidit scribendum esse *incurva Minorem*, *Major Sangario*, etc. Hoc ipsum plnribus firmavit Schrad. — *Phrygiam Minorem.* Duplex fnit Phrygia: altera Major, altera Minor, quæ et Troas. Majorem quinque populi incolebant, et Cadmus mous a Lycia discernebat. Fluvii ejus nobiles Mæauder et Marsyss. Urbes insignes Syrmada et Apamia, ante Celænæ dictæ. Quæ vero olim Troas erat, posteaquam a Phrygibus occupata fuit, Phrygia Minor dicta est. Amnis illi nobilissimus Scamandrus, quem Dionysius plane omittit, nominatis tamen vs. 819 Xantho et Simoeute. Ed.

981. *Præstringitur* habent edd. *perstringitur* conjicit Huds. in Add.

983. *Qua cælum rursus* omues edd. sed *cæli* malit recte Schrad.

984. *Cælum rursus in umbras Inclinat vertex.* Supra v. 237: « Et qua prona dies atris involvitur umbris »; et v. 579: « piceas qua nox agit atra tenebras ». W.—Pro vulgato *minori* Schrad. conj. *minoris.*

985. *Immensæ sub rupibus Idæ.* Sic Ovid. Her. V, 138: « in immensis qna tumet Ida jugis ». Schr.

986. *Pertingens cespite Troiam.* J. M. Gesnerus in Thes. L. L. verhum *pertingo* proscribit. Vellem equidem scripsisset Avienus *contingens.* Sed nihil tentare tutius est, præsertim quum id sæpe apnd Vulg. Interpr. legatur. Gesnerum antem, virum diligentissimum, hic Avieni locus fugisse videtur. Schr.

987. Moneo distinguendum esse: *Æolis inde patet vastum super Hellespontum Ægæi per terga sali. Prolixus Ionum Rursus ager glebam protenditur.* Sie enim Dionys. vs. 820-823; Prisc. v. 784-786. Hanc distinctionem probat Wernsd.

989. *Glebam protendit; at hunc* eorrigit Hudson. græcismi ignorantia: sed vituperatur a Schradero, qui nullam adfert rationem. Ed.

Cominus hic gelidi qua spirant flabra Aquilonis,
Urbs Ephesus tetricæ sustollit fana Dianæ,
Munus Amazonidum memorabile; nec minus inde
Lydia procedens longum latus explicat Euro:
In qua vitiferæ Tmolus juga proserit arcis,
Et Pactolus aquas agit auriger, arva canoris

991. Pro *Aquilonis* Ambr. habere *Favoni* monet Schrad. Sed hoc est ex errore scribæ: nam obstat *gelidi*, Dionysius et Prisc.

992. *Urbs Ephesus tætræ sustollit.* Oddius aliique, e quibus Withofius, pro *tetræ* conjecerunt *Triviæ*. Sed illud merito rejecit Wassius. Alii tentarunt *tetricæ*, in quibus ipse fui, cum Heinsio. Sed nihil certius conjectura Oudendorpii, in Obs. misc. vol. V, t. II, p. 168: «Urbs Ephesus tollit pharetratæ fana Dianæ», et sic edam aliquando. In Ortel. est «Urbs Ephesus sustollit», quæ scriptura conjecturam firmat Oudendorpii. Diana Ephesia non tantum habita Polymammia, sed et Venatrix. Beger. Thes. Brand. I, p. 362; Stosch. Antiq. Thyat. 145. (Dionysius ἰοχεαίρης). Schr. — Ego vero genuinam et primitivam lectionem esse *tetricæ*, e qua corruptio *qua tetræ* primum orta est, existimo. Wernsdorfius. — *Urbs Ephesus qua tætræ sustollit* Ven. et Pith. *qua* omisit Huds. *Urbs Ephesus tetricæ sustollit* Cusp. et Vad. quod etiam conjecit Heins. *Munker* ad Hygin. p. 259 legit *tetricæ qua adtollit.* Ego quidem Oud. lectionem probarem, si Avienum scirem verbis Dionysii, qui h. l. ἰοχέαιραν vocat, se adstringere solere, neque vestigia priscæ scripturæ sic nimium turbarentur. Jam vero *tetricæ* epitheton, quod optimæ editiones Cuspin. et Vad. præferunt, suffragantibus eruditorum conjecturis, tam aptum pariter Dianæ, et conveniens primitivæ scripturæ est, ut nefas putem eam lectionem vilipendere. *Tetrica* sine dubio Diana adpellanda, quæ voluptates et delicias exosa severam virginitatem servare creditur, ut *tetrica Pallas* Martiali, X, 19, et Claud. Stil. II, 275: «tetricæ Sabinæ» Nasoni Am. III, 8, 61, vocantur.

996. *Et Pactolus aquas agit auriger.* Similiter loquutus est Mela, III, 2, 46; Senec. Agam. 214; Ovid. Fast. I, 404; Lucan. IV, 587. Stat. Th. IX, 226: «magna se mole Ismenos agebat». Ipse Avienus, vs. 1011: «Qua se Xanthus agit». Cæterum malo hoc loco *aurifer* potius, quam *auriger*, quod est arboris, non fluvii. Schr. Verum est, a melioribus poetis, et qui eos sequuntur, *auriferos* dici Pactolum, Tagum et ejusmodi fluvios, ut ab Ovid. Am. I, 15, 34; Lucan. III, 209; Claud. IV Cons. Hon. 128, Stil. III, 61. Contra *auriger* de arbore est apud Val. Flacc. VIII, 110. Sed tamen in Avieno *auriger* de Pactolo dictum nolim mutare, quia observavi, a sequioris ævi poetis in ejusmodi verbis compositis formam eam, quæ est a *gero*, magis frequentari; illam, quæ a *fero*, subinde negligi. Conf. auctor Epit. Hom. v. 400 et 545,

Persultant cygnis, curva sedet undique ripa
Crebra ales, lætis adsurgunt gramina campis,

ubi *armigera* Pallas dicitur, quæ a melioribus *armifera*, et v. 601 *fumigeræ nubes*, pro quo Virgil. Æn. VIII, 255, « fumiferam noctem », et Æn. IX, 522 : « fumiferos ignes » dicit. Fateor tamen alia hujus formæ ab Avieno usurpari, quale est versu præced. *vitifera Tmoli arx*, v. 1044 « pinifer Casius », v. 1235 « imbrifer Auster ». W.—Petronius tamen contra sententiam Wernsd. Pallada *armigeram* non *armiferam* dixit, in Epigr. quod adfert Burmann. Anth. Lat. t. I, pag. 581. Ed.

997. *Arva canoris Persultans cygnis*. Withofius *Persultans* modo mutat in *persultant*. An : « arva canorus Persultat cygnus ? » Sequitur enim : « curva sedet undique ripa Creber olos ». Rutil. I, 629 : « Tum responsuros persultat buccina colles ». Schr.—*Canoris Persultans cygnis* Ven. Cusp. et Pith. *Persultant* Camers ad Prisc. 793 et Vad. *cygni* habet Ambr. hinc Heins. et Higt. conj. *arva canori Persultant cygni*, sed vulgata lectio *canoris cygnis* recte defenditur a cl. Fries. firmaturque simili loco v. 939 : « nullis pecorum balatibus agri Persultant ». Porro *curvas sed et undique ripas* Ven. Pith. *sedet undique ripas* Cusp. et ed. Madrit. *curvis sedet undique ripis* edidit Vad. Hoc etiam Broukhusius conjiciebat. Atque hinc Schraderus pro *sedet* malit *strepit*, et probat simul sententiam Brouckusii, qui *curvis ripis* emendabat. Sed quia primæ editiones habent *curvas ripas*, quod facile ex vocibus *curva sedet* confluentibus et male distinctis oriri potuit, hoc eo ducere videtur, ut pro vera lectione habeamus, quod Heinsius, Anonymus et Higt. conjecerunt, *curva sedet undique ripa*, quemadmodum Ovid. Trist. V, 1, 11 : « Utque jacens ripa deflere Caystrius ales, etc. » — *Curvas sed et undique ripas Creber ales*. Heinsius ad Æn. XI, vs. 892, « *olos* pro *olor*. Hinc emenda locum insignem Avieni, Descript. Orbis, pag. 275 : nam vet. cod. *olos* ». Porro *sedet* illustrari potest loco Ovidii, Fast. II, 90 : « Et sine lite loquax cum Palladis alite cornix Sedit ». Schrad. — Mihi, quum *curvas ripas* codices habent et editt. antiquæ, probabile videtur Avienum scripsisse *curvas habet undique ripas Creber olos*. Wassenb.—*Creber alos* expressit Ven. unde *ales* infeliciter fecerunt Cusp. Vad. Pith. gravem errorem metricum impingentes ; cui Brouckus. et Higt. mederi cupientes corrigere tentabant *Crebra ales*. Idem *Creber ales* in omnes alias editiones pervenit, meque aliquando induxit, ut ad Calpurn. II, 11, falso crederem, primam in *ales* a sequioris ævi poetis subinde corripi. Sed e sententia Schr. aliorumque *olos* potius scripsit Avienus, quod perspicue et vere exhibet cod. Ambr. Unus tamen hic rem non conficit, atque æque facile *ales* potest e scriptura corrupta duci, tum desidero adhuc locum alium Nostri, quo familiarem ei hanc formam *olos* fuisse probetur. Certe non invenio eam in hoc Phænom. v. 693 : « cælum super advolat ales, Ales olor ». Præterea importunum mihi videtur, quum *cygni* modo nominati sint, hic rursus *olorem* dici. Elegantius et magis poeticum est,

Herbaque luxurians loca semper pinguia vestit.
Sed locuplete magis Mæandria gleba recumbit
Ubere, nam blandi terram rigat unda Caystri.
Mæonis hic etiam deducit turba choreas :
Aurea subnectunt hæ vincula, ritus Iaccho
Luditur, atque sacris feriunt ululatibus æthram;
Virgineusque chorus late strepit, exsilit omnis
Cœtus, ut instabiles vaga pendent corpora dammæ :

generale nomen *ales* altero loco adhiberi quod ad cygnos respiciat. Itaque mihi adridet, *Crebra ales*, aut, quod Withofius, *Circum ales*. Nam solet alibi Noster *ales* feminino genere efferre, ut v. 707 *ales hirundo;* et 1127: « Ales amica Deo ».

999. *Herb. luxurians*. Ovid. A. A. I, 360: « Ut seges in pingui luxuriabit humo ». W.—*Herbaque luxuria* Ven. Cnsp. Pith. sed Vadianus corrigens edidit *Herbaque luxurians*, quod deinceps Huds. et Withof. conjecerunt, et probat Schrad.

1000. *Mæandria gleba recumbit*. Ecce post Lydiam proprie dictam, alterins ejus partis, quæ Mœonia dicitur, descriptionem orditur. Flumina in utraque Caicus, Thermns, qni Pactolum supra dictum recipit, et Caystrus, qui Lydiam a Caria separat. E montibus Avienus Tmolum tantum memorat, quum sint et alii clari Sipylus, Mesogys, Mimas.

1001. *Ubere nam blandi* Ven. et Pith. *quam* conj. Huds. sed repugnat, quod statim sequitur, *terram*. *Ubere nam glandi* corrupte Cusp. Camers ad Prisc. 793 corrigit *Ubere nam grandi*, sed epitheto nou opus est, quia jam processit *locuplete*. Igitur paullo melius Vad. *nam grandis terram riget unda Caystri*. Sed omnino verior Pithœana lectio, cui et Cuspiniani favet, *nam blandi... Caystri*. Probat eam Heins. Adv. I, 13, p. 132, firmatque locus Virg. Georg. I, 384, ubi simili epitheto *dulcia stagna Caystri* dicuntur. Vid. p. 312, tom. I edit. nost. Ed.

1003. *Subnectunt hæ vincula*, omnes edd. Pro eo Heins. volnit *subnectunt pede*. Sed sic infelicissime eum conjecisse, nec Dionysinm inspexisse, monet Schrad. Nimirum Dionysius, v. 840: αἱ περὶ κεῖνο Θεῖον ἕδος, χρυσεῖο κατ' ἰξύος ἅμμα βαλοῦσαι.

1004. *Atque sacris feriunt:* sic Ven. Cusp. Pith. *hisque sacris* edidit Vad. quod ab ingenio Vadiani est, et minus placet.

1005. *Virgineus chorus* mendose Cusp. *Virgineusque* correxit Cam. ad Prisc. 98.

1006. *Et instabilis vaga pendunt corpora damæ*. Forsan, *et instabiles vaga pendent corpora dammæ*. Huds.—Idem in Add. Forsan, *ut instabiles vaga pendent*. Libri semper *dammæ* scribunt cum duplice *m*. Vid. Salm. ad Solin. p. 75, a. C. et sic edam. Poeta suo jure usus νεβροῖς snpposuit *dammas*, quamqnam genere diversas. Heinsius *duma* tentans etiam hic græca inspicere neglexerat. In istis: *ut instabiles vaga pendent corpora dammæ*,

Caurorum quoque flabra Deo famulantia ludunt
Ritibus in vulgi; subeunt hæc serica sæpe
Pallia, et impulsi zephyris agitantur amictus.
Hæc linquenda tamen læto reor omnia Lydo.

mihi tamen suspectum *pendent*, quod in Græcis non habetur, et abesse poterat: neque tamen aptum huic malo succurrit remedium, utcumque tentanti *quondam*, *pandunt*, *fundunt*, *tendunt*: *ut* requirit comparatio: et sic Dion. οἷα· neque aliter With.—*Et instabilis v. pendent c. damme*, sic Ven. *vaga pendet* Cusp. Cætera similiter: *vaga pendent corpora dammæ* Pithœi prima: *corpora dammæ* Pithœi secunda cum ed. Madr. — Sed neutra *pendunt*, quod Pithœo Hudsonus adtribuit. W. — *Instabiles* exhibet Ambr. et Camers ad Priscianum, 798, cum Vadiano legit *ut instabiles vaga pendent corpora dammæ*, quod rectissimum videtur. Schraderus suspectum habet *pendent*: nescio, an ipse sensum poetæ recte ceperit. Nempe Avienus hoc vult, virginum cœtum ita exsilire, ut vaga earum corpora, suspensis continuo vestigiis pendeant, terram vix adtingant, veluti damæ instabiles, lascivientes, salientes. Sic Silius, XIII, 327: «Pendenti similis Pan semper, et imo Vix ulla inscribens terræ vestigia cornu». Plura loca eam dictionem illustrantia recensuit Heins. Adv. II, 1, p. 203 seqq. *Vaga* corpora et *pendentia* virginum sic fere describit Avien. ut Alcimus Avit. de museis, V, 153: «Pendula quæ portant levibus corpuscula ventis».

1007. *Taurorum* Pithœi secunda, forte vitio operarum; nam Pithœi prima *Caurorum*, Cusp. *Chaurorum*.

1008. Pro *Ritibus* Hudsonus in Add. mavult *Vestibus in vulgi*: sed vestes satis indicantur in verbis sequentibus, et *ritus* hoc loco sunt ipsæ saltationes et lusus, ut v. 1003, in quibus cum corporibus etiam vestes jactantur; in quibus itaque ludere dicuntur venti, ubi vestes agitant.

1009. *Impulsi zephyris agitantur amictus*. Auctor Lydiarum mulierum, vestibus vento agitatis, bacchantium quamdam quasi picturam sistit. Et tales picturas antiquitus exstitisse, probat locus Eclogarum Himerii apud Photium, qui in editione Gottl. Wernsdorfii, fratris, quæ quum maxime sub prelo sudat, p. 308 legitur: Τὴν μὲν αὔραν ἐποίει καὶ τεθρυμμένην καὶ παίζουσαν, οἵας τὰς Λυδὰς ποιοῦσι ζωγράφοι κατὰ πινάκων τέχνῃ μεθυούσας. Frater eo loco reponendum tentat τὴν μὲν ἁβρὰν, intelligitque figuram aliquam mulieris lautæ et mollis. Ego ipsam *Auram* malim. Nam Lydiæ, quia palliis aura ludente crispatis pingebantur, hinc ipsius Auræ erant simulacra. Et *Auram* multis Veterum monumentis expressam, ipse frater demonstrat. Locum etiam Statii ab eo adductum, Silv. I, 6, 70: «Hoc plaudunt grege Lydiæ tumentes», ex nostro Avieni explicandum duco. Nam Lydiæ *tumentes* sunt vestibus laxis et tumidis. W.

1010. *Læto Lydo* dicit, scilicet choris ducendis, ut Claud. in præf. ad II in Eutr. v. 63 de Cypro: «Insula læta choris, blandorum mater amorum». Schr.

Qua se Xanthus agit, Lyciorum tenditur ora
Inclinata mari, surgunt ibi culmina Tauri
Pamphyliæ in fines: hic idem Cragus habetur
Nomine sub gentis: prope celsam surgit in arcem
Piscosi Aspendus flumen secus Eurymedontis,

1012. *Inclinata mari.* Sic et alias cum dativo v. 218: «Ut matutinis inclinent æquora habenis»; et 320: «procul hi tamen ultima regni Ægypto inclinant». Schr.

1013. *Pamphyliæ in fines.* Heinsius ad Claud. in Eutrop. II, 465, minus accurate hoc de loco judicavit, suadens *Pamphylæ hic fines.* Immo corrigendum *Pamphylum in fines.* Sic Dionys. 850, Παμφύλων καὶ μέχρι. Priscian. 801: «Usque ad Pamphylos». Claud. II in Eutr. 465: «Pamphylos Pisidasque rapi». Pessime quidam *Pamphylios* et Παμφυλίων, licet Eustathii stupor notet: Μέχρι Παμφύλων, ἤτοι Παμφυλίων· διχῶς γὰρ ἡ τοῦ ἔθνους φέρεται γραφή. Mediam vocis syllabam produci debere, docet origo. Strabo, lib. XIV, p. 984: φησὶ δ' Ἡρόδοτος (VII, 91) τοὺς Παμφύλους τῶν μετὰ Ἀμφιλόχου καὶ Κάλχαντος εἶναι λαῶν μιγάδων τινῶν ἐκ Τροίας συνακολουθησάντων· (conf. Præf. ad Emend. p. 20; Valcken. ad Theocr. XVII, 88.) Schr. — Similiter secundam in *Triphylis* corripuit Noster supra vs. 569. W. — *Pamphyliæ in fines:* sic omnes edd. Mihi vix videtur Avienus tam coacte scripsisse, et persuasum mihi habeo, frustra in Avieno syllabas, præsertim nominum propriorum, ad vetustiorum exemplum exigi, aut alias subtilitates Grammaticas quæri. Nam sic etiam *Crago,* statim sequenti, aliam, ac veteres poetæ, mensuram syllabarum dedit. Porro *hic idem* Cusp. Pith. — *Hic idem Cragus habetur Nomine sub gentis. Hoc idem* edidit Hudson. cum Fries. cujus rationem non perspicio. Huds. ibidem infeliciter et imperite conjecit *Nomine sub Graio.* Quid sibi velint hæc verba, intelligitur e loco simili, vs. 849-851, quem confer. *Cragus* vocabatur a populis circumcolentibus. Vid. Dionys. 849; Prisc. 801; Bochart. Can. pag. 679; Plin. t. I, p. 272 (lib. V, sect. 27); Strabo, XIV, p. 981. Cæterum in *Cragus* primam corripit Panyasis apud Steph. B. voc. Τρεμίλη· Dionys. vs. 850; Ovid. Met. IX, 645; Horat. Carm. I, 21, 8. Prodocunt Avienus et Prisc. vs. 801. Schr. — *Prope celsam surgit in arcem.* Lucan. III, 375: «surgentis in altum Telluris tomolus»; supra vs. 1012: «surgunt ibi culmina Tauri Pamphylum in fines». Sed multum ista differunt. An dedit: «prope celsam subrigit arcem?» Sic quidem loqui solet, vs. 301: «procera Neapolis arcem Subrigit». Hoc per compendium scriptum fuerat *surgit:* hinc alius labanti metro mederi volens intrusit *in.* Millies ita peccatum. Schr.

1015. *Prisca Side: sus hic calidis adoletur in aris.* Ita Salm. ad Solin. p. 549. In vulgatis Pithœi a Veneta descendentibus unus versus e duobus contractus, isque corruptissimus, legebatur: «Priscas Idæ fomes c. adol. in aris». Voss. ad Mel. p. 72, Avienum supplet, et legit hoc modo: «prope celsam surgit

Sus ubi deformis calidis adoletur in aris
Sæpe Dionææ Veneri: stat Corycus alta,

in arcem Piscosi Aspendus flumen secus Eurymedontis, Sus ubi deformis calidis, etc.» ac si ex duobus versibus librarii unum fecerint. HUDS. — *Priscas ide fomes* A. unde nascitur *Prisea Side fomes*, quod Salmasius reponendum censebat. Sed multa sunt, quæ de veritate ejus lectionis dubitare faciant. Primum Dionysio repugnat, qui v. 852 memorat *Aspendum*, ut et Priscianus v. 802. Deinde deest hic ἔνθα. Tum *fomes* non sufficit, ubi Dionys. συοκτονίῃσι. Ne dicam, dubitari posse, an recte *fomes* dicatur adoleri in aris. Omnibus his, et aliis incommodis medetur lectio, quam Vossius ad Melam, p. 72, ex veteri libro se dare profitetur. Quæ quum conveniat Dionysio, et descriptioni Aspendi, quæ urbs ab omnibus ad Eurymedontem fl. ponitur (vid. Scyl. p. 95), quum *Side* sit ad Melanem (Cellar. II, p. 89), unice est accipienda. *Secus* pro *secundum* frequentari, nemo doceri debet. *Sus deformis*, ut *phocæ deformes*, Ovid. Met. I, 300. SCHR. — Cæterum mos suis Veneri immolandæ apud Aspendum, derivandus ab ejus urbis origine et conditoribus est. Ab Argivis urbem cam conditam fuisse, Strabo auctor est lib. XIV, p. 983. Sed Argivos suem sacrificasse Veneri, ejusque sacrificii solennes dies Ὑστήρια adpellasse, e Callimachi sive Zenodoti commentariis historicis memorat Athenæus, lib. III, cap. 15, p. 95. Idem ante hæc locum ex Antiphanis Corinthia adducit, quo etiam in Cypro insula gratissimam Veneri hostiam suem esse adfirmatur. Plura in eam rem testimonia Veterum producta videas in Jo. Phil. Casselii, amici veteris, cujus mihi cara est memoria, dissert. *de sacrificiis porcinis in cultu Deorum veterum*, Bremæ, 1769, § 4, qui tamen locum hunc Dionysii et Avieni, ut multi alii, ignoravit. Wd.—*Piscosi Aspendus*. Hos duo versus ex optimis exemplaribus Cusp. et Vadiani huc intuli, quos Dionysii pariter v. 852, ac Priscian. v. 802 textus poscit. Quomodo in unum versum duo isti confluxerint, demonstravi in Proœmio ad Avienum. Withofius conjiciebat: *Aspendi fomes*, vel potius *Aspendus, ubi sus calidis adoletur in aris*. Et Schraderus aliquando in sch. *Aspendus, porcus calidis*, etc. sed hic meliora in nota.

1017. *Stat Corycus alta. Alta* ob Corycum Ciliciæ montem, qui ob crocum præstantissimum ibi nascentem passim a poetis memoratur. Horat. Sat. II, 4, 68: «Corycioque croco sparsum tenet»; Mart. III, epigr. 65: «Quod de Corycio quæ venit aura croco». Conf. Sallustii fragmentum ex lib. I, Hist. pag. 26 ed. Wass. «Iter vortit ad Corycum, urbem inclutam, pastuque nemore in quo crocum gignitur». ED.—Mediam in *Corycus* producunt Dionys. 855: Κώρυκος, Πέργη τε, et Prisc. 805: «Corycus Pergeque calens, et celsa Phaselis». Sed Noster sequutus est Latinos, qui *Corycius* secunda brevi solent. SCHR. — Sic enim Virgil. Georg. IV, vs. 128: «Namque sub Œbaliæ memini me turribus altis Corycium vidisse senem». Ad quem locum respexit auctor brevis carminis de vita tranquilla, in

Stat Perge propter, micat ardua tecta Phaselis
Eminus, et Phœbi radiis tremit æmulus ardor.
Inde Lycaoniæ tractus jacet : impiger agros
Incola decurrit, sitit atrum dira cruorem

Burm. Anthol. Lat. III, epigr. 61, quod nos aliquando inter poemata de re hortensi et villatica proponemus, v. 5 : « Jam qua deductos potat levis area fontes, Coryeium mihi surgit olus, malvæque supinæ ». W.

1018. *Stat Perge propter, stant ardua tecta Phaselis*. Erunt forte, quibus venusta videatur repetitio, et Avieno familiaris. (Vid. vs. 443, 1213; Or. mar. 421 seqq.) Mihi locus corruptus videtur. Nam primo verba : « Phœbi radiis tremit æmulus ardor », docent aliquid præcessisse, in quo de splendore. Dein pro *Phaselis* requiritur *Phaselidis*. Sic Diodor. Sic. I, pag. 48, et Φασηλίδα II, p. 424. Confer. Ctesias apud Phot. Bibl. Cod. 73, p. 176, et *Phaselidem* Eutrop. VI, 3. Defendi tamen posse similibus fateor, ut vs. 469, 521 ; Or. mar. 337, ubi : « Amphipolis urbis incola Ecdemon ait ». Sed gravem vitii suspicionem præterea injicit editio Ven. prima, quæ exhibet *intrat*, cod. Ortel. idem exhibens, atque adeo Ambr. in quo legitur *nutat* (pro *stant*). Possis igitur corrigere : « micat ardua tecta Phaselis Eminus, et Phœbi radiis tremit æmulus ardor ». Rutil. I, 95 : « Confunduntque vagos delubra micantia visus ». Confunduntur subinde voces illæ, ut in Sil. I, 460 : « Letiferum nutant fulgentes vertice eristæ », ubi alii legunt *Letiferumque micant*. (Inprimis conf. loc. Calpurn. Ecl. I, vs. 79 : « ut liquidum nutet sine vulnere sidus », ubi *nutet* plane de tremulo et placido splendore accipiendum, et cum aliis verbis *nictet*, *niteat* permutatum videas in var. lect. (huj. op. t. I, p. II, p. 403. W.) Verius tamen videtur : « nitet ardua tecta Phaselis ». *Nitet* et *nutat* vix differunt. Similiter autem Martial. VIII, 65, 2 : « Hic ubi Fortunæ Reducis fulgentia late Templa nitent », atque adeo ipse Avienus, eodem græcismo usus, Or. mar. 293 : « Stanno iste namque latera plurimo nitet ». Simillimus idem locus Descr. Orb. vs. 1083 : « Et qua Phœbeam procul incunabula lucem Prima fovent, Emesus fastigia celsa renidet ». Ut autem *nitere* hic videtur accipiendum, sic rejiciendum apud Silium, V, 459 : « variaque per ardua pugna Et saxa et dumi rorantes cæde nitebant » : nam illic legendum *natabant*. Scнa. — *Stant ardua tecta Phaselis* Pith. *intrat ardua tacta* Ven. *micat ardua tecta Phaselis* Cusp. (qui *Phalesis*) et Vadian. atque hæc lectio firmatur simillimo loco vs. 1085 : « Emesus fastigia celsa renidet ». Schraderi emendationem *nitet* poscunt sequentia : « et Phœbi radiis tremit æmulus ardor ». Ego præferam *micat*, quod auctoritatem primorum editorum habet. Et *micare* est simili in loco Rutilii, lib. I, 95.

1021. Ad *decurrit agros* repetantur dicta ad v. 516 et v. 1301. *Dura cruorem* scribunt Cusp. et Vad. sed convenientius est *dira*, quod Pithœus et Huds. habent, et Schrad. tuetur.

Gens hominum, et sævo pascuntur pectora bello.
Tum Pisida ferox exercet pinguia culta,
Termessusque dehinc urbs eminet, eminet arcem
Inclyta per nubes adtollens mœnia Lyrbe,
Et Lacedæmoniæ surgunt fastigia Selges.
Plurimus hinc terras intrat sinus, undaque longe

1022. *Pascuntur* omnes edd. *nascuntur* MS habere testatur Burm. ad Ovid. Art. Am. III, 25. Hoc tamen est contra usum. Sil. Ital. XV, vs. 520: « pastos per prospera bella Sanguine ductores Italos ». Claud. II Stil. 14: « sanguine pasci Turpe ferumque putes ».

1023. *Tum Pisida ferox.* Hoc *ferox* illustrat Claud. II in Eutrop. 240: « utrimque propinqui Finibus obliquis Lydi, Pisidæque feroces Continuant australe latus ». Livius, XXXVIII, 15, 9: « Inde in agrum Sagalassenum, uberem fertilemque omni genere frugum, ventum est. Colunt Pisidæ, longe optimi bello regionis ejus: quum ea res animos facit, tum agri fecunditas et multitudo hominum, et situs inter paucas munitæ urbis ». *Pinguia culta* illustrat Dionys. 858; Prisc. 808 (ubi legendum *Post hos*, sc. Lycaonas); Liv. l. c. Strabo, pag. 935.

1024. *Termessusque dehinc.* Sequar Pithœum, qui dedit *Termessus*, quia verum nomen Τερμησσός. Hoc e nummis ostendit Holstenius ad Steph. laudatus Wesselingio ad Diod. Sic. t. II, p. 291, n. 36. Cf. Davis. ad Cic. Divin. I, 41; Walck. ad Phœn. p. 388. Schr. — *Telmissumque dehinc* Ven. *Termæsusque* Cusp. *Termessusque* Vad. Huds. — *Urbs eminet, eminet arcem.* Illud *eminet* reposui, quum vox una aut altera deesset in editis. Huds. — Arrian. de Expedit. Alexand. I, 28: Χωρίον δὲ οἰκοῦσιν ὑπερύψηλον. Hudsonus *eminet* supplet in versu mutilo, sed ante eum ita jam Heins. ad Ovid. Her. VI, 29, qui repetitiones vocum, poetis frequentes, a supinis librariis ut plurimum neglectas esse pluribus exemplis docuit. Huic itaque recte correctionem adscripserat Wit. Ipsa tamen hæc conj. non plane satisfacit, et mallem fere *Termessusque dehinc urbs eminet, erigit arcem.* Interim Heinsii judicium græcismo usitato tuetur Nemesian. Cyn. 277: « Conspicuum pelago caput eminet »; et ipse Avien. Phænom. 1008: « namque per ipsum Fulva Aquila est, caput hic Equus eminet ». Sic enim illic legendum. Schr. — *Urbs eminet, arcem* Pith. cum Ven. hiulco versu. Cuspin. et Vad. suppleverunt: *urbs eminet, hanc super arcem Inclyta*, etc. Emendationem Heinsii hoc lubentius amplector cum Hudsono, quod tales repetitiones Avieno inprimis familiares esse scio. Sic vs. 1234: « Panditur Hyrcanis hinc janua: janua Persis Hinc patet ». Add. vs. 443, 459, 582. Hinc minus placet Schraderi emendatio: *erigit arcem.*

1026. *Surgunt fastigia Selges.* Cum Dionys. vs. 859 seq. conf. Strabo, XII, p. 855. C. Schr.

1027. *Plurimus hinc terras intrat sinus.* Dionysius Cilicium sinum a

Vicina Euxino rupti sola cespitis urget.
Hic diros Cilicas trames tenet, inque diei
Tenditur exortum: sulcant duo flumina terram,
Pyramus hic undas, hic volvit Pinarus æquor.

Pamphylio separat, de quo ita canit post Pisidiæ urbes et Pampbyliæ, v. 861: Κεῖθεν δ' εἰς αὐγὰς σκολιὸν περιτέμνεται οἶμον Πολλὸν ἔσω βεβαυῖα περίδρομος Ἀμφιτρίτη, Γείτων Εὐξείνοιο πολυκλύστοιο θαλάσσης. — Quibus interpretationem Andr. Papii subjicio: « Unde sub Auroram flexu curvata rotundo Interior longe se porrigit Amphitrite, Euxinique maris propius se promovet undis ». Ed. —Haud seio, quare vieinum Euxini Ponti Cilicinm illud mare faciat, quum tam longe sit remotum. Legam aliquando Ἥττων Εὐξείνοιο. Sed veteres interpretes eam lect. retinent, et γείτονα vocant, qui ex adverso positus est. Salmas. ad Sol. p. 549. b. F. Non qnia Euxino ex adverso positnm Cilicium mare est, γείτονα Dionysius, *vicinum* Avienus vocavit, sed quia re ipsa vieinnm Euxino putarnnt, tanto nempe sinu intraute terras, ut qnidam Isthmus inter Euxinum et Cilicium aretetur. Hæc scilicet opinio Veterum fuit, quam testimoniis adduetis probavi ad Prisc. v. 812, et mirandum est, Salmasium hauc rationem fugisse. Wd. — *Undique longe* Ven. Cusp. Vad. Pith. sed hoc vitiosum esse adparet. Sehraderus aliquando in sch. conjecerat *indeque*, quod nihilo melius. Sed quod Hudsonus edidit *nndaque* reetins est, et sensum conficit. Nempe *unda*, quæ terras plurimo, maximo, sinu intrat, vieina Euxino, longe urget sola rupti cespitis, i. e. eoarctat, ut quidam isthmus efficiatur inter Euxinum et Cilicium. Vide quæ notavimus ad Prisc. v. 812.

1029. *Hic diros Cilicas trames tenet.* Sequitur apud Dionysium: Κεῖνός τοι Κιλίκων περισύρεται ἔθνεα κόλπος, Μακρὸς ἐπ' ἀντολίην· Ἀσίης δὲ στεινὰ καλεῦσι. Avieuns hæc ita reddidit, ut in Venet. et Pith. vulgo monstrose leguntur: « Hic diros eæli castrames tenet, inque diei Tenditur exortum ». Quæ eorruptissima sunt. Corrigendum: « Hie diros Cilicas trames tenet, etc. » Scriptum erat *Celicas*. Tramitem dicit propter illa græca: σκολιὸν περιτέμνεται οἶμον. Salm. l. c. In eumdem plane modum brevissime emendat Heins. ad Ovid. Her. VI, 28. Pariter ex Salmasio sic se emendasse profitetur Huds. et adsentitnr Schraderus. — Vulgatam correxerunt Cuspin. et Vad. *Hic diros Cilicas trames tenet.* Idem postea invenit Salm. in Exercit. Plin. p. 549. — Verba autem Dionysii: Ἀσίης δὲ στεινὰ καλεῦσι, « hæ Asiæ fauces dicuntur » Priscianus reddere tentavit v. 813, sed obseure. Hæc Avienus fere omittit. Ed.

1031. *Pyramus hic undas.* Primam corripiunt Dionys. vs. 867: Τηλόθεν ἐρχομένων, Πυράμοιό τε καὶ Πινάροιο· et Prisc. 815: « Per longum Pyramus spatium, Pinarusque voluti ». Sed producit Euphorion apud Tzetz. ad Lycophr. Al. v. 440, p. 54, et Oracul. vetus apud Strabon. XII, p. 810. B. Producitur etiam in nominibus *Pyramus* et *Pyramides* (Ov. Met. IV, 55). In *Pinarus* primam

Cydnus item mediæ discernit mœnia Tarsi.
Pegasus hoc olim suspendit cespite sese,
Impressæque solo liquit vestigia calcis;
Esset ut insigni revoluta in sæcula semper
Nomen humo, clari post ultima Bellerophontis.
Hic cespes late producit Aleius arva,
Horrescitque comis nemorum, per inhospita cujus

corripiunt Dionys. Prisc. Panyasis apud Steph. Byzant. voc. Τρεμίλη, emend. Salm. SCHR.—Cuspin. scribit *Piramus* et *Pyranus* pro *Pinarus*.

1033. *Pegasus hoc olim*. Sic Ven. Pith.Trogn. Gen. Madrit. exhibent, nulla *hic olim* nec Cellarius, Geogr. Antiq. lib. II, pag. 215, *hoc olim* citans, aliquid se mutare profitetur. Ad verba *sospendit cespite sese* conf. Statii locus, Theb. III, 460: « Mons erat audaci seductus in æthera dorso, Gentibus Argolicis olim sacer: inde ferebant Nubila suspenso celerem temerasse volatu Persea, etc. » SCHR. — *Pegasus hoc olim*. Sic Hudsonus adnotat Cellarium citasse; ante lectum esse *hic olim*. Sed in omnibus meis exemplaribus lego, uti Cell. *hoc olim*. Itaque nescio, ubi Huds. invenerit *hic*.

1034. *Impressæque*. Idem fere versus occurrit 333. Amb. habet *Impressique*, nec sperno. Placuit enim genus masc. Ciceroni, Varroni, Plauto, Lucretio, Gratio Cyn. 278; Stat. Silv. V, 2, 115, et, si Bentleio credis, Manilio, V, 84. SCHR.—

1035. Heinsii conjecturam *Exstet* pro *Esset* non probo. Obstat enim *liquit*, quod requirit *esset*. Mox autem velim *Nomen humo clarum*, quia sic Virg. Æn. XII, 225: « Cui genus a proavis ingens, clarumque paternæ Nomen erat virtutis ». SCHR. — *Esset ut insignis* est in Cusp. et Pith. *insigni* correxit Camers ad Prisc. 816, et Vad.

1036. *Bellerophontis*. Paullinus, 191, pag. 31: « non anxia Bellerophontis Mens est ». Hygin. fab. 243: « propter amorem Bellerophontis ». Auson. Epist. xxv, v. 71: « dicitur Avia perlustrasse vagus loca Bellerophontes »: nempe *Bellerophon* et *Bellerophontes* in usu fuerunt. SCHR.

1037. Tueor *Aleios* ex Dionysio, v. 872, qui sequutus est Homerum, Iliad. VI, 201. Ovid. in Ib. v. 259: « Quique ab equo præceps in Aleia decidit arva », ubi Salvagnius et Heins. plura poetarum loca de Bellerophonte ejusque casu congesserunt. Errat Forcell. qui in Lex. apud Cicer. Tuscul. III, 26, *Aleis* scribi putat pro *Aleiis*, per synæresin, quum sit legendum: « Qui miser in campis mœrens errabat Alæis ». Ita ΑΛΑΙΩΝ ΚΙΛΙΚΩΝ inscriptio est nummi apud Spanh. t. I, p. 266. Conf. Berkel. ad Steph. in Ἀλαί. SCHR. — *Aletius* Ven. *producit letios* Cusp. et Vad. rectius Pith. et Huds. *producit Aleius*.

1038. *Per inhospita cujus Æquora*. Ortel. ad h. l. notat. « Forte leg. *Latmus*, cujus fluvii in hac regione meminit Strabo: fluvium etiam aperte videtur hic designare Rufus ». Videtur voluisse *Latmi æquora*. Ego vero existimo, Strabonem

Æquora secreto vitam protraxerat agro.
Lyrnessusque dehinc, hic Mallos et Anchialea,
Illustresque Soli post carmina vatis alumni.

(XIV, p. 988. A.) scripsisse Αλμὸς... Αλμόν· nam sic Ptolemæus, V, 6, et Steph. Byz. et Alexand. Polyh. vocant. Conf. Cellar. II, pag. 202. Αλμὸς autem prima correpta Nonnus effert p. 622 (XXIV, 50). Cf. etiam viri nomen apud Hom. Od. X, 81; Ovid. Met. XIV, 233; Hor. Carm. III, 17, 1. Schr. — Potuit tamen Avienus producere ab aliis correpta. Fecit id in *Pinarus*, vs. 1030. Wass.

1039. *Vitam protraxerat agro.* Heins. ad Ovid. Ib. 259, auctoritate exemplaris Ambr. *promiserat* statuit legendum. Mihi recepta lectio *protraxerat* servanda videtur. Sic Paullin. vit. Mart. I, 356: « Et multos felix senium protraxit in annos ». Alter Paullinus, Nolanus, Epist. IV ad Auson. ita vitæ Bellerophontis meminit, v. 54: « Non etenim mihi mens vaga, sed neque participantum Vita fugax hominum, Lyciæ qua scribis in antris Pegaseum vixisse equitem ». Ibi pro *antris Lyciæ* ex aliis libris restituo *agris*, collato loco Ausonii, Epist. XXV, 70: « tacitusque pererrat Alpini convexa jugi: ceu dicitur olim Mentis inops, cœtus hominum et vestigia vitans, Avia perlustrasse vagus loca Bellerophontes ». Schr.

1040. *Hic Malus et Anchialia.* *Hinc*, quod Hudsonus substituit, mera corruptio est. Dionysio congruit *hic*. Deinde *Mallos* scribendum esse probo e Dionys. Prisc. Lucano, III, 227; Plin. I, 269. Schrad. — *Anchialea*. *Auchilla* Ven. *Anchialia* Pith. Trogu. Hudson. Ego dedi *Anchialea*. Vide dicta superius ad v. 739. Priscianus autem graviter errat, qui proprium nomen vertit in adpellativum (quod Papius notare debuerat), v. 818: « Mallosque simul vicina profundo ». Anchialen enim omnes hic agnoscunt. Vid. Cellar. II, pag. 207. Schr. — Ego notavi errorem Prisciani ad vs. 818. W. — *Hic Malus* Cusp. et Pith. *hic Mallos* Camers ad Prisc. 816: *hic Malos* Vad. *hinc Malos* legit Cœlius. *Anchialea* Cusp. et Vad. — Ego servo lectionem antiquam *Mallos et Anchialea*, et sic expressit in sua interpretatione Papius. Ed.

1041. *Illustresque Soli.* Dubius hæsi aliquamdiu inter archaismum *Solæ* et *Soli*: tandem retinui *Soli*. In his autem archaismis multi modum excedunt. Vide Oudendorp. ad Lucan. II, 593. Pro *post carmina vatis alumni* (Arati) omnino legendum puto *per carmina*. Compara Sil. XII, 397: « Nunc Rudiæ solo memorabile nomen alumno ». Mela, I, 17, 5: « Miletus multorum civium inclytis ingeniis merito inclyta »; II, 3, 20: « Melibœam insulam Philoctetes alumnus illuminat »; II, 4, 63: « Ennio cive nobiles Rudiæ ». Schr. — Notandum tamen *post carmina* defendi ab ipso Avieno, qui v. 1036: « clari post ultima Bellerephontis ». Ed. — *Inlustrique solo* Ven. *Illustrisque soli* Cusp. *Illustresque Soli* Camers ad Prisc. 816 cum Vad. *Inlustresque Soli* Pithœi prima, *Solis* sec. *Solæ* scripsit Huds. qui tamen in Add. emendat *Soli*. *Vates* intelligendus

Commagenorum propter diffunditur ora:
Et procul Hesperium curvatur limes in axem,
Donec piniferas Casii prorepat ad arces.
Hinc solers Asiam facili cape carmine totam.
Forma sit hujus enim talis tibi: quattuor illam
In latera effusam cordi dato; longior autem

Aratus, Solenis, qui Φαινόμενα καὶ Διοσημεῖα conscripsit.

1042. *Commagenorum propter diffunditur ora*. Dionysius, vs. 877: Τῆς δ' ἔπι, Κομμαγενηνὸν ἔδος, Συρίης τε πόληες. Additur ε ob metrum. Hill. — Dubito. Latini quidem secundam syllabam producunt. Priscian. Avien. et Juvenal. Sat. VI, 549: «Armenius vel Commagenus aruspex». *Commagenus* autem, non *Comagenus* scribendum, auctoritate nummorum plures docuerunt. Vid. Gronov. ad Tac. Ann. II, 42; Oudendorp. ad Suet. Calig. cap. 16. Schr.—Cluv. Intr. Geogr. 278, male *Comagenen* habet.

1043. *Curvatur limes in axem*, forte *litus in axem*. Prisc. vs. 821: «Urbes dispositæ per longi litora flexus». Dionysius ipse 878: Συρίης τε πόληες, Θινὸς ἐπὶ στρεπτῆς περιμήκεος. (Priscianus hic περιμήκεος legisse videtur. W.) *Limes* autem et *litus* confunduntur. Vid. Virg. Æn. VI, 901. Schr.—Verum Avienus ipsum *limes* haud raro pro ora vel litore ponit, quod notavimus ad vs. 698; conf. ejusdem v. 401, 475, 1151. W.

1044. *Piniferos* Cusp. quod Camers ad Prisc. 816 mutat in *piniferas*. Schraderus in sch. conj. *nubiferas: proreptat in arces* Cusp. et Vad. *prorepat* Pith. et Huds. *prorepit* edid. Friesem. perperam. Præferendum *prorepat*, et conf. quæ Schraderus monuit ad vs. 169.

1045. In Trogn. est *sollers*, quod edam: *enim* suspectum habeo. Mox præeuntibus Heinsio et Broukh. in contextum recipiam: «quatuor illam In latera effusam cordi dato». Schr.

1046. *Enim* suspectum fuit Schradero, proque eo in sched. ille olim conjecit *item*. — Pro *enim*, quod manifeste vitiosum est, ego legerim *eo* pro *ideo*, *igitur*, quod etiam mihi videtur restituendum Ciceroni, Off. I, 10: «Eo quum tempora mutantur, permutatur officium», ubi nunc male *ea*. Wass. — Mihi series et connexio orationis ostendere videtur, *enim* rectum esse. Accipe jam, inquit Avienus, totius Asiæ ambitum facili carmine definitum. Hujus enim talem tibi formam proponito, etc.

1047. *Cordi dato*, h. e. animo tuo propone, manda memoriæ. Est Græcorum σὺ δ' ἐνὶ φρεσὶ βάλλεο σῇσιν· quales formulas plures Noster alibi adhibuit, ut v. 260: «Indefessa tuæ sint mentis acumina, lector»; 413: «Hoc agili sub mente tene»; et Or. mar. 78: «tu per intimum jecur Prolata conde.». Sic Virg. Ecl. III, 54: «Sensibus hæc imis, res est non parva, reponas». Idem Æn. III, 388: «Signa tibi referam: tu condita mente teneto». Horat. A. P. 368: «Hoc tibi dictum Tolle memor». W.—*Quattuor illa In latera effusa est cordi data:* sic Cusp. paullum corrupte, item Vad. *quattuor*

Sit modus his, rutili quæ spectant sideris ortum:
Tumque tene, primo quod carmine Musa loquuta,
Totam Asiam celsi præcingi vertice Tauri
Extima in Indorum: montis tamen accipe molem
Per latus id duci, quo dat Cynosura pruinas:

illa In latera effusa cordi dato Pith. et Huds. Hæc deinceps Hudsonus cum Heinsio, Bronckhus. et Schrad. corrigit: *quattuor illam In latera effusam cordi dato:* quæ lectio admodum probabilis et contexto digna. Mox aliam Hudsonus admodum ingeniosam adjicit: *Quattuor illa In latera effusa est quadrati.*

1048. Ortelius (in collat. cod. ant.) ad hunc versum subnotat: « Ab hoc versu usque ad *Turribus in cælum*...vs. 1086, desunt in Ven. » Et ad v. 1123: « Hic in V. sequebantur carmina superius omissa ». Ego idem notavi in ed. Ven. Schr. — Hæc est transpositio perversa duarum paginarum, quam ipse in recensione editionum commemoravi, et primus observavit Cuspinianus. W. — *Sit modus his rutili* Ven. Pith. Huds. *Est modus is rutili* Cusp. *his rutili* Vad. Sed præferenda est antiqua lectio *Sit modus*. Hanc poscit v. 1046 *Forma sit*, cujus hic continuatio est.

1049. Probo *Tumque tene*, quamquam Hudsonus *Tuque*, et sic citat Fabric. Biblioth. Lat. I, pag. 607. Schr. — Hudsonus *tuque* videtur aliunde abripuisse sine ulla idonea ratione. — *Quod carmine Musa loquuta est*, ut v. 257: « Nunc tibi tellurem versu loquar »; v. 398: « Nunc tibi et Europæ fabor latus ». W. — *Tumque tene* Cusp. et Pith. ediderunt, *Tuque tenes* vult Camers ad Prisc. 883. *Tuque tene* Vad. *Tumque* verum est, ut præceptio, quam Avienus hic de forma Asiæ instituit, continuetur: *primo carmine*, h. e. prima parte carminis ejus, qua sigillatim de Asia dicere incepi. Hoc carmen incipit v. 817, ac paullo post v. 839 de Tauro monte ea tradit, quæ hoc loco respiciuntur.

1050. Pro *præcingi* Schrad. quondam in sch. notavit *perfundi*. In notis denuo id varie sollicitavit, quasi hoc vix ferri possit, nec tamen aliud, quod præferret, invenit.

1051. *Extima in Indorum*, i. e. usque in extremos fines Indiæ: quemadmodum v. 826: « Indica qua rupes tumet extima ». Sic de ipso Tauro monte supra v. 842: « verticis ardua ducit Indorum in pelagus ». *Extimus* pro extremo v. 192, 530. Hinc Vadianus hic edidit *Extremam Indorum*, quæ lectio tamen non congruit verbis reliquis.

1052. Veneta corrupte: *Per latus id ducit quo datynus ora pruinas.* Cuspin. non melius: *Per latus id duci quod atymus ora pruinas.* Camerti ad Prisc. 835 legendum videtur, ut versus ratio et sensus constet: « Per latus, in Boreas quo ducitur ora pruinas ». Sed melius lectionem veram eruit Vad. et Pith. quam ipsi reddimus. — *Cynosura*, sive Arctos Minor, quam dicunt Nympham fuisse Jovis nutricem. Avien. Phæn. 121: « Sic Jovis altrices... prope cardinis axem... Helice Cynosuraque versæ Præscia venturis dant semper signa procellis ». En.

Solis ab occasu vastum decurrere Nilum:
Indicum ab Eois mare fervere, rursus ab Austro
Fluctibus immodicis Rubri salis æquora volvi.
Ora Syrûm curvi procumbens litoris acta
In Notum et Eoi confinia tenditur Euri.
Hæc Cœle est Graio sub nomine: namque duobus
Ut conclusa jugis, vallis vice, multa cavatur.
Ab Zephyro Casius mons imminet: axe diei
Consurgentis item Libanus premit arduus arva.
Pars procul a pelago terras colit, inque recessu

1053. *Decurrere Nilum.* Pro *decurrere*, quod omnes edd. habent, Schr. conjicit *discurrere*, quia alibi: *septem discurrit in ostia.* — Forte significat Virg. qui Georg. IV, 292: « Et diversa ruens septem discurrit in ora ». Ed. — Sed hoc loco de decursu Nili a fontibus suis, quo latus Asiæ præstringit, sermo est: *discurrit* autem Nilus, quando in septem diversa ostia distrahitur, aut ubi divagari per campos et inundare dicitur. Vid. Lucan. X, 238, ubi et *decurrere* et *discurrere* alii alterutrum legunt.

1055. *Fluctibus immodicis.* Sic Ovid. Her. XVIII, 137: « Fluctibus immodicis Athamantidos æquora canent, Vixque manet portu tuta carina suo ». Schr.

1056. Schraderus cum Heinsio legit *Ora Syrum curvi procurrens litoris acta.* Sed quia additur *In Notum*, rectum esse puto *procumbens*. Conf. quæ diximus ad vs. 35 et 125. — Κοίλη Συρία, Græcis dicta, i. e. cava Syria, a tergo aliarum Syriæ regionum, a Judæa Peræa ad Euphratem usque protenditur. Ed.

1059. *Duobus Ut conclusa jugis*, h. e. quia scilicet duobus conclusa montibus est. Conf. notata ad vs. 812.—*Multa cavatur*, i. e. maximam partem cava est, sicut *plurimus* usurpare Noster solet v. 463, 1027.

1061. *Axe diei Consurgentis*. Orientis Solis, ut supra v. 65: « At qua prima dies rutilo sustollitur ortu. — *Libanus premit arduus arva*, ut in Or. mar. v. 556, ex emend. Schrad. « Qua pinifero stat Pyrene vertice, Et arva late et gurgitem ponti premit »; et Rutil. I, 315: « Tenditur in medias mons Argentarius undas, Ancipitique jugo cærula curva premit ». Alia vide apud Schrad. Observ. p. 83. W. — *Libanus*, mons nobilis, a tergo Sidonis orsus, MD stadia in Cœlesyriam usque porrigitur. Ed.

1062. *Inque recessu Gens agitat*, in regionibus Asiæ interioribus, quæ magis recedunt a litore maris, uti Noster alibi solet, ut v. 325: « at quantum terrarum interna recedunt ». Versu 386 *recessum Libyæ* dicit tractum ejus ab Occidente in Orientem porrectum. Sed *recessus Nyssæi* v. 1375 aliter intelligendi. Virgilius *secessum* dixit Æn. I, 159: « Est in secessu longo locus », i. e. in remoto et interiore sinu litoris. W.

Gens agitat: salso quidquid pulsatur ab æstu,
Phœnicum regio est: hi Rubro a gurgite quondam
Mutavere domos, primique per æquora vecti
Lustravere salum; primi docuere carinis
Ferre cavis orbis commercia; sidera primi

1064. *Phœnicum regio est: hi Rubro a gurgite.* Dionysius, v. 905: Οἱ δ' ἁλὸς ἐγγὺς ἰόντες, ἐπωνυμίην Φοίνικες, Τῶν δ' ἀνδρῶν γενεῆς οἱ Ἐρυθραῖοι γεγάασιν. In hoc sequitur Herodotum, I, 1, et VIII, 89; quod post alios monuit Wesselingius. Schr. — *Hi Rubro a gurgite quondam.* Dubito, an corrigendum sit: *hi rubro gurgite quondam Mutavere domos;* et an simile sit Livianum illud, I, 50: « Turnus ab Aricia ». (Virg. Georg. III, 2: « Pastor ab Amphryso ».) Compara ad hoc duo Silii loca, I, 431: « Litore ab Hesperidum Temisus », et V, 271: « Obvius huic Atlas, Atlas a litore Hihero », e correctione Modii. Vers. seq. probo *domos*, ut vs. 618. Schr. — Ego nihil muto. Sed *rubro a gurgite* intellige inde a Rubro mari venientes: idque facile admittit sequens *Mutavere.* W.

1065. *Mutavere domos.* Confer loca superiora, v. 618: « Tyrii per inhospita late Æquora provecti ...: Coustituere domos »; et v. 870: « Ah Xanthi ripis atque Idæo Simoente ... Transvexere larem ». Add. Horat. Carm. sæc. v. 39: « Jussa pars mutare lares, et urbem Sospite cursu ». Hinc intelligis, « hi rubro a gurgite quondam Mutavere domos » idem esse, ac transtulere, « transvexere larem ». Festus: « Permutatur, id proprie dici videtur, quod ex alio loco in alium transfertur ». Cælius Aurel. Acut. lib. I, c. 15: « Grave est inchoante accessione ægros ad alium transmutare locum ». Sed et recte dicitur *mutari*, vel *mutare domum ab alio loco.* Ovid. Pont. IV, 14, 7: « Nulla mihi cura est, terra quam muter ab ista » (sic enim lego cum plurimis codd. quamquam aliter Heins.), idem Trist. V, 2, 73: « Hinc ego dnm muter, vel me Zanclæa Charybdis Devoret », ubi *Hinc muter* sine dubio est *ab hoc loco transferar.* Quamquam et sine præposit. *mutari loco*, *mutari finibus* sæpe dici non negem, idque demonstret Gronov. Observ. lib. III, cap. 1, qui de usu hoc verbi *mutare* fuse egit, sicut et Bentlei. ad Hor. Carm. II, 16, 18. Wd. — Heinsius ad dictum Ovid. locum pariter probat *mutare patriam* et *patria mutari.* Lucan. VI, 271: « Mutandæque juvat permissa licentia terræ ». Idem, VII, 466: « Nec libuit mutare locum »; et VIII, 147: « ... cunctos mutare putares Tellurem, patriæque solum ». Horatius, Carm. II, 16, 19: « ... quid terras alio calentes Sole mutamus? patriæ quis exsul Se quoque fugit? » De vera verbi *mutare* constructione, et variato ejus usu, copiose agit Raderus ad Curtium, pag. 62 et 63. Ed.

1066. *Lustravere salum*, circumiere, pervagati sunt. Conf. 893: « nec diri gurgitis unqnam Lustravi pinu freta barbara, nec vagus orbem Undique reptavi ». Virg. Æn. III, 385: « Et salis Ausonii lustrandum navibus æquor ». W.

1067. *Carinis Ferre cavis orbis*

Servavere polo. Populis Phœnicibus ergo
Urbs Iope, sterilisque dehinc habitatur Elais,
Gazaque proceris adsurgens undique muris.
Hic Tyrus est opulens, et Berytus optima, Byblos,
Sidoniique lares; ubi labens agmine amœno
Cespitis irrigui Bostrenus jugera findit.

commercia. Ambr. habet *orbi*, sed tueor volgatum *orbis*, idqoc prnpter Ausonium, qui de Clar. Urb. VIII, 6: « Per qoem Rooıaoi commercia suscipis nrbis »; ibid. IV, 7: « Mosella Longinqua omnigenæ vectans commercia terræ ». Et Coripp. lib. I, 110: « curvasque carinas Omnia vectantes gemini commercia mundi ». Schr.

1068. *Servavere polo* pro *poli*, qood vulgatum est, conjiciebat Brouckh. idque amplius considerandnm putat Schrad. Mihi *polo* aptius ad rem videtnr. Quippe Tyrii non nude spectasse, numerasse omnia sidera cæli dicuotur, sed certa sidera, qunrum positus vel cursns, in cæln observatus, utilis dirigendæ navigatinni esset. Hinc Virg. Æn. VI, 338, de Palinuro, gubernatore navis: « dom sidera servat ».

1069. *Urbs Iope*. Faveo partibus Salmasii ad Solin. cap. 34 pr. p. 401. Recte a Dionysin et aliis scribitur *Iope*, simplice *p*, quia sic etiam in nummis; oeque nummi metro consolunt. Ἰόπη nomeo Græcum est, non Ἰόππη. Sic etiam multi passim libri Mspti apud Melam, Vitruvium, Josephom. Cooni quoqoe regio memorator Ἰοπία. Fallitur ergo Cellarins II, p. 443, qui metri caussa literam a Dionysio ejectam contendit. Schr.—*Sterilisque dehinc habitatur Elais*. Sterilis dicitur Elais, quia in arido solo optime veniunt oleæ. Virg. Georg. II, 179: « Difficiles primum terræ collesque maligni, Tenois obi argilla et dumosis calculus arvis, Palladia gaudent silva vivacis nlivæ ». Vid. ibi Cerda. Præterea Severus (Lucilius Joninr) in Ætna vs. 262: « Aridinra tenent nleæ ». Schr.

1070. *Gazaque proceris adsurgens undique muris*. Hæc descriptin Gazæ, additameotum Avicni est: henc illustrari potest loco Arriani de Exped. Al. II, c. 26: Μεγάλη δὲ πόλις ἡ Γάζα ἦν, καὶ ἐπὶ χώματος ὑψηλοῦ ᾤκιστο, καὶ τεῖχος περιεβέβλητο αὐτῇ ὀχυρόν. Schr.

1n71. *Et Berytus optima, Byblos*. Hods. ed. *Berytus et optima*. Cellarius Geogr. Ant. II, p. 379: « Festus Avienos traostulit: *Hinc Tyrus est opulens, Berytus et optima*. Sic enim leg. non *et Berytus*, qood contra auctoritatem Græcorum est, qui primam et secuodam produxeruot ». Sanc favent Dionys. v. 911, et Prisc. 853; Jnannes, Aothol. Gr. I, 68, 19; Nonnus apud Cellar. l. c. Nihil tamen in textu novare sustineo. Ausonius præf. ad Syagr. 20: « Æmilium ad Scaurum, Berytiomque Probom ». Schr. — *Et Berythus optima, Byblos*. Cusp. Pith. *et Berytus, optima Byblos*. Vad.

1n73. *Bostrenus jugera findit*. De Bostreoo fl. quærens facere non possum cnm Ortelio in Thes. cui

Nec minus hic Tripolis pingui sola porrigit agro;
Orthosisque dehinc adtollitur: hic Marathus stat.
Litoris extremo caput altis turribus effert

Tamyras esse videtur, aut *Leonis* fluvius: quamquam eum sequi videntur, Cellar. t. II Geogr. 380, et Reland. in Palæst. p. 437, 8. Mihi videtur esse *Awle*, ou *la Fumière*. Ad opinionem eam stabiliendam legatur *La Roque*, *Voyage de Syrie et du mont Liban*, p. 229, qui manifeste distinguit inter *Nahr Damer*, qui Veterum Tamyras est, et flumen *Awle*, Francis *la Fumière*, ab Italico *Fiume*. Schr. — De Bostreno non nihil ipse dixi ad Prisc. v. 855. Suspicor Bostrenum fluvium dictum vel ductum esse a Botry urbe, Byblo vicina, memorata a Plinio, V, 10, quam Strabo, XVI, p. 755, *Bostra* adpellat. Quamquam enim vitiosa hæc lectio apud Strabonem esse judicatur pro Βότρυς, ego tamen pro altero vel variato nomine ejusdem urbis habere malim. Et quum multæ urbes ad ostia fluminum positæ commune cum ipsis nomen habuerint, quemadmodum cum *Leontos* oppido, ejusdem Syriæ, a Plinio l. c. memorato, factum est, pro quo Ptolemæus Λέοντος fluvium nominat, hinc Bostrenum etiam fluvium fuisse puto, qui Botrum urbem adluit, quocumque demum nomine ab aliis sit adpellatus. Neque obstat, quod Dionysius dicit Sidonem ad Bostrenum fl. habitari. Nam hic laxe admodum fines et regiones describit, et ipsas urbes Phœnices justo ordine non enumerat. Sidonem certe contra ordinem in reliquis observatum nominavit; post reliquas vero, Tyrum, Berytum, Byblum, versus Septemtrionem proxima est Botrus, quam volumus. Wd.—*Jugera fundit* Cusp. et Vad. sed sine dubio melius est *findit*, quod Pith. et sequentes dederunt, quomodo alias Noster de fluviis *incidit* v. 536; *dissicit* v. 925; *intersecat* v. 940; et mox *scindit* v. 1092.

1074. *Pingui sola porrigit agro* omnes edd. vett. sed *pingui se porrigit* Friesem. edidit, nescio qua auctoritate.

1075. *Orthosisque*. Sic legendum est cum aliis. In edit. Huds. notandum est vitium typogr. Neque enim, quod ibi dicitur, Pithœana habet *Orrosis*, sed *Ortosis*. Vid. num. Pelleriu. tom. II, p. 217. Schr.—*Ortasisque* Ven. *Ortosisque* Cusp. *Artosisque* Vad. *Orthosisque* Huds. quod rectum.

1076. *Litoris extremi* Cusp. Vad. *Litoris extremo* Pith. et Huds. *offert* pro *effert* habere A. monet Schrad. sed merito rejicit, collato illo Virgiliano satis noto: « Verum hæc tantum alias inter caput extulit urbes ».—*Caput altis turribus effert*. Six mox v. 1086 de Emeso: « subit auras Turribus in cælum nitentibus ». Videri potest Avienus hoc elogium Laodiceæ ex ingenio et arbitratu addidisse, neque Dionysium sequutus, qui vs. 915 tantum dicit sitam esse ad litora maris, ἣ κεῖται ἐπ' ἠιόνεσσι θαλάσσης. Sed revera Avienus descripsit urbem maritimam, qualis inprimis erat Laodicea Syriæ, scriptoribus *Laodicea ad mare*, et in nummis adeo πρὸς θάλασσαν dicta. Nam urbium maritimarum, portu et navigatione celebrium, hoc proprium fuit anti-

Laodice, et glauci prælambitur æquoris unda.
Hic nemorosa virent Daphnæ loca, celsa cupressus
Erigitur, ramos innectit laurus odora,
Crine Dionæo myrtus diffunditur, altæ
Consurgunt pinus, et cælum sibila pulsant

quitus, ut non solum domos in præaltum fastigium elatas, sed in plurimis etiam eminentes e tectis turres haberent, e quibus longe lateque prospici in mare, et observari naves venientes et abeuntes possent. Hoc in primis de Tyro, celeberrima urbium maritimarum, prædicavit Tibull. I, 7, 19: « Utque maris vastum prospectet turribus æquor Prima ratem ventis credere docta Tyros». Hinc etiam de Posidio, simili urbe, quæ apud Dionysium subsequitur, ab Avieno omissa est, Priscianus, v. 858, satis docte loquutus est, qui *Posidi turres* nominat. Etiam Ovidius, Her. XVIII, 12, de Abydo ad Hellespontum apte: «quum vincula proræ Solveret, in speculis omnis Abydus erat». Nempe *speculæ* sunt turres ipsæ. Wd.

1078. *Virent Daphne loca* Cusp. *Daphnæ loca* Vad. Pith. Huds. *viret* Ambr. Hinc posses scribere *Hic nemorosa viret Daphne loca*. Sed Dionys. 916: ἱερὰ τέμπεα Δάφνης, et Priscian. vs. 858: «et Daphnes optima tempe.», qui confirmant vulgatum, Schradero mecum sentiente. — *Celsa cupressus Erigitur*. Cupressos hic Avienus non ex ingenio finxit, sed Daphnæ nemus inprimis frequens cupressis fuisse, innumeri scriptores testantur. Philostr. I, 12; Sozom. V, 18. Hegesipp. IV, 1: «Seleucia juxta amœnissimum illud et celebre per Syriam Daphnes nemus, cyparissis arboribus intextum, scatens fontibus, quibus prætermeanti fluvio loci, quem minorem Jordanem vocant, nutrimenta quædam lacteis uberibus infundit». Schr. Plura veterum scriptorum testimonia de luco Daphnensi, cupressis obsito et amœnissimo, large suppeditabit Jac. Gothofred. ad Cod. Theod. lib. X, tit. I, de jure fisci, l. 12, qua cum lege conf. Cod. Just. I, 1 et 2 tit. *de cupressis ex luco Daphn. non excid. aut vend.* Addam tantum hunc Claud. locum, verba Avieni inprimis illustrantem, de Rapt. Pros. III, 370: «Tollebant geminæ capita inviolata cupressus Cespite vicino...quales non divite ripa Lambit Apollinei nemoris nutritor Orontes». W.

1079. *Ramus innectit* Ven. hinc Pithœus *ramis* fecit, sed rectius Cusp. et Vad. *ramos*, quod idem conj. Huds. et probat Schraderus in not.

1080. *Crine Dionæo*, quia myrtus Veneri sacra. Hinc «Cytheriaca myrtus» Ovid. Fast. IV, 15. Virg. G. II, 64: «solido Paphiæ de robore myrtus». Et sic ab aliis poetis *Paphias myrtos* dici docuit Bentl. ad Horat. Carm. II, 15, 5. W.

1081. *Cælum sibila pulsant Robora*, hoc est, *sibilantia*, quemadmodum *sibila colla* dixit Virg. Georg. III, 421. Intelliguntur ipsæ pinus, quas ante dixit, et quibus vento agitatis quidam sibilus vel cantus etiam ex

Robora, mollicomis tellus insternitur herbis.
Urbs mediis Apamea dehinc consistit in arvis,
Et qua Phœbeam procul incunabula lucem
Prima fovent, Emesus fastigia celsa renidet.
Nam diffusa solo latus explicat, ac subit auras
Turribus in cælum nitentibus: incola claris

foliis acutis, collisisque conis, tribuitur. Theocrito, Idyll. I, 1, est ψιθύρισμα, et belle inprimis Sereni fragmentum II, quod (huj. operis nost. tom. I, pag. 634. Ed.) dedimus: « Pinea brachia quum trepidant, Audio canticulum Zephyri ». Ibi similem locum Ausonii addnximus. Nunc addamus alium Claudiani, de Raptu Proserp. lib. I, 203: « densis quam pinus opacat Frondibus, et, nulla lucos agitante procella, Stridula coniferis modulatur carmina ramis ». Quæ hic *stridula*, Avieno sunt *sibila*. Virgil. Ecl. VIII, 22, « argutumque nemus pinosque loquentes » dicit. Claudianus tamen *sibilum* etiam de aliis arboribus, de Nupt. Hon. et Mar. vs. 68: « Et platani platanis, alnoque adsibilat alnus ». W.

1082. *Tellus insternitur herbis* Schradero sumptum videtur e Virg. Æn. VII, vs. 277: « Instratos ostro alipedes pictisque tapetis »; aut Georg. II, 183: « strati baccis silvestribus agri ».

1083. *Urbs mediis Apamea dehinc consistit in arvis. Apamena* Pith. sed Cusp. et Vad. *Apamea dehinc: Apamea* ed. Huds. qui vulgatum *Apamena* deserit. Favet mos Avieni. Ita: *Hic urbs est Thebæ* v. 367; *urbs Ephesus* v. 992. Pariter Heinsius legendum conjecerat. Schr. — Sed nihil mutat Pithœanæ lectioni, quam tres editt. habere adserit, quæ non aliæ videntur quam tres ipsæ Pithœi, quarum consensus nullum pondus habet. — Cod. tamen Ambr. *medira pemane*, quod docet fuisse *Apamena*. (Equidem hic nostri miror judicium. Wsb.) Schr. Sed ut hoc ambiguum, ita perspicua est auctoritas antiquarum edd. Cusp. et Vad. quam probare et defendere ipse Avienus videtur, quando mox vs. 1094 « Apamenæ jugera glebæ » dicit, atque sic ab ipso *Apamea* distinguit. Pro *consistit* Schrad. cum Heinsio mavult *considit*. Et favet huic conjecturæ v. 732: « sedet eminus ingens Phænagore ». Sed Salmas. ad Vopisc. Aurelian. c. 25 « consurgit in arvis » citat, item Woss. de Idol. lib. II, c. 5, p. m. 333, qui tamen fiducia memoriæ fallentis sic scripsisse videntur.

1084. Ad verba *incunabula lucem Prima fovent*, conf. vs. 275: « hos adflant rutilæ incunabula lucis ».

1085. *Emesus fastigia celsa renidet* omnes edd. Sed Salmas. et Voss. ll. cc. tum Dodwell. in diss. de æt. et patr. Dionys. p. 37, Holsten. ad Steph. et Cellar. in Geogr. Ant. citant *Emesæ fastigia celsa renident.* Videtur hæc correctio primum a Salmasio venisse, sed sine justa ratione facta, dehinc repetita a cæteris. — Ad hunc vers. vid. Excursus ad calcem hujus carm. Ed.

1087. *Incola claris Cor studiis acuit* * *amplius imbuit ordo.* Dod-

Cor studiis acuit, sed et amplius imbuit ordo:
Denique flammicomo devoti pectora Soli

wellus loc. cit, legendum suspicatur: *Amplissimus imbuit ordo;* « siquidem, inquit, Senatorii ordinis viros cives habuerit, vel Præfectum, sub patrono Elagabalo ». Schottus conjecerat *mox amplius imbuit ordo.* Withofius *sacer amplius imbuit ordo.* Quanto melius Nic. Heinsius, Adv. p. 578: « *Cor*, inquit, *studiis acuere* Avienus dixit Descript. Orb. « incola claris Cor studiis acuit, vitam pius imbuit ordo ». Sic locus contaminatissimus scribeudus. Exstat nunc ibi *amplius imbuit ordo:* nimirum posteriora *uit* in *acuit* neglexerat geminare supinus librarius ». Nihil hac correctione facilius. Obstat tamen ingrata repetitio vocis ejusdem; subsequitur enim *Vitam agitant.* Talia ferri possunt in sordidioribus, sed non temere ferenda in emendatis. Videant itaque Critici, num corrigendum: « incola claris Cor studiis acuit, mentem pius imbuit ordo; Denique flammicomo devoti pectora Soli Vitam agitant »; *mt* et *uit* vix differunt. Solent autem sic poetæ *corda*, *mentem* et *pectora* conjungere. Ipse Avienus, Phæn. 1174: « cæca mos mentis acerbæ, Immodicusque furor sceleris penetraverat œstro Impia corda viri »; Progu. v. 119: « cape solers singula mente, Præceptisque virum sitientia pectora pande »; Virgil. Georg. IV, 70. Manil. IV, 220: « In bellum ardentes animos et martia corda Efficit ». Ita et Græci κατὰ φρένα, καὶ κατὰ θυμόν. Hercul. Fur. vs. 105: « Concutite pectus: acrior mentem excoquat, Quam qui caminis, etc. » et vs. 1080: « Nec torva prius pectora linquat, Quam mens repetat pristinum cursum ». Schn.

1088. *Cor studiis acuit.* Similiter Martial. VI, 64, 16: « Sed tibi plus mentis, tibi cor limante Minerva Acrius, et tenues finxerunt pectus Athenæ ». Pluribus exemplis usum verbi *acuere* monstravit Heinsius, Advers. l. c. *Ordo* intelligendus est Senatorius, qui absolute pro Senatu Romano, aut Ordine Decurionum in municipiis, sæpissime poni solet, quum apud scriptores veteres, tum in antiquis inscriptionibus, ut observat Casaub. ad Julium Capitol. Maxim. et Balb. cap. 17. W. — Pithœus e Veneta versum hunc cum hiatu edidit: « Cor studiis acuit ' amplius imbuit ordo ». Plenum edunt Cusp. et Vad. sic: « acuit, sed et amplius imbuit ordo »; neque Camers, qui alias in vitiosis Cuspiniani locis corrigendis admodum diligens est, hic quidquam, quod reprehenderet, invenit. Sed recentiores, hanc vetustarum edd. lectionem ignorantes, varie grassati in eum versum supplendum sunt. Ego servandum arbitror, quod primum editum est, *amplius*, quia Poeta majus et amplius artium studium tribuere vult Ordini, sive Senatorio, sive alii Sacro, quam cæteris incolis. Et quum hanc significationem firmet adjectum *sed et*, quod vett. edd. Cusp. et Vad. exhibent, eæque merito, si codices deficiant, his pares censeantur, nolo equidem aliam lectionem requirere.

1089. Pro *flammicomo*, Vossius de Idol. lib. II, cap. 5, p. m. 333, citat *flammivomo*, haud dubie me-

Vitam agitant: Libanus frondosa cacumina turget,
Et tamen his celsi certant fastigia templi.

moria lapsus. Sed *flammicomo* dignius est Avieno, qui versu 801 *ignicomo Soli* dixit. Ed. — *Devoti pectora Soli.* Sol apud Emissenos ingenti honore cultus *Alagabali*, sive *Elagabali*, nomen habebat: pro quo Græci ac Romani, ut vox ea quodammodo barbariem exueret, *Heliogabalus* dicere maluerunt; immo et Ἐλαιαγάβαλος pro eo apud Herodianum legas. Sic Vossius de Or. et Pr. Id. lib. II, cap. 5, p. m. 332. Et soli Elagabalo apud Emissenos duo παρέδρους adjunctos fuisse, eodem loco Vossius prodit, Μόνιμον καὶ Ἄζιζον nominatos, quorum prior sit Mercurius, posterior Mars, quemadmodum Iamblichus interpretatus est, ut traditum a Juliano Imp. oratione IV, quæ est in Solem. Sed hoc Julianus non de Emissenis, sed Edessenis refert, neque ab his Elagabali nomen Soli datum memorat, quamquam Edessam ἱερὸν ἐξ αἰῶνος ἡλίου χωρίον, regionem ab æterno Soli dicatam, vocat. An fortasse ibi pro οἱ τὴν Ἐδέσσαν οἰκοῦντες legendum sit τὴν Ἔμισσαν, videant alii. W.

1090. *Libanus frondosa cacumina turget.* Hudsonus tentat: « Libani frondosa cacumina turgent », quod tamen repudio. Sic enim perditur Græcismus Avieno frequentissimus. Schr. — Explicat hunc locum Reinesius, Var. Lect. p. 680: « Templum, inquit, Solis, quem Alagabalum adpellabant, in media exstructum urbe erat, tantæ magnificentiæ et vastitatis, ut fastigia ejus cedris Libani certare scripserit Ruffus Avienus, periegeseos Dionysianæ interpres ». Juxta Libanum situm fuit Solis templum, sicut ipsa Emisa, quam propterea Stephanus Φοινίκης Λιβανισίας, *Phœnices Libanusiæ* urbem dicit. Fuerunt, qui sub Tauri montis radicibus Elagabali templum fuisse dicerent, e Spartiani loco in Carac. cap. 11 extr. id colligentes, quos refutat Salmas. ad Vop. Aurel. cap. 25, docens, ibi non de templo Elagabali vetusto sermonem esse, sed de eo, quod Heliogabalus Imp. Soli fecerat in eo vico vel loco ad Taurum, quo olim Faustinæ templum Marcus Anton. fundaverat. Ceterum media in urbe Emisa Solis templum fuisse, quum Avieni hic locus, tum Vopisci in Aurel. cap. 25, et Herodiani, lib. V, cap. 3, docet. W.

1091. *His celsi certant fastigia templi.* Sic Manil. V, 510: « Aurea Phœbeis certantia culmina flammis »; et Claud. Stil. III, 134, de Roma: « Æmula vicinis fastigia conserit astris ». De templo Solis Emiss. Schraderus adire jubet Salmas. ad Vop. p. 367, a. Voss. de Idol. II, 5, pag. 124, b. Noris. de Epoch. Syro-Mac. p. 96; *La Rocque*, *Voyage de Syrie*, p. 189. Ante omnes vero conferendus hic Herodianus, qui lib. V, cap. 3, magnificentiam et celebritatem ejus templi luculente exposuit: (Νεὼς αὐτῷ (τῷ Ἐλαιαγαβάλῳ) μέγιστος κατεσκεύαστο αὐτοῦ, χρυσῷ πολλῷ καὶ ἀργυρίῳ κεκοσμημένος, λίθων τε πολυτελείᾳ. Addit, non indigenas solum Deum illum venerari, sed vicinos quoque Satrapas regesque barbaros, certatim quotannis splendida offerre munera. W.

Hic scindit juxta tellurem glaucus Orontes,
Nec procul Antiochi vagus interlabitur urbem,
Præstringitque undis Apamenæ jugera glebæ.
Fertilis hic cespes protenditur, arvaque amica

1092. *Hic se indit juxta tellurem glaucus Orontes*. Sic Pith. e Ven. Melius ceperunt scripturam cod. Cusp. et Vad. legentes *Hic scindit*, quod etiam Ambr. præfert, et sic With. Quid autem Avienus? An voluit Orontem circa Emesam *terram subire?* Id si voluit, repugnat aliis. Strabo quidem, lib. VI, pag. 422: καθάπερ Ὀρόντης ἐν τῇ Συρίᾳ καταδὺς εἰς τὸ μεταξὺ χάσμα Ἀπαμείας καὶ Ἀντιοχείας, ἀνατέλλει πάλιν ἐν μ' σταδίοις. At si subit inter Apameam et Antiochiam, certe non ad Emesam. Nihil etiam tale Dionysius, nihil Priscianus. Quid, quod codices quoque alio ducunt, in quibus *findit* et *scindit*. Legendum forte e 1 C. «Hanc findit juxta tellurem glaucus Orontes». Certe probabilius est, Avienum sequi Dionysium et Priscianum. SCHR.

1093. *Nec procul Antiochi vagus interlabitur urbem*. Urbs Antiochi dicitur, ut Ovidio Trist. I, 2, 79: «clara Alexandri urbs»; Claud. in Eutr. II, 670: «Antiochi muri». In istis *Nec procul* minus accurate loquitur Avienus; sed mire tamen ille uti solet istis *procul* et *non procul*. Denique Orontes non *interlabitur Urbem Antiochi*, sed γαῖαν, vel *regna*. Sic enim Dionys. vs. 920: Ἄσπετος, Ἀντιόχοιο μέσην διὰ γαῖαν ὁρίζων, et Priscian. 861: «Antiochi medius dirimit qui gurgite regna». SCHR. — De hoc loco corrigendo non cogitasse videtur Schrad. Quid si legamus: «Nec procul Antiochi vagus interlabitur arva». WASSENB. — Sed similiter Avienus v. 112 *urbem Massiliam* dixit, ubi Dionys. v. 75 habet γαῖα Μασσαλίη. Igitur hic mos Avieni esse videtur, ut per *urbem* agros simul regionesque circa urbem significet. De Prisciani interpretatione dixi ad ejus v. 861. *Interlabitur urbem*, hoc est, quod mox vs. 1101 «interfunditur undis». W.

1094. *Præstringitque undis Apamenæ jugera glebæ*. Comparetur adpositus Strabonis locus, XVI, p. 1091, C. Ἡ δ' Ἀπάμεια καὶ πόλιν ἔχει τὸ πλέον εὐερκῆ· λόφος γάρ ἐστιν ἐν πεδίῳ κοίλῳ τετειχισμένος καλῶς ... καὶ χώρας εὐπορεῖ παμπόλλης εὐδαίμονος, δι' ἧς ὁ Ὀρόντης ῥεῖ, καὶ περιπολεῖ συχνὰ ἐν ταύτῃ. Hinc paullo rectius, et Geographiæ convenientius, me judice, scripsisset Avienus: «Hic scindit juxta tellurem glaucus Orontes, Præstringens undis Apamenæ jugera glebæ, Nec procul Antiochi vagus interlabitur urbem». SCHR. — Veneta vitiose *Præstringitur undis*. Cusp. et Vad. posuerunt *Perstringens undis*, sed Pith. cum Hudsono *Præstringitque*, quod præfero. Porro *Apameæ* Cusp. habet, *Apamenæ* reliqui.

1095. *Fertilis hic cespes protenditur arvaque amica Sunt pecori*. Sic in Sereni frag. (sup. cit. t. I, p. 634) «Inquit amicus ager domino». Lucilius Jun. in Ætna, v. 260: «hæc herbis dignissima tellus, Hæc dura et melior pecori, silvisque fidelis»; et *silvam juvencis facilem* vocat Nemesianus, Laud. Herc. v. 101. W.

Sunt pecori, in fetus facilis Pomona resurgit,
Et fecunda Ceres campo flavescit aperto.
Si rursus tepidum via deflectatur in Austrum,
Curva sinus Arabi succedent æquora propter.
Namque Arabas Syriæque solum sinus iste fluento
Dividit, et tentis procul interfunditur undis:
Et tamen Eoos paullum inclinatur in axes
Usque in belligeri confinia flexus Elani.
Hinc tellus Arabum producit cespite campos,

1096. *In fetus facilis Pomona resurgit.* *Infestus facilis Pomona resurgit* corrupte legunt Ven. Cuspin. Pith. facili emendatione Vad. expressit *in fetus facilis.* Ita etiam correxit Schrad. *Fetus* enim de arborum fructu dicuntur. Eadem vox pro correctione danda erat auctori vs. 355. Idem conjecit Huds. qui tamen edidit *in fructus*, quod nescio unde habeat. Denique *in septis* maluit Oddins, quod vellem aliqua prisci libri auctoritate firmatum esset, ut ederem. Sic enim *Pomona in septis* eleganter opponitur *Cereri in campo aperto. Pomona resurgit,* h. e. singulis annis renascitur, repullulat ad novos fructus ferendos. Solinus, cap. 22: « Thule larga et diutina Pomona copiosa est », ad quæ Salmas. p. 177, a. B. *Pomona* est pomorum proventus, sicut *annona* unius anni fetus, quod de omnibus fructibus dicitur. Schr. Conf. v. 1188; et Calpurn. II, 33: « Et matura mihi Pomona sub arbore ludit ». W.

1099. *Sinus Arabi* Cusp. et Pith. *sinus Arabum* fecit Vad. *sinus Arabis* Huds. sed Schrad. in not. vindicat lect. vet. *Arabi.* Vid. vs. 970.

1100. *Namque Arabas* Cusp. Vad. Pith. idque tuetur Schrad. contra Huds. qui *Arabes* maluit. Porro *sinus iste fluente* Cusp. *fluentæ* Pith. *fluntæ* adeo ed. Madrit. sed *fluento* Vad. et Huds. idque nunc verum esse ait Schrad.

1101. Pro *tentis* alios legere *lentis*, ait Huds. in Add. *interfunditur* ut supra vs. 1093 *interlabitur.*

1102. *Et tamen* Ven. Cusp. Pith. sed *Hic tamen Eoos* edidit Vad. quod fortasse melius.

1103. *Flexus Hanali* Pith. e Ven. *Helani* Cusp. et Vad. *Elani* scribere jussit Salmas. ad Sol. p. 342, b. A. idque sequutus est Huds. probat Schrad. In Græco Dion. v. 926, est ἄχρι Σελανῶν, quod corrigendum esse jam monui ad Prisc. 867.

1104. *Hinc tellus Arabum.* Avienum existimo hic jam statim Arabiam *felicem* describere, et Dionysium sequi, licet aliter sentiat Salm. ad Sol. p. 342, b. G. Hoc inde potest intelligi, quod post descriptionem generalem vs. 1111 subdit: « Felici terra recumbit Tota solo: tellus hic semper fragrat odoro Cespite ». Si ὀλβίστων ab ipso initio non expressit, nulla id postulavit necessitas. Auctori tamen, neque minus Salmasio, nocuit mala distinctio. Distinguendum convenienter Græcis: « Pars alia in primos qua semet porrigit

Et latera ab gemino sale cingitur; adluit æstus
Persicus hanc, Arabumque sinus rigat æquore terram.
His sua flabra polo spirant: nam Persicus Euro
Turgescit vento, Zephyro sinus æstuat alter.
Pars alia in primos quæ semet porrigit ortus,
Et Notus insurgit qua nubifer, æquore Rubri
Tangitur Oceani; felici terra recumbit

ortus, Et Notus insurgit qua nubifer, æquore Rubri Tingitur Oceani». Schr.

1105. *Sale tingitur* Ven. Pith. Huds. *cingitur* Cusp. et Vad. quibus accedit cod. A. Atque hanc lectionem amplectitur Schrad. quia conveniat Dionysio et Prisciano. Eamdem memorat Burmann. ad Ovid. Met. IV, 21, nihil tamen decidit. — *Abluit æstus Persicus.* Sic quidem habent omnes excusi. Sed ex cod. A. lego *adluit* pro *abluit*. Conf. Gronov. ad Sen. Herc. fur. 886: «Quodcumque adluitur solum Longo Tethyos ambitu». Oudend. ad Front. I, 4, 7; Oudend. apud Abr. Gronov. ad Mel. p. 983; Oudend. ad Lucan. VIII, 810. Schr. — Sæpe *abluere* et *adluere* confusa sunt, non observata distinctione. Sic in Epigr. veteri apud Gruter. p. 1126, 8: «Ossaque funestis fluctibus abluerunt»; ex correctione Burmanni, pro *adluerunt*. Ed.

1106. *Arabumque sinus rigat æquore terram.* Omnes edd. habent *terras*: itaque Higtius pro *hanc* legit *has*. Quid præferendum sit, vix constituo. S. — *Æquore terras* dederunt Ven. Cusp. Pith. Camers ad Prisc. 876 correxit *terram*, eumque secutus est Vad. neque aliter oportet legi, quia præcedit *hanc*, quod in nulla edit. aliter. Sic etiam citat Salm. ad Sol. p. 342.

1107. *Hic sua flabra* omnes quidem edd. sed nullo, vel difficili, sensu. Optime vero emendat Schrad. *His sua flabra polo spirant:* ex Dionysio, vs. 929: ἄνεμον δέ τοι ἔλλαχ' ἑκάστη. Sic plane supra vs. 558: «sortitaque marmora ventos Quæque suos, etc.»

1109. *Pars alia in primos qua semet* Cusp. Pith. *Parte alia* Vad. quod etiam vult Schrad. aut *Pars illa. Pars Asiæ in primos quæ* conj. Heins. inepte, Græco non inspecto. *Pars alia in primos quæ semet* edidit Huds. quod Schradero probatur, nec mihi displicet, quia Græco congruit; ausim tamen adfirmare, convenientius Græco esse, si scribatur *Pars autem in primos.*

1110. *Notus insurgit qua nubifer,* ut vs. 642: «Qua se parte dehinc celsæ Notus erigit æthræ»; conf. notat. ad vs. 125. W. — *Et Notus insurgit quum nubifer* Cusp. Vad. Pith. *cui nubifer* est in A. utrumque rejicit Schrad. recipit vero *qua*, quod V. habet, et Hudsonus edidit, atque etiam Higtius probavit: quia *insurgere* non cum dativo.

1111. *Tangitur Oceani.* Sic omnes editiones; sed legendum *Tingitur.* Hoc probant præcedentia: «adluit æstus Persicus hanc, Arabumque sinus rigat æquore terram»; probat quoque Dionysii κλύζετ', quod interpres explicat βρέχεται. Priscian.

Tota solo: tellus hic semper fragrat odoro
Cespite: prorumpit lacrymoso stipite myrrha,
Myrrha furor quondam Cinyreius; hic ladani vim

vs. 873: « Fluctibus Oceani pulsatur et undique Rubri ». Præcedit quidem v. 1105: « Et latera ab gemino sale tingitur », sed ibi emendandum monui *cingitur*. Schr. — Sed nescio, an his æque defendi *Tangitur* possit, quod Avieno non minus usitatum est. Similiter Schraderus supra vs. 681 *tingitur* reponere pro *cingitur* volebat, non optima caussa. Pro *felici terra recumbit*, Vadianus *felix hæc terra recumbit*, sed illud stylo Avieni dignius.

1112. *Tellus hic semper flagrat odoro Cespite*. Sic habent omnes editiones, et edidit etiam Huds. sed puer corrigat *fragrat*, ut Higtius et Heins. ad Claud. de nupt. Hon. et Mar. vs. 96. Schr. — Vad. sic distinguit hunc versum: « felix hic terra recumbit, Tota solo tellus hic semper flagrat odoro », sed male. Deinde *flagrat* omnes edd.

1113. *Prorumpit lacrymoso stipite myrrha*. Heinsius *prorepit*: quam lectionem etiam memorat Hudsonus. Ego *prorepit* non invenustum puto, sed quum codices vulgatum servent, nihil moveo. Schr. — *Lacrymoso stipite myrrha*. Sic Ovid. Fast. I, 339, « lacrymatas cortice myrrhas ». Et de Myrrha, Cinyræ filia, in arborem lacrymantem versa idem Met. X, 500: « Flet tamen, et tepidæ manant ex arbore guttæ. Est honor et lacrymis, stillataque cortice myrrha Nomen herile tenet ». W. — *Prorepit lacrymoso* emendat Heins. ad Claud. de N. Hon. et Mar. 96, ubi legitur: « Tardaque sudanti prorepunt balsama ligno ». Sed hic etiam nonnulli codd. *prorumpunt*. Et nescio, qui magis placere *prorepit* possit, quum *prorumpere* de lacrymis et guttis vulgatum sit. Virg. Æn. VII, 459; Senec. Troad. 1156; Claud. Rap. Pros. III, 128.

1114. *Myrrha furor quondam Cinyreius*. Ita Salmas. in Solinum, p. 663. Vulg. et Cusp. *Memyreius*. Huds. — Dubito, cuinam hujus emendationis tribuam gloriam, an Salmas. ad Sol. pag. 669, b. C. an Heinsio ad Claud. Nupt. Hon. et Mar. vs. 96, et Ovid. Met. X, 435. Cf. et Muncker. ad Hygin. p. 106; Lact. p. 261. Notanda præterea singularis locutio, *furor Cinyreius*, pro *furens in Cinyram*. Schr.—Vel, quæ præ amore in Cinyram furit. Sic in Epith. Ausp. vs. 37 (huj. op. t. III, p. 390. Ed.) *Fauni* dicuntur *Dryadum deliria*, h. e. quos delirare faciunt Dryades, vel qui amore Dryadum insaniunt. W. — *Furor quondam Memyreus* Ven. Pith. Hoc statim Camers ad Prisc. 876 emendavit *Myrrha f. q. Cinyreius*. Sic enim apud Ovid. Met. X, 369 et 712, *virgo Cinyreia*, et *juvenis Cinyreius* dicitur. Camertem sequutus Vad. edidit *Cinyreius*, similiter Huds. Idem viderunt Salmas. Heinsius, Munkerus a Schradero citati. Qui quum dubitat, cuinam hujus emendationis gloriam tribuat, equidem laudo sinceritatem et liberalem animum viri, qui neminem velit sua laude fraudare, sed miseror tamen fatum Camertis et Vadiani, qui meritis suis in Avienum tam præclaris consequi non potuerunt,

Vellera desudant, calami coma pullulat almi,
Gignit humus casiam, concrescunt tura per agros,
Longaque fecundis pinguescit odoribus ora.

ut viro tam bono atque erudito innotescerent.—*Hic ladani vim Vellera desudant.* Avienus de ladano accepit illud θύον, quod est in versibus Dionysii 936 seq. quodque Priscianus non vertit, sed Græcum retinuit; *Namque thyo myrrhaque viget.* Nihil in versibus his Avieni est, quod τῷ θύῳ respondeat præter *ladani vim*, et sane θύον ita vertit. Sed quare θύον ladanum? Legerat Avienus, Arabes ladano præcipue ad suffitus uti. Hinc τὸ θύον absolute positum hic pro ladano Arabico interpretatus videtur. Herodotus de ladano Arabiæ: Χρήσιμον δὲ ἐς πολλὰ τῶν μύρων ἐστί. Θυμιῶσί τε μάλιστα τοῦτο Ἀράβιοι. Græcis τὸ θύον proprie idem, quod θυμίαμα. Quod igitur Arabes ladano ad odorem faciendum maxime uterentur, θύον κατ' ἐξοχὴν ita dictum accepit. SALMAS. Exerc. Plin. p. 669. b. C. Plin. XII, 17: « Arabia etiamnum et ladano gloriatur: forte casuque hoc et injuria fieri odoris, (odoratorum fruticum) plures tradidere ». Wd.

1115. *Vellera defundunt.* Probo *desudant*, quod A. habet, et unde Heins. ita emendarat ad Claud. de N. H. et M. v. 96. Amplius tamen considerans hæreo in voce *Vellera.* an hæc de πώγωνι (Dioscor. I, 128). Sed fortasse scribendum *Jugera diffundunt.* SCHR.—Plinius, l. XXVI, s. 30 scribit: « Ledon adpellatur herba, ex qua ladanum fit in Cypro, barbis caprarum adhærescens ». Sed an huc respiciant *vellera* Avieni, adhuc dubito. Interim quum ladanum fuerit gummi, ex frutice ledo collectum, vellera haud incommode intelliguntur de ipsa herba, vel foliis fruticis. Vid. vs. 936. W. — *Vellera defundunt* Ven. et Pith. sed *defundant* Cusp. quod adparet corruptum esse ex *desudant*, atque olim jam Cam. ad Prisc. 876 vidit, ediditque Vad. Unde nullum dubium est, sic scribendum et legendum esse hodie, siquidem verbo eo in pari materia poetæ frequenter utuntur. Vid. Virg. Ecl. IV, 30; Calpurn. VIII, 77; Claud. Nupt. Hon. et Mar. v. 96. Ego fateor, et me quodammodo offendi voce *Vellera*, unde conjiciam, an forte *Vimina* legendum sit, quod ladani frutici convenire videtur. Claudian. l. c. « nec sicca frondescunt vimina costo ». — *Calami coma pullulat almi.* Vide quæ notavimus ad Prisciani v. 878, huj. operis nost. tom. IV, pag. 377. ED.

1116. *Concrescunt tura*, i. e. multa simul, una, crescunt, ut vs. 484: « ad æthram Concrescunt Alpes »; et vs. 361: « aspera nusquam Culmina consurgunt ».

1117. *Longaque fecundis pinguescit odoribus ora.* Heinsius *aura.* Sic: « pingues ab ovilibus auræ », et « se pingues tum candida flamma per auras Explicuit » Valer. Fl. VIII, 247. Ego tamen dubito. *Longa ora* melius dicitur, quam *longa aura.* Favet etiam τῷ *ora* Avieni v. 1218: « Attica qua pulchro tellus pinguescit Ilisso ». SCHR. — Manifestum est *aura* perperam Schradero Friesemannum tribuere, ut multa sæpiuscule alia. ED.

Vera fides, illic femoris sub imagine partus
Disrupisse Jovem penetralia; proderet ortus
Ut sacer ætheria fulgentem fronte Lyæum.
Nascenti Baccho risit pater, undique fulsit

1118. *Femori sub imagine* omnes edd. sed *femoris* ex Amb. legendum censet Schrad. recte.

1119. *Disrupisse Jovem penetralia.* Mira quidem Schradero videtur locutio *penetralia femoris*. — Nec tamen hæc inelegans, siquidem *penetralia* sequioris ætatis poetis haud raro de quibusvis interioribus corporis humani dicuntur, ut Mario Victori, Carm. ad Salmon. v. 28, « penetralia cordis », Prudentio Hamart. v. 898, « Sanguinis et carnis penetralia »; tantoque melius hoc loco, quia de partu sermo est, qui in thalamo et penetrali fiebat, et Valer. Flacc. VII, 325, « thalami penetrale » dicit. Ita phrasis *disrumpere penetralia* non caret auctoritate: nam Ovid. Pont. IV, 4, 27: « Cernere jam videor rumpi penetralia turba ». Wd. — *Femoris... Disrupisse Jovem penetralia.* Fabulam de Baccho Jovis femore incluso atque edito, præter Dionysium, multi tetigerunt poetæ, Orpheus, hymn. 47 in Sabazium; Euripides in Bacchis, v. 89 seqq. Ovid. Met. III, 310 seqq. Stat. Thebaid. VII, 166; Nemes. Cyneg. v. 18 seq. Calpurn. X, 23 sq. Claud. Stil. III, 227. Conf. Heynii V. C. not. ad Apollod. p. 559 seq. Nysæ, urbe Arabiæ, Bacchum editum, et a Nysæis Nymphis educatum plerique poetæ tradunt, et cum his Herod. II, 146; Diodor. Sic. III, 64. Dissident historici alii, et Nysam Indiæ nominant, eique vicinum montem *Meron*, cujus nomen originem fabulæ de Jovis femore dederit. Sic Plin. lib. VI, cap. 21: « Nysam urbem plerique Indiæ adscribunt, montemque Merum, Libero Patri sacrum: unde origo fabulæ, Jovis femore editum ». Addatur Mela, lib. III, cap. 7, 51, qui Meron montem Jovi sacrum dicit; Curtius, VIII, 10, 12; Arrianus Ind. I, 2. Totam fabulam Heinsius a. pr. Aristarchi Sacri ex ipsis nominum argumentis probat ab Oriente in Græciam pervenisse, et ex femore Jovis editum nihil aliud significare, quam a Deo satum, Hebræo loquendi more. Wd. — *Dirrupisse* Ven. et Cusp. *disrupisse* Vad. Pith. reliquæ.

1120. *Fulgentem fronte Lyæum... undique fulsit.* Ingrata hæc est repetitio. Scribi facile potuerat *lucentem* vel *luxit*. Sed tamen nihil mutare audeo, quia Avienus a talibus sibi non cavit. Et Bentleius talia in Lucano subinde mutando, male egit. Schr.

1121. *Nascenti Baccho risit pater.* Comparandus Virgilii locus, quem sine dubio respexit Avienus, Ecl. IV, 60 seq. « Incipe, parve puer, risu cognoscere matrem... cui non risere parentes, Nec Deus hunc mensa, Dea nec dignata cubili est ». Quippe ut parentes adridere natis dicuntur, e quibus maximam lætitiam, et futuræ omen felicitatis capiunt, ita et Dii ridere, vel etiam adspicere, quibus maxime favent.

Cælicolûm sedes, convexaque pura tetendit
Festa dies: tellus effudit dives odores;
Villorum subitis tumuit pecus incrementis:

Sic Stat. Sil. V, 3, 121: « Protinus exorto dextrum risere sorores Aonides ». Plura ejus rei ad Virgilianum locum dixi olim in progr. an. 1759 edito. Quæ deinceps dicuntur a Nostro de fulgore et serenitate cæli, et de ubertate omnium rerum, Bacchi natales subsequente, ad solennem eum poetarum morem finguntur, quo Jovis fronte exhilarata etiam cælum serenari, et Deorum, lætitiæ et voluptatis auctorum, adspectu omnia circum circa recreari, ridere, virescere, exuberare dicuntur. Talis est Bacchus, talis Venus. Et Bacchi adspectum sic descriptum videas apud Virgilium, Georg. II, 390: « Hinc omnis largo pubescit vinea fetu; Complentur vallesque cavæ, saltusque profundi, Et quocumque Deus circum caput egit honestum ». De Venere autem illustris locus est Lucretii, I, 6 seq. quem respexit, nec male expressit Patricius, auctor Epithalamii Ausp. et Aell. Plura de Deorum adventu adspectuque salutari disputavi (in Excursu XXI ad Calp. Ecl. X, v. 36, huj. operis tom. I, pag. 563 seqq. Ed.) Wd.—Quibus addi potest insignis locus Himerii sophistæ, ann. 1792 editi, Orat. XIII, 7, p. 598, ubi plane ad poetarum morem scribit, Baccho advenient, ridere omnem terram, et flumina mellis et nectaris erumpere. Ed.

1122. *Convexaque pura tetendit Festa dies.* Schraderus hanc singularem esse locutionem notat; mihi tamen facilis sensus videtur: convexa pura tenduntur, festa illa die orta, et *festa dies* pro caussa purioris cæli extensi ponitur, licet proprie sit adjunctum ejus. Sic versu 125 dicebat Noster, *qua Notus axem Humidus inclinat*, h. e. axis humidus inclinatur, ubi Notus spirat. Cæterum compares cum hac locutione vs. 359: « blandus prætenditur aer ». W.

1123. *Effundit* habet Cusp. reliqui *effudit*, quod rectius est.

1124. *Villosum subitis tumuit pecus incrementis.* Observa, Avienum etiam in minimis Virgilium imitari. (Quam rem, aut quem locum Virgilii, præter eum, quem ipse superiore nota adduxi, respiciat, equidem non intelligo. W.) Probo lectionem codicis A. in quo *Villorum*. Vellera enim crescebant, non oves. Et sic Dionysius ipse v. 942: Μῆλα δὲ καὶ τῆμος λασίοις ἐβαρύνετο μαλλοῖς· *subitis* illustrabunt Claudian. in Ruf. I, 382: « subitis messor gaudebit aristis »; et Calpurn. IV, 102: « Adspicis, ut teneros subitus vigor excitet agnos? Et nuper tonsis exundent vellera fœtis »? Post hæc verba in Calpurnio, duce cod. Mspto, legendum arbitror: « Hoc ego (nam memini) semel hac in valle notavi ». Schr. Conferri possunt, quæ ipse notavi ad Calpurnii locum, a Schradero citatum. W.—Vid. huj. nost. op. tom. I, p. 460. *Villosum* tamen hoc loco citavit Wernsdorf. Ed. — Tum considera locum Horatii, Carm. III, 16, v. 35: « mihi nec pinguia Gallicis Crescunt vellera pascuis ».

Ver habuere suum nova gramina, flore frequenti
Pinxit terra sinus, ac Nymphis unda cucurrit
Largior: internis etiam procul undique ab oris

1125. *Ver habuere suum nova gramina.* Sic legisse videas Barth. in comm. ad Claud. p. 870, ubi ad probandum lætitiæ datorem Bacchum totum hunc Avieni locum recitat. Schr. — Pithœus ex Veneta habet, eumque sequutus Huds. *nova framina*, vocabulum ignotum, quod explicare nescio. Cuspin. dudum cum Vadiano correxit *nova gramina*, idque in Ambr. invenit probavitque Schrad. Alios legere *flamina* notavit Huds. quod non respuerim. Nam veris tempore novi et mitiores flatus ventorum ingruere dicuntur.—Vid. Pentadii El. II, 2, et adnotata ad h. l. huj. op. tom. II, pag. 320. Ed. — Sed quoniam hic de largis terræ proventibus sermo est, quod etiam sequentia demonstrant, hinc equidem malim Cuspiniani antiquam lectionem *gramina* retinere.

1126. *Flore frequenti Pinxit terra sinus.* Hoc Avieni loco Pricæus illustrat Apuleii verba, Metam. X, p. 232: «quod ver in ipso ortu jam gemmulis floridis cuncta depingeret, et jam purpureo nitore prata vestiret»: additque alium Sidonii, carm. 2: «flore perenni Picta, peregrinos ignorant arva rigores». Sch. —Auctor Pervigilii Veneris, v. 13: «Ipsa gemmis (pro gemmeis) purpurantem pingit annum floribus»; et in epigr. de Laudibus Hortuli, Anth. III, 51, vs. 12: «Pinguntque terras gemmeis honoribus». Eleganter pingere terram flores dicuntur. Valer. Cato, in Diris, vs. 21: «Purpureo campos quæ pingit avena colore». Vomanus, in epigr. apud Pithœum, lib. IV, pag. 170: «Ver pingit vario gemmantia prata colore». Ed. — *Ac Nymphis unda cucurrit Largior.* Dionysius, vs. 943: αὐτομάτοις δὲ κατέῤῥεον ὕδασι λίμναι: sic et Callimachus, hymn. in Del. v. 261: Χρυσῷ δὲ τροχόεσσα πανήμερος ἔῤῥεε λίμνη. Barthius etiam ad Claud. p. 870 citat *Nymphis.* Mira vero locutio: Unda cucurrit largior Nymphis! *Nympha* pro *lympha* passim præfertur a Brouckhusio et Heinsio. Videatur hic ad Her. V, 31, ubi nostri etiam loci non est oblitus. Etiam apud Horat. Carm. III, 13, 15, Heinsius vult *Nymphæ*, non adsentiente Bentleio. Schr. — *Ac Nymphis* omnes exhibent edd. Quod si genuinum est, *Nymphis* tertio casu accipiendum esse arbitror, et Nymphæ nominantur a Poeta, quod Bacchus a Nymphis educatus dicitur, eæque hic sistuntur ita, ut fingi pingique solent, urnam effundentes. Unde nec ratio erit ulla, cur forte *lymphis* reponendum putemus.

1127. *Internis etiam procul undique ab oris. Interna* ubique a Nostro opponi *maritimis* solent. Sic versu 1284: «Ut simul et glauci contingat gurgitis æstum, Et procul internæ perreptet jugera terræ». Suspicor hinc oppositionem esse ad præcedentia v. 1110: «æquore rubri Tingitur Oceani»; poetam autem adfirmare, non tantum ex *maritimis*, sed et *internis* oris amomum illatum: *internis* ergo minime mutandum in *externis*, licet

Ales amica Deo largum congessit amomum.
Extemplo Liber subnectit nebride pectus,

Dionysius ἀοικήτων ἀπὸ νήσων. Variat enim sæpe Avienus. Sed considerans locum v. 1321 : « Nam procul internis a finibus aut adamanta Detulerint, etc. » dubito, an legendum illic sit *extremis*. SCHR.—Certe *internis* hic pro remotis, secretis, ignotis et desertis oris, quas nemo adiit, accipiendum videtur. Hoc suadet Dionysii ἀοικήτων νήσων, ubi νῆσοι non de insulis proprie dictis accipiendæ videntur, sed de locis solitariis, vastitate interjacentium regionum seclusis, qualia Ægyptiis Αὐάσεις vocabantur, de quibus egi Excursu IX ad Prisc. vs. 170; suadet inprimis Herodotus, quem sequi Dionysius solet, qui libr. III, cap. 111, narrat, incertam famam esse, quomodo aut qua in terra cinnamomum gignatur, nisi quod quidam veliut, id gigni in iis regionibus, ubi Dionysius educatus sit, et ipsas cinnamomi festucas adferri a grandibus quibusdam alitibus ad nidos e luto constructos in præruptis montium locis et homini inaccessis. W.

1128. *Ales amica Deo largum congessit amomum*. Phœnicem intelligit, qui Soli sacer. Vide Salmasium, Exerc. Plin. pag. 283 et 391. HUDS. Notandus est error Plinii, Hist. Nat. XII, 19, intempestive Herodotum (III, 111) vellicantis, quasi hic cinnamomum ex avium, privatim Phœnicis, nidis decuti dixerit. Castigarunt hunc errorem Salmas. ad Sol. p. 283 et 391, et *Bouhier*, Diss. Herod. p. XI, qui volunt, a Plinio in errorem inductum esse Avienum. Ego vero Avienum culpa libero, videnturque ipsi viri optimi vix inspexisse Avienum. Itaque singulare est, Plinio quidem hic injuria castigari Herodotum, Salmasio autem et Boubierio Avienum! Ad ipsa verba quod adtinet, quum Dionysius v. 944 ὄρνιθας memoret, sequutus de more Herodotum l. l. opinor singularem *Ales* ab Avieno poni pro plurali, quemadmodum aliis in locis sæpe factum. Sic v. 975 *celsa rupes*, ubi Dion. v. 805 οὔρεα. Add. Avien. v. 1210, et Dion. 1016; Avien. 620, et Dion. 457; Av. 751, et Dion. 570. Denique vehementer falluntur, qui *Deo* hic explicant *Soli*. Hoc enim foret ineptum, quum de Baccho agatur. Opportune autem succurrit locus simillimus, v. 1003 : « ritus Iaccho Luditur »; et v. 1007 : « Caurorum quoque flabra Deo famulantia ludunt », i. e. Baccho, de quo antea. SCHR. — Fabulam de cinnamomo e Phœnicis nido excusso post Plinium etiam Statius adripuit, qui ad eam adludit, Silv. II, 6, 87 : « Phariæque exempta volucri cinnama ». Vid. nost. ed. tom. I, p. 255. ED.

1129. *Extemplo Liber ..... Os hilarat, totaque celer diffunditur æthra*. Omisit hic Avienus versus aliquot Dionysii inde a vs. 950. SCHR. — Bacchus *hilarare os suum blando lumine*, eoque *diffundi totam per æthram* dicitur, quia si lætitiæ dator vino creando est, etiam temperiem aeris cælique puri serenitatem, vino generando necessariam, debet inducere. Hinc, uti pro Sole habetur, ut apud Macrob. Sat. I, 8, ita maxime cæli, sole puro illustrati, symbolum est. Inde solennia Bacchi elogia apud poetas,

Effusasque comas hedera ligat, inde virentes
Adtollit thyrsos, et blandi luminis igne
Os hilarat, totaque celer diffunditur æthra.
Sed propter Libanum terram sulcant Nabatæi,
Chablasiique dehinc, Agreni rursus, et inde
Chatramis est tellus: Macæ vicina fluento

quando e. g. apud Senec. Œdip. v. 404, « Lucidum cæli decus » vocatur, et mox v. 408: « Huc adverte favens virgineum caput, Vultu sidereo discute nubila ». Adde, quæ Ovidius habet de Baccho, Met. IV, 17: « tibi enim inconsumpta juventus, Tu puer æternus, tu formosissimus alto Conspiceris cælo ». Vid. nost. ed. tom. III, p. 291. Ed.

1130. *Effusis comas edere ligat*, sic Ven. *Effususque comas edere ligat* Cusp. *edera ligat* ed. Vad. *Effusasque comas* Pith. et Huds. *Effusaque comas hedera ligat* Friesem. edidit, quæ lectio minime omnium placere potest. Ego vulgatam lect. *Effusasque* tueor, quam et antiquarum scriptura *Effususque* juvat, et locus Senecæ plane similis firmat, Œdip. vs. 403: « Effusam redimite comam nutante corymbo ».

1132. *Hos hilarat* Ven. et Cusp. vitiose. Jam Camers ad Priscianum, vs. 883 correxit *Os hilari*. — Higtius pro *celer* conjecit *calor*, collato v. 949: Μηδιόων, καὶ πολλὸν ἐπ' ἀνδράσιν ὄλβον ἔχουσι. Locus est difficilis. Interim conferri potest illustrandi gratia Stat. Theb. lib. VII, 577: « si quando benigno Urbem Iniere gradu (tigres Baccbi), domus omnis, et omnia sacris Templa calent, ipsumque fides intrasse Lyæum »: item dicta Barthii ad Claud. p. 870. Schr.

1134. *Chablasiique dehinc*. Editiones et MSS habent *Chaulasiique dehinc* (sic etiam in scholiis ad Dionysium. Wb.) Sola Hudsoniana habet *Chablasii*, quemadmodum Dionysius. Sed millies confunduntur B et Y, B et V. Schr.—*Chaulasiique* Pith. e Ven. *Caulasiique* Cusp. et Vad. — Andreas Papius in var. Dionys. lect. adfirmat quosdam codices habere Χαλβάσιοι, quod in Prisciano quoque Aldinus codex retinuit. Ed. — Pro *Agreni* Hudsonus et Higtius conjecerant *Agræi*. Favet his V. cujus auctoritate ea lectio potest recipi. Favet et Strabo, XVI, p. 1112, ex Eratosth. Plin. t. I, p. 338, 15; Steph. Byz. Multa tamen faciunt pro *Agreni*, et est hæc terminatio e vulgatissimis. Exemplo sint Atropateni, Arieni, Matieni, Tibareni, Sordiceni, Emiseni, Setieni, (Or. mar. 624) et rel. *Agræi* autem V. D. sunt *Agareni*, quod nomen vitiose legitur in Xiphilini Epit. correctum Reimaro p. 1145. Sed id dudum fecerat Vales. ad Amm. XXV, c. 8, p. 336, plaudente Cellario, II, p. 625, quem miror non inspectum esse Reimaro. Schr.—Porro *Agreni* Ven. Cusp. Vad. Pith.

1135. *Et inde Chatramis est tellus; Canæ vicina fluento Persidis accedit.* Ita Salmas. p. 349 et 350. Antea « Lybdanus est tellus Camæ vicina fluento, Persidis accedunt rutili, etc. » Quum in Ora maritima habeamus *canus cespes*, possumus *canæ* legere, et cum *Persidis* jungere.

Persidis accedunt: Rutili contermina ponti
Minnæi Sabathæque tenent; super impiger ampla

Huns.—Dionysius, v. 956: οἳς ἐπὶ γαίῃ Χατραμὶς ἐνναίει, κατεναντία Περσίδος αἴης. Prisc. v. 887: « inde propinquat Chatramis, atque Macæ contra sunt Persidis æquor. Jam apud Nostrum, partim cum Salmasio, l. l. et Bocharto (cujus sententiam infra subjicio) legendum existimo: « et inde Chatramis est tellus: Macæ vicina fluento Persidis accedunt ». Interpretes apud Dionysium ita legerant v. 956, οἳς ἐπὶ γαίῃ Χατραμὶς, ἡ δὲ Μάκαι κατεναντία Περσίδος ἅλμης Ἐνναίει, quod vulgatur, suspectum faciunt ναίουσι v. 955 et 958, quæ ingrata est repetitio: dein non regionis, sed populi est *incolere*, ἐνναίειν. Simillimus autem Dionysii locus vs. 746: οἳς ἐπὶ γαίῃ Σουγδιὰς, ἧς διὰ μέσσον ἑλίσσεται ἱερὸς Ὦξος. Porro transponantur modo literæ, et e CAMÆ fit MACÆ. *Macæ* autem nominativum pluralem accipio de populis, ut Priscianus, non de promontorio, ut Bochartus. Ad *vicina* confer. locus similis in Phænom. vs. 247: « Usque Ariadneæ sese vicina coronæ Lubricus inclinat ». Dubito etiam, an non legendum sit *fluenti* pro *fluento*. Vulgatæ tamen favet vs. 880: « gemino vicina profundo »; et 1286: « Oceani vicina fretis ». Morem Avieni τὸ *accedere* construentis cum accus. illustrat Oudendorp. Obs. Miscell. V, 74. Sic Descript. Orb. v. 704: « Indeque rursum Cyclades accedunt Asiam », et v. 337: « utque Syenem Cærulus accedens diti loca flumine adulat »; et vs. 909: « Mardus fluit et procul ipsos Accedit Bactros ». S.—Valde variatus vexatusque hic versus est. Venet. et Pith. dederunt *Lybdanus est tellus Camæ vicina fluento*. Cusp. *Cathramis est tellus Camæ vicina fluento*. Vad. *Cathramis est tellus Carre vicina fluento*. Camers ad Prisc. 887 legit: *et inde Chatramis, et tellus Carnæ vicina fluento Persidis*, et *Carnen* vel *Carnam* e Strabonis lib. XVI dicit esse *Minæorum*, qui in parte versus Rubrum mare sunt, civitatem. Bochartus in Phal. lib. II, cap. 20, contendit, pro *Camæ*, voce nihili, legendum esse *Macæ* vel *Maci*, scil. promontorio *Macarum*, quod adpellatur *Maces* Ammiani lib. XXIII, cap. 6, pag. 398, atque ei Priscianus videtur *Macæ* apud Dionysium legisse. Vid. ibi not. nostr. Salmasius ad Solin. p. 350 corrigendum censet *Chatramis est tellus, Canæ vicina, fluento Persidis accedit*, pro vulgato *accedunt*, *Canam* emporium intelligens, ex adverso Persici æquoris situm in rubro litore. — Phil. Cluverius, Intr. Geogr. lib. V, cap. 24, *Canam* urbem ad mare Rubrum memorat. Ed.

1136. *Accedunt* omnes antiquæ: *accedit* posuit Hudsonus, Salmasii correctioni obsequutus.

1137. *Minæi*. Sic Ven. Pith. In A. *Cenei*. Dionysii editt. Μιναῖοι et sic Prisc. v. 888. Inde Hudson. hoc loco *Minnæi*. Hæreo. Cæterum legantur verba Wesselingii ad Diodor. Sic. tom. I, pag. 209, et videatur Harenberg. in Misc. Lips. nov. V, 445; Strab. XVI, p. 1112; Plin. tom. I, pag. 339 (lib. VI, cap. 28), ubi ait, quosdam existimare, Minæos a rege Cretæ Minoe originem trahere. Scnn. — Cluv.

Æquora desulcat glebæ ditis Catabanus.
Plurima præterea gens circumplectitur illic
Oram Arabum, muta sed degunt agmina fama,
Et numerus cunctis inglorius: inde Favoni
Qua plaga fecundis alit almos flatibus agros,

l. c. nominat Minæos et Sabæos, qui soli tus mittunt, et paullo infra urbes ad mare Persicum sitas *Saben* et *Sabatham* memorat. *Sabas* habet Priscianus versu 889. Ed. — *Sabathæque tenent.* Sic scribendum edendumque arbitror, monitus a Salmas. ad Solin. p. 348, b. G. et p. 349, b. C. qui inter alia: *Sabathas* Avienus Sabæos vocat ab urbe eorum *Sabbatha*, ut Sabæi a Saba sunt dicti. Holsten. ad Steph. voc. Σάβαι· « Dionysio in Perieg. v. 959, Σάβαι incolæ ab oppido Σάβα. Avienus vertit *Minæi Sabatæque tenent*, ubi *Sabatæ*, qui et Stephano Σαβαῖται. Nisi malis cum Salmasio legere *Sabathæque*, a recto Σάβαθα, vel Σάββαθα Ptolemæi, Arriani et aliorum ». Vid. et Michaelis in Sp. Geogr. Ant. p. 191. Schr. — *Minei Sabeque* Cusp. et Vad. — *Superi, impiger* habent veteres Ven. Cusp. Vad. Pith.

1138. *Super impiger ampla Æquora desulcat glebæ ditis Cletabenus.* Salmas. ad Solin. pag. 353, h. D. « Dionysius vicinos facit Sabæis in his versibus (958), qui sic legendi: Αὐτὰρ Ἐρυθραίης πλευρὸν ναίουσι θαλάσσης Μιναῖοί τε Σάβαι τε καὶ ἀγχίγυοι Καταβηνοί. Perperam Κλεταβηνοί legitur in editis. Scriptum erat ΚΑΤΑΒΗΝΟΙ. Nam Λ et Α sæpe invicem permutantur. Unde postea adjecto Ε fecerunt Κλεταβηνοί. Nihil verius. » Hæc Salmas. Sic etiam in Dionysio et utroque ejus interprete legit Bochartus, Phal. lib. II, cap. 26, qui tamen notandus, quod vitiose citat *dissulcat*. In Ven. pro *ditis* est *dives... glebæ dives Cletabenus*. Sed quum præcedat *impiger*, ne duo epitheta concurrant, præfero *ditis*. Denique vero monendum duco, v. 1138 legendum esse *Catabanus*. Sic enim V. (Etiam apud Prisc. 889. V. habet *Cletabani*). Sic Plin. VI, 28, lib. XXXII, p. 338; Solin. cap. 33, pag. 45. D. Cellar. pag. 598; Act. Lips. 1773, p. 400. Forte hoc nomen græcum latet apud Strab. p. 1113. A. Schr. — Veneta corrupte *glevæ ditescit eiet noenus*. Unde sequentes Cusp. Vad. Pith. feliciter eruerunt *glebæ ditis Cletabenus*.

1139. *Plurima prætErea*, etc. Avienus hic forte nimis liberaliter nonnulla de suo addidit, quæ tamen vi oppositionis potuerunt elici. *Circumamplectitur* citat Heins. ad Virg. Æn. V, 312. Vid. vs. 95. Schr. — Sic infra v. 1203: « Ipsa dehinc tellus quæ circumplectitur urbem ».

1140. *Muta sed degunt agmina fama*. Similes locutiones habes vs. 804 et 1389 seq. W.

1142. *Favoni Qua plaga fecundis*, etc. Hæc pugnant sequentibus, vs. 1144 « duris cautibus », item « non ollis pabula tellus parit », item « glebas abrodunt jejunas ». Dionysius et Priscianus tantum scribunt *ad Zephyrum*: hoc sufficiebat. Avienus, dum paraphrasten

Barbara montivagos tellus extendit Erembos.
Hi vitam duris agitant in cautibus omnem,

agit, falsa loqui videtur. (Tale Avieni peccatum jam notavi ad vs. 137, et poterat pluribus locis notari. W.) Cæterum singularis est locutio, « plagà Favoni alit agros flatu ». Comparari potest locus Senecæ, Herc. Œt. 622, tentatus ab Heringa: « Nec tamen omnis plaga gemmiferi Sufficit Istri... nec quæ Zephyro Subdita tellus, etc. » Schr. — *Fecundos alit almos fluctibus agros:* sic ed. Pith. *almis fluctibus* ed. Huds. Sed in notis Hudsonus: forsan *almis flatibus*. Burm. sec. ad Lactant. Phœn. v. 39: « *Fecundis fluctibus* præferebat Heinsius. Sed *almis flatibus*, ut reponebat Hudsonus, firmatur a vetusto cod. Mediolanensi, et probatum fuit Patruo meo ad Val. Flacc. VI, 340 ». Atqui Heinsius ad Ovid. VII, 532 legit *almis flatibus*, et in Add. ad Claud. p. 948. Sic et Higtius, et Withof. Atque hoc recipi forte posset codicis Ambr. auctoritate, et virorum doct. consensu. Verius tamen forte: *fecundis alit almos flatibus agros.* Schr. — Et mihi hæc lectio, præter rationes a Schrad. adductas, e primæ editionis scriptura, quæ *almos agros* servavit, non parum confirmari videtur. Hanc quoque omni modo se præferre dicit Wassenb. Ed. — *Almus ager* frequens. Sic Virg. Georg. II, 330: « Parturit almus ager ». *Fecunda* tamen *aura* aliquando dicitur. Ita Prisc. 978: « Fertilis hæc tellus fecundis pascitur auris, Nam ventis semper floreseunt rura secundis ». Catullus: « Aura parit flores tepidi fecunda Favoni ». Dionysius ipse adposite v. 1078: Αἰεὶ δ' αὖ λιαροῖο γεγηθότες ἐξ ἀνέμοιο Καρποὶ τελεθάουσιν. Schr. — *Qua plaga fecundos alit almos fluctibus agros:* sic Ven. Melius Cusp. et Vadian. *alit almis flatibus agros.*

1143. *Barbara montivagos tellus extendit Erembos.* Stephanus: Βάρβαρος εἴρηται παρὰ τοῖς νεωτέροις ἐθνικῶς, ἀφ' οὗ Βαρβαρία. Ἔστι δὲ χώρα παρὰ τὸν Ἀράβιον κόλπον. Sinum Arabicum adcolebant Troglodytæ, Avalitæ, et Mossyli, post quos versus meridiem Barbari Æthiopes, a quibus *Barbaria* dicta. Marcianus de sinu Arabico: Παροικοῦσι δὲ τούτῳ οἵ τε καλούμενοι Τρωγλοδύται, καὶ οἱ Αὐαλῖται, καὶ προσέτι γε οἱ Μόσσυλοι τὰ ἔθνη. Hæc omnia Τρωγλοδυτικῆς nomine comprehendi solita, auctor est Ptolemæus, cui contermina Barbaria. Quin et Τρωγλοδυτικὴν ipsam Veteres plerumque *Barbariam* indigitarunt propter vicinitatem. Salmas. ad Solin. p. 561, b. E. Erunt forte, qui velint eruditissimum Poetam eo respexisse (sc. ut proprie *Barbariam* intellexerit, i. e. τὴν Τρωγλοδυτικήν). Sed quum sæpius vulgari sensu ponat, ut vs. 860, nec hic ab eo recesserim. Ad phrasim: « extendit Erembos »; confer loca similia, vs. 493: « tum multa tenduntur parte Latini »; et v. 526: « Et super arenti tenduntur Iapyges agro ». *Erembos* tueor versu 271, tum quoque auctoritate Homeri et Geographorum, tamquam Steph. Byz. Schr.—*Erembas* omnes editiones.

1044. *In cautibus omnes:* sic quidem omnes edd. sed Schrad. in A. invenit *omnem*, idque ipsum se conjecisse adfirmat.

Intectique artus erepunt ardua semper
Culmina saxorum: non ollis pabula in usum
Terra parit: glebas abrodunt more ferarum
Jejunas herbæ, nec amicas frugibus ullis.

1145. *Erepunt ardua semper Culmina saxorum.* Sic ed. Venet. Pith. Trogn. Idem citat et similibus illustrat Heins Adv. p. 372. *Erumpunt* Pith. Lugdun. et Genev. vitiose, recepit tamen Madrit. Oudendorp. ad Suetonium, Tiber. cap. 60, p. 441: « Avienus 1144 *erepunt,* ubi male in edd. nonnullis *erumpunt* ». Hudsonus in Addend. An *irrepunt?* Forte non male. Sic ter Apul. lib. III, p. 94 ed. Delph. VIII, p. 243: « irrepit cubiculum »; IX, p. 271: « latenter irrepit ejus hospitium temerarius adulter ». Noster, Or. Mar. v. 530: « Dehiscit illic maximo portus sinu, Cavumque late cespitem inrepit salum »: nisi illic legendum *irrumpit salum. Erepunt* autem forte ferri nequit. Nam τὸ *erepere* (Gronov. ad Senec. Phœn. 112) semper altius quid respicit. At Troglodytæ specus *subibant*, unde et ipsis nomen. Prisc. 892: « degit Erembum Speluncis genus infelix ». Vid. Strabo, XVII, p. 1184, C. Plin. V, 8; Hard. p. 341, n. 41; Virg. Georg. III, 376; Perizon. Or. B. p. 46. Schr. — *Erepunt ardua* Cusp. Hudson. *Irrepunt* Vad. Qui *irrepunt* legendum censuerunt, permoti sunt eo, quod verbum *erepere*, escensionem fere significans, minus convenire speluncis Ermborum suffossis videbatur. Sed addit tamen Avienus *ardua culmina saxorum*, Erembosque ipsos vocat *montivagos* vs. 1143, adeoque recte usurpavit *erepere*, etsi hac dictione prodit, se curam non habuisse moris Troglodytarum recte exprimendi. Confer interim v. 283 et 458.

1146. *Culmina saxosum* habet Cusp. quod Camers ad Prisc. 911 mutavit in *saxorum*, ut reliqui.

1147. *Glebas abrodunt more ferarum Jejunas herbæ.* Citat hæc Heins. ad Ovid. Met. XV, 92. Nihil autem tale Dionysius. Pro *abrodunt* in A. est *adrodunt.* Vid. Burm. Anth. Lat. tom. II, pag. 534, ubi *adrodunt* citat e correctione Heinsii, qui ad Ovid. Metam. XIII, 690, id ipsum *adrodunt* proferens, addit: « ita scriptus liber, non *obrodunt:* sic et apud Lucanum corrigatur ». Sed editi *abrodunt,* non *obrodunt.* (Forte vitium est typographicum. Wb.) Ad verba *more ferarum* similia loca suppeditat Pric. ad Apul. Metam. p. 721, ut Cic. I de Invent. « Quum in agris homines passim bestiarum more vagabantur, et sibi ritu ferino vitam propagabant ». Curtius, lib. III: « Delituisse inter angustias et saltus, ritu ignobilium ferarum ». *Vitam degere more feræ* Virgilianum est, Æn. IV, 551. *Jejunas herbæ,* h. e. expertes, *vacuas*, vel parum expletas. Sic Cic. in Orat. n. 106: « Jejunas igitur hujus multiplicis orationis aures civitatis accepimus ». Schr.

1148. Pro *amicas* non nemo *amictas* voluit, ut Ovid. Fast. IV, vs. 707, « vestitos messibus agros » dixit. Sed ipse Noster supra vs. 1095: « Fertilis hic cespes protenditur, arvaque amica Sunt pecori ».

Hinc ultra Libani rursum fastigia celsi,
Lux Hyperionio qua se sustollit ab ortu,
Alterius Syriæ limes jacet usque Sinopen
Gurgitis adtiguam; mediis hic impigra in arvis
Cappadocum gens est: propter freta turgida rursus
Assyrii juxta sunt ostia Thermodontis,
Et festina citis evolvitur unda fluentis.

1150. *Lux Hyperionio qua se sustollit ab ortu.* Hoc loco Burm. V. C. firmat conjecturam, vel potius emendationem indubitatam, ut vocat, Anthol. Lat. l. II, pag. 298, ubi pro « Sol et Hyperboreo fulget matutinus in ortu », legit « Sol Hyperionio fulget maturus in ortu ». Utinam non addidisset: si autem *matutinus* retineri placeat, transponi posset: « Sol matutino fulget Hyperion in ortu! » Nam nec *Sol Hyperion* simul positi ferri possunt, nec Hyperion (Ὑπερίων) ultima brevi. Schr. — Sed *Sol Hyperionius* vocatur Nostro vs. 1309, et in Phænom. v. 396: « Hic Hyperionii flagrat via solis ». W.

1153. *Propter freta turgida.* Hic locus fugit Bentleium ad Horat. Carm. I, 3, 19. Schr.

1154. *Assyrii juxta sunt ostia Thermodontis.* An Avienus sequitur Dionysium v. 975, 1178? quem tamen errare dicit Cellar. Geogr. Ant. II, 653. Sed eumdem errorem (si Diis placet) erravit Apollon. Rhod. II, 948-965; Orpheus in Argon. correctus a Wesselingio; Val. Flacc. V, 110. Quid? quod Diodorus Sic. II, 43, p. 155 tradit, Scythas coloniam ex Assyriis eo duxisse. Vid. ibi Wessel. Schr. *Thermodoontis* Venet. Cusp. Pith. *Thermodontis* Huds. quod rectum est. Vid. vs. 856, 950.

1155. *Et festina citis evolvitur unda fluentis.* Cumulat epitheta. Similis locus Phænom. v. 49: « quo velut amnis, Quem festina citis urget Natura fluentis Lapsu continuo, etc. » *Evolvi* dicuntur flumina, quum in mare exeunt. Sic Or. mar. vs. 679: « nostrum in mare, Et Occidentem contuens, evolvitur ». Vid. Voss. ad Mel. pag. 665, ed. Gron. Videntur autem hæc de Thermodonte dici. Et sane *celer* vocatur Ovid. Met. II, 249. Val. Flac. V, 122: « Sævaque Thermodon medio sale murmura volvens ». Latius de hoc flumine Dionys. v. 774. Hic per occasionem tantum memoratur Thermodon; adeoque adsumentum aut ineptum est, aut versus alio pertinet: neque quidquam tale Dionysius, aut Priscianus. Immo Dionysius θοὴν habet de Euphrate, v. 981. Omnia ergo favent transpositioni, ut versus collocetur post 1163: « Inde Teredoniæ propter juga maxima rupis, Persidis in pontum sparso cadit effluus amni, Et festina citis evolvitur unda fluentis ». Plane convenit descriptio Herodoti, I, 180: Τὸ γὰρ μέσον αὐτῆς ποταμὸς διείργει, τῷ οὔνομά ἐστιν Εὐφράτης· ῥέει δὲ ἐξ Ἀρμενίων, ἐὼν μέγας, καὶ βαθὺς, καὶ ταχύς· ἐξίει δὲ οὗτος ἐς τὴν Ἐρυθρὴν θάλασσαν. Propiora quidem sic redduntur *Et festina citis evolvitur unda fluentis*

Nec procul, adtollit qua se facis ardor Eoæ,
Plurimus Euphratæ manat liquor : iste feroci.

et *citus æquora Tigris;* id unum tamen forte non retinebit Criticos, qui cogitent, toties id ab Avieno negligi. SCHR.

1156. Ad verba *facis ardor Eoæ* conf. vs. 54, 768.

1157. *Plurimus Eufratæ* Ven. Pith. *Euphratæ* Cusp. *Euphratis* corrigit Camers ad Prisc. 911, quem sequitur Vad. sed *Euphratæ* recepit Huds. et tuetur Schrad. — *Euphratæ*, ut *Orestæ*, *Pyladæ*, *Philoctetæ*, *Thyestæ*, *Alcibiadæ*, *Gygæ*. Salmas. ad Solin. p. 295, a. G. Heins. ad Ovid. Her. VIII, 9. *Manat liquor:* sic ap. Prop. I, 6, 32: «Lydia Pactoli tingit arata liquor». SCHR. — *Euphrates*, qui nunc *Frat* dicitur accolis, in Majori Armenia exorsus, initio *Pyxirates* nominatur : ubi Taurum occurrentem irrumpit, *Omira*, et mox ubi perfregit, *Euphrates*. Inde læva Mesopotamiam, dextera Syriam, Arabiam, Babyloniamque radens, in plures alveos dispergitur; quorum uno Seleuciam et Tigrim petit; altero, qui Regius dicitur, Babylonem permeans, in paludes Chaldaicas distrahitur; transvectusque, quondam suo ore in mare evolvebatur : postea vero ab accolis agros rigantibus præclusus, non nisi per Tigrim delatus. Increscit Nili modo, statis diebus, ac Mesopotamiam inundat. Tigris vero, de quo infra, in majori quoque Armenia oritur; qua tardior fluit *Diglito*, unde concitatur a celeritate *Tigris* (ita adpellant Medi sagittam) incipit vocari. Citra Seleuciam divisus in duos alveos insulam efficit haud modicam, quam v. 1182, Noster *Interamnem* vocat. Ubi remeavere aquæ, Pasitigris adpellatur, moxque in lacus Chaldaicos cum Euphrate se fundit; inde vasto alveo profusus infertur mari Persico. ED. — *Feroci fusus ab Armenio* Cusp. *feroci Armenia* Cam. l. c. Vad. Pith. Huds. Sed hic in Add. ait : Potius *feraci :* quam conjecturam etiam habuit Withof. — *Iste feroci Fusus ab Armenia.* Alii præferunt *feraci.* Et sic Sannaz. de part. Virg. II, 126 : «regna illa feracis Armeniæ». Sane Dionysius, vs. 1001 : λιπαρὴν χθόνα ναιετάουσιν Ἀνέρες Ἀρμένιοι. Claud. Epigr. 20, 5, de Equo : «Sive illum Armeniis aluerunt gramina campis». Intercedit vir doctus (Oudendorpium puto) qui in Obs. Misc. I, p. 376 : «Oddius corrigit *feraci;* sed vix crediderim auctorem aperte voluisse contradicere Dionysio : Ἄρεος εὖ δεδαῶτες. Statius, Silv. I, 4, 79 : «arcuque horrenda fugaci Armenia» ; et V, 2, 40 : «Quæ suspecta fides, aut quæ fuga vera ferocis Armenii». Addit Burmann. «Neque ego credo *feracem* Armeniam recte dici, quæ magnam partem horrida, montana, et frigore et nive infesta est, ut ipse Xenoph. lib. IV, Ἀναβ. p. 327 et 329.» Ego, si legeretur *feraci*, forte non mutarem; nunc alia res est. Nota tamen, Euphraten fluere ab Armenia majore, quæ frigida, nec ferax. Minor contra mitior, malis gignendis apta. Michael. Sp. G. pag. 78. Igitur *feroci* forte præstat. Frigidissimam esse testantur etiam Wessel. ad Anton. Itin. pag. 216. Tournefort. Itinerar. III, pag. 106, 107, 117. SCHR. — Vide, an *feroci* potius conjungendum sit cum *antro*, ut ferox antrum fluvii sit,

Fusus ab Armenia vastum caput exserit antro,
Inque Notum primæ protenditur agmine molis;
At matutinos iterum conversus in axes,
Dividit inserto mediam Babylona fluento.
Inde Teredoniæ juga propter maxima rupis
Persidis in pontum sparso cadit effluus amni.

quod ferociter et vehementer undas effundit, quemadmodum ipsi fluvii *feri* aut *truces* dicuntur. Vide notata ad vs. 343. W.

1158. *Feroci Fusus ab Armenia vastum caput exserit antro.* Consideranti lectionem variantem codicis Ambr. in quo « iste feroces Rursus ab Armenio vastum caput exserit antro », subnata mihi hæc conjectura est : « iste ferocis Rupis ab Armeniæ vastum caput exserit antro », quod responderet Dionysii ἀπ' οὔρεος Ἀρμενίοιο. Huic tamen conjecturæ non multum ipse tribuo; et vulgatum defendi potest tum aliis, tum loco Or. mar. 284: « Tartessus amnis, ex Ligustico lacu Per aperta fusus »; nec non v. 636 : « Effusus ille, et ore semet exigens Hiantis antri, vi truci sulcat sola ». Compara porro Descr. Orb. v. 423, 876; Lucan. V, 598. Schr. — *Caput exserit antro:* sic sæpius Noster de fluminibus, ut vs. 423, 876, 1290.

1159. *Inque Notum primæ*, etc. Adparet etiam in his nonnulla imitatio Herodoti, lib. I, cap. 180: τὸ γὰρ μέσον αὐτῆς ποταμὸς διείργει, κ. τ. λ. ad quem locum legenda sunt verba Wesselingii de cursu Euphratis. Et Salmas. ad Sol. p. 443, a. A. sic : « Dionysius Periegetes, qui Severi temporibus vixit, recentem magis, quam veterem de Euphratis cursu opinionem sequitur : quippe quum oriri dicat ad Orientem Cappadociæ, adversum Meridiem semper currere, donec ad Orientem se convertat, ubi Babylonem adire properat ». Tournefortius nihil novi videtur adferre. Quod in Dionysio legitur πρῶτον, Avieni *primæ* exprimit. Schr. — Sed mihi dubium non videtur, quin sit legendum : « Inque Notum primo protenditur agmine molis; At matutinos, etc. Wb. — *At* probat Wernsd. quum vulgatæ habeant *Et matutinos*.

1160. *Matutinos iterum conversus in axes.* Pariter supra vs. 438, de Istro : « in Eoos autem convertitur axes ».

1162. Quæ hic *rupes* vocatur Teredon, aliis nominatur πόλις, ut Strab. ex Eratosth. ut videtur, pag. 143. A. *urbs* Amm. Marc. p. 286; *vicus* Plin. I, pag. 336, lib. XXIII Hard. Schr. — *Juga præter maxima* omnes habent edd. sed *propter maxima* ex auctoritate Dionysii legendum esse Schraderus contendit in præf. ad Emend. p. 57, et Obs. p. 49.

1163. *Cadit effluus amnis.* Verum est *amni*, quod exhibet Ambr. Imitatur Virgilium, qui in fine versus *amni*. Et sic Horat. Sat. I, 10, 62 : « Quale fuit Cassi rapido ferventius amni Ingenium ». Conf. Bentl. ad Horat. Sat. I, 5, 72; Drak. ad Liv. IV, 244, 616, et de aliis pag. 284. Schr. — Huc usque processerunt Viri doctiss. Jo. Schraderi curæ in Avieni Descript. Orb.

Hunc super, in septem quantum via carpitur ortus
Cespitis extenti spatiis, citus æquora Tigris
Prona rotans, et saxa jugis avulsa supernis,
Et totas late celeri trahit agmine silvas.
Quin et vasta palus medio distenditur agro;
Maximus hanc fluctu Tigris secat: intrat aperti

terræ. Ad reliqua habeo tantum ejus conjecturas aliquot subitarias, brevissime notatas in schedula, tum paucas alias Abr. Ortelii, Andr. Schotti et P. Scriverii, collationi veteris Mspti Avieni adscriptas, quas in schedis Schraderianis repertas benigne mecum communicavit V. C. Ev. Wassenberghius. Igitur sequentibus adnotationibus nostris multum decedet ubertatis, quæ prioribus aderat. Enimvero properandum est, et reliqua breviore gyro peragenda. W. — *Cadit effluus amnis* Ven. Cusp. Pith. *amni* vult Camers ad Prisc. 911: idemque exhibet Ambr. atque edidit Vad. *amne* scribit Huds.

1164. *Nunc super* Ven. et Cusp. vitiose. *Hunc super* correxit Camers ad Prisc. 911, quem sequitur Vad. Pith. et reliqui: *super* notat *ad Orientem*: ut congruat Dionysio, qui vs. 983: Τόνδε μέτ' εἰς αὐγάς, et Prisc. vs. 911: « Hujus ad Auroram ». — *In septem quantum via carpitur ortus Cespitis extenti spatiis*, h. e. quantum spatii terrestri itinere, vel pedibus, absolvi potest in septimum usque diem. Conf. Prisc. vs. 911. Phrasis *via carpitur* pro simplici verbo *itur* vel *pergitur* accipienda est. W.

1165. *Cespitis extenti spatiis* omnes vetustæ. Solus Camers legit *spatii*, quod, genitivis adeo cumulatis, sensum impeditiorem reddit, etiamsi *spatii* trahatur ad *quantum*.

1166. *Avulsa supremis* omnes habent edd. *superbis* e codice vet. defendit Heins. Adv. II, 2, p. 211, et confert Or. mar. vs. 322: « Sacrum superbas erigit cautes jugum »; et vs. 494: « Juxta superbum mons Acer caput exserit ». Sed non eadem ratio his locis est. Igitur magis probo, quod Heinsius ad Ovidii Metamorph. lib. VIII, 553, legit, « jugis avulsa supernis ». Ad *rotans* conf. v. 432.

1167. *Celeri trahit agmine silvas.* Hæc descripta rapiditas Tigridis additamentum est Avieni, qui dare se talibus descriptionibus libenter solet, et fortasse respexit Ovidianam, Met. VIII, 550 seqq. *Rapidus* Tigris audit Horatio, Carm. IV, 14, 46, et Lucano, III, 256, et Dionysio, vs. 983, ποταμῶν ὤκιστος ἁπάντων. Solinus, cap. 37: « Primo pigre fluit, non cum suo nomine; at quum fines Medorum invectus est, Tigris statim dicitur; ita enim nominant Medi sagittam ». Vid. Strab. XVI, p. 1082. W.

1168. *Quin et vasta palus.* Tigris primo quidem Arethusam lacum transvectus, occurrente Tauro monte specu mergitur, et rursus erumpit. Lacum deinde Thospitin transit, et in cuniculos mersus post xxv millia pass. redditur. Ed.

1169. Pithœus cum Ven. et Cusp. versum mancum exhibent: *Maximus hanc fluctu Tigris intrat, aperti Terga lacus.* Camers ad Prisc. 911

Terga lacus, stupet unda silens, tacitæque recumbunt
Æquora Thospitis; solidarum denique more 1171

implet *Maximus hanc amnis fluctu Tigris intrat aperti*. Vadianus sic : *Maximus hanc fluctu Tigris secat : intrat aperti Terga lacus :* quocum plane convenit Cœlius in adnott. ad Dionys. Heinsius ad Ovid. Met. XIII, 903 rescribit *Tigris insecat*, idque ait se ex vetusto codice revocasse. Sed mihi non videtur Avienus, qui paullo ante *Tigris* prima longa posuerat, hic primam corripuisse. Itaque si Heinsius *insecat* in suo codice vidit, potius lectio *Tigris secat*, quam Vad. et Cœlius statuerunt, eo confirmari videtur. Hudsonus ait, se vocem *mox*, quæ in editis deerat, ex conjectura inseruisse, ediditque *Maximus hanc fluctu Tigris mox intrat :* Withofius conjecit *Tigris celer intrat*. Sed utraque lectio propterea non admittenda videtur, quod in ea verbum *intrat* separatur a sequentibus, quorum sensus, hoc retracto, non constat. Quid enim? *Unda silens stupet terga aperti lacus* qui dici potest? et quæ caussa stupescentis undæ esse potest, quod habeat *terga lacus aperti*, qualia sunt omnium lacuum? Sed nimirum hoc stupet unda, quod Tigris aperti terga lacus intrat, quemadmodum supra Noster v. 253 dixit mare Argo navem intrantem stupuisse : *Huc mirante salo*, etc. Igitur tuenda lectio et distinctio est, quam Vadianus, Cœlius et Heinsius statuerunt, et nos in texto expressimus.

1170. *Tacitæque recumbunt* Pith. Huds. *taciteque* Cusp. Vad. *tacitæque residunt* vult Heins. ad Ovidii Met. XIII, v. 903, qui librum antiquum *recedunt* exhibere ait, nec tamen vulgatum *recumbunt* respuit, quod et Withofio magis placet.

1171. *Æquora Thospitis*. Hunc lacum Arethusam vocat Plinius. Influit, inquit, Arethusam omnia illata pondera sustinentem. Strabo *Thopitin* et *Arsanam*. Sed alius est Plinio *Thospitis*. Ptolemæus in Armenia majore tria ponit stagna, Lycintin, Arsissam et Thospitin ab urbe Thospia. Sed quum in excuso legeretur *Thosippes*, atque hæc vox ad Thospitin magis accederet, *Thospitin* adposuimus. Dionysio *Thomitis* dicitur, nisi vitium in exemplari est. Oazel. in collat. MS. Duos lacus pertransit Tigris : alterum in Armenia majore haud longe a fontibus suis, quem *Arethusam* vocari Plinius ait : alterum ab exitu Tauri, qui *Thospites* adpellatur. Antiqui geographi, qui in exitu Tauri fontes ejus ponunt, unius tantum lacus meminere, per quem transeat Tigris, atque hic est *Thospites*. In antiquis Plinii codicibus vocatur *Tepitis*. Strabo cum Dionysio vocat Θωνῖτιν λίμνην. Avienus, qui Dionysium latina paraphrasi reddidit, *Thospitin* tamen vocat, non Thonitim : « tacitæque recumbunt Litora Thospitis ». Ita enim scribendum. Salmas. ad Sol. p. 488. W. — Idem tamen p. 490 citat « Æquora Thospitis », et hoc sequitur Wernsd. cum Huds. Cæterum cum Wernsd. sententia bene consentiunt quæ notavi supra vs. 1168. Ed. — *Æquora Thosippes* Pith. ex Ven. *Æquora Thomites* Cusp. *Thonites* Vad. et Cœlius, quod Dionysio quidem et Prisciano accommodatum est, nec tamen pro ge-

Riparum stagni facies incisa quiescit,
Invectumque sibi cohibens altrinsecus amnem
Stat disclusa palus. Sic Elidis incola pontum
Dissicit Alpheus: pelago sic inserit undas
Illæsum optatæ flumen ducens Arethusæ.

nitivo positum sic recte se habere videtur.

1172. *Solidarum denique more Riparum stagni facies incisa quiescit.* Paribus verbis scissum mare Rubrum, Hebræis transeuntibus, describit Prudentius, Cathem. V, 65: « Præbent rupta locum stagna viantibus, Riparum in faciem pervia: sistitur Circumstans vitreis unda liquoribus, Dum plebs sub bifido permeat æquore ». W. — *Facies inscia * quiescit* Ven. et Pith. *in scissa quiescit* corrigendi consilio scripsisse videtur Cuspin. sed melius Vad. *incisa*, h. e. *divisa*, sicut et codex Msptus bibliothecæ Ambr. habuit, et Cœlius olim legit, et Hudsonus edidit, et Withofius conjecit. Sic Noster supra v. 336: « Hic qua secretis incidit flexibus agros »; et v. 964: « cyanei qui dissicit æquora Ponti ». Heinsius quidem ad Ovid. XIII, 903, quia cod. Ambr. *incisa* habet, inde corrigit *facies inclusa quiescit*, sed nec omnino damnat *incisa*. Denique cod. Ortel. *intacta quiescit*, quod vix aptum videri potest.

1173. *Altrinsecus omnes* Pith. Et vulgo *amnes*, inquit Hudsonus, quæ lectio si vera esset, tum legendum *invectosque*. Sed dudum Cusp. et Vad. scripserunt *amnem*.

1174. *Incola Elidis* Alpheus fere hoc versu in eum modum dicitur, quo Tibris *cultor Latii* apud Grat. Cyneg. v. 38. W.

1175. *Dissicit Alpheus.* De Alpheo Elidis fluvio, quem supra vs. 570 *sacrum* vocabat Noster, et quem ferebant transire per mare, et in Sicilia fonti Arethusæ misceri, locum insignem Senecæ protulimus ad fragmentum Lucilii Jun. (hujus op. nost. t. III, part. I, p. 206. Ed.) Et ab aliis Alpheus cum fluviis similis naturæ, sigillatim Tigri, confertur, ut a Plin. lib. II, cap. 103. Conf. Virg. Æn. III, 694: « Alpheum fama est, etc. » W. — *Disjicit* habent edd. Pithœi secunda Lugd. et Madrit. quod est ex intempestiva correctione priscæ scripturæ. Nam *Dissicit* præferunt Cusp. Vad. prior Pith. ed. Paris. quos sequitur Hudsonus. Id verbum jam pluribus Avieno vindicavimus ad vs. 925 et 964.

1176. *Illæsum flumen*, h. e. salsa maris unda non temeratum, *optatæ ducens Arethusæ*, h. e. adducens vel trahens quasi amantem in optatæ amplexum Arethusæ. Nempe amores Alphei et Arethusæ fingebant. Quomodo Ovid. Am. III, 6, 29: « Quid? non Alpheon diversis currere terris Virginis Arcadiæ certus adegit amor? » Illustret amplius Statius, Silv. I, 2, 203: « Tumidæ sic transfuga Pisæ Amnis in externos longe flammatus amores, Flumina demerso trahit intemerata canali, etc. » Et Amm. Marcellinus, lib. XV, cap. 4, p. 81: « Alpheus oriens in Arcadia, cupidine fontis Arethusæ captus, scindens Ionium mare, ut fabulæ ferunt, ad usque

Ergo per et stagnum vehitur celer amnis apertum,
Hoc elapsus item vim proni gurgitis urget.
Non alium tantus rapit impetus; haud ita quisquam
Spumescit fluctus, neque tantos ulla fragores
Unda ciet. Medio quæ tellus funditur agro,
Hoc Interamnis nomen tenet; ut situs illam
Flumine præcinctam gemino per aperta locavit.

amatæ confinia progreditur ». Marcellinus ibi Alpheum comparat cum Rheno lacum Brigantinum permeante. W.

1177. *Ergo per et stagno vehitur celer amnis aperto:* sic Ven. et Cusp. cum cod. Ortel. sed *stagnum apertum* corrigit Camers ad Prisc. 911 et 916, idemque dederunt Vadian. Pith. et reliqui.

1179. *Non alium tantus rapit impetus.* Similia de mari Ægæo Noster supra v. 191. W.

1180. *Neque tentos ulla fragores* Cusp. et edit. Pith. prior: *tantos* corrigit Camers ad Prisc. 916: et sic Vad. et edit. Pith. Lugd. cum reliquis.

1181. *Unda ciet medio quæ tellus funditur agro.* Sic absque distinctione scribunt Cusp. et Pith. sed Vad. jam distinxit *Unda ciet. Medio quæ*, etc.

1182. *Hos inter amnis nomen tenet: nut suus illam:* sic Ven. et qua priora verba conspirat Cusp. *Hæc inter amnes* cod. Ort. Mutavit Camers ad Prisc. 916, et Vadian. *Hos amnes inter nomen tenet, ut situs illam.* Salmas. ad Sol. pag. 492 parum a Vadiano discedit, legens *Hos amnes inter nomen tenet; at situs illam:* addit rationem, quod vulgatam *Hos inter amnis* versus respuat. Edidit lectionem Salmasii Hudsonus, et sic explicat: «Tellus, quæ medio agro hos inter amnes funditur, inde nomen tenet ». Withofius similiter conjecit, vel *Hos inter latices nomen tenet, ut situs illam.* At male docti viri hoc loco antiquam scripturam deserunt, neque vident, Avienum vitii admittendi veniam sibi sumere maluisse, quam nomen, quod Mesopotamiam exprimeret, corrumpere. Et Schraderus in sch. probavit *Hoc Inter amnis nomen tenet.* Major variatio est in sequentibus: *aut suus illam* Ven. et Pith. *aut sinus illam* Cusp. *ut situs illam* Camers et Vad. *at suus illam* Madr. *at situs illam* Salmas. Notabilis præterea est lectio cod. Ortel. *nam Deus illam*, cui Ortelius ipse adscripsit *recte:* neque tamen eam versus admittit. Ingeniosa etiam Schraderi, qui in schedis notavit: *hoc Syrus illam Flumine præcinctam gemino per aperta vocavit;* confertque versum 245: «Scytha late barbarus oras Incolit, et matrem Ponti cognominat illam ». Sed hujus conjecturæ neque in scriptura antiqua, neque in Dionysio magnum præsidium, atque etiam hoc impeditur, quod verba *per aperta* ei non bene conveniunt. Consideratis omnibus planissima mihi lectio videtur, quam antiquæ Venetæ et priorum correctorum scriptura offert: «Hoc Interamnis nomen tenet, ut situs illam, etc.»

Non qui lanatum longo pecus educat agro,
Aut qui cornigeri ductor gregis arva pererrat,
Gramina qui pastor simis petit apta capellis,
Quique cavo solers committit semina sulco,
Quem Pomona juvat, quem ramis æsculus altis
Inlicit, et pingui dependens subere glando;
Brachia Nysæi qui palmitis ordine justo

1184. *Non qui lanatum*, etc. Describuntur tria genera pastorum, opilio, bubulcus et caprarius. Camers ad Priscian. vs. 916 scribit : « Quod ait Avienus *Non qui lanatum*, etc. longum hyperbaton est : *Ductor qui educat lanatum pecus longo agro... non spreverit hos saltus*, etc. » quasi sola hæc verba *Non qui lanatum*, ad vers. 1193 recurrant, cætera, quæ pluribus versibus intercedunt, temere et importune inserantur». Sed longa et continua hæc est enarratio pastorum omnis generis, agricolarum, olitorum, vinitorum, fabrorum et artificum, ad versum usque 1193, quos omnes dicit his in regionibus proventus terræ, fructus et materiam suis usibus aptam invenire; hoc est, terram hanc per omnia esse feracissimam, quod et infra subjicit : « nihil indigna subtrahit ora ». W.

1186. Cuspin. vitiose habet *qui pastor sinus petit*, quod jam Camers ad Prisc. 916 correxit *simis petit apta capellis*.

1187. *Quique cavo solers* omnes edd. at Heinsius ad Ovid. Fast. I, 351, ex veteri libro Mediol. *gravi sulco* scribit, hoc est, *gravido* : quæ lectio mihi parum probatur : nam cui sulco primum committuntur semina, is *gravis* dici non potest, at *cavus* potest, id est, effossus, apertus; quod ab ipso Avieno confirmatur, qui supra v. 808 *cavi metalli venam* pari ratione dixit.

1189. *Subere glando* omnes edd. Camers tamen ad Prisc. 916 vult *subere glandis*, citatque Servium ad hoc Virgilii, Georg. IV, 81 : « Nec de concussa tantum pluit ilice glandis ». Sed Servius ibi nihil aliud, quam : « Erit nominativus hæc glans ». Itaque genitivum habet *glandis*, quem nescio quomodo intrudere Camers versui Avieni possit. Vadianus etiam *glandes* posuit, quod minime aptum, nisi *pendentes* scribatur. *Glando* pro *glans* singularis forma est Avieno usitata. Vid. vs. 285. Pro *subere* Witbofius legebat *ubere*, nullo, ut puto, commodo. Friesemannus V. C. monet, legi etiam : « Ilicis e pingui pendentes robore glandes » : sed qui ita legerit, nondum inveni. Et certe non optima emendatio est. *Subere* simpliciter accipiendum videtur de ilice : nam quod proprie ita dicitur genus, *glandem pessimam* habet, ut scribit Plinius, XVI, 7.

1190. *Brachia Nysæi palmitis* sunt vites, et describitur vinitor, qui stirpes justo ordine et rectis viarum lineis disponit. Virgil. Ecl. I, 74 : « Insere nunc, Melibœe, piros, pone ordine vites ». Et plenius eum ordinem describit Georg. II, 277 seq. Conf. vs. 500. W. — *Nisei*

Digerit, aut tectis si quis dolat impiger ornos,
Vel salis in fluctus qui cymbam navita texit,
Spreverit hos saltus: nihil indiga subtrahit ora:

Cusp. *Nisæi* Pith. ed. Lugd. *Nysæi* Pith. ed. Paris. *Nyssæi* Huds.

1191. *Tectis dolat ornos*, i. e. ut tecta fiant, vel ad tecta construenda. Sic loquuntur tali in re. Virgil. Æn. I, 425: « Pars optare locum tecto »: item: « hic alta theatris Fundamenta locant ». W. — Sed latine quoque dicitur *dolare tecta de ornis*; ut Anthol. Lat. lib. VI, epigr. 64, vs. 9: « me fuste de rudi vilem Manus sine arte rusticæ dolaverunt », sic Scaligero et Grævio corrigentibus. Ibid. ep. 10: « lignum rude villicus dolavit ». Et apud Mart. VI, Ep. 49: « Non sum de fragili dolatus ulmo ». Ed.—Pro *tectis si quis dolat* lectionem nescio cujus adducit Friesem. *sectas si quis dolat impiger ornos*, qua sane sententia auctoris corrumpitur. Nam hic tectorum pariter, ac navium constructionem significare vult.

1192. *In fluctus qui cymbam navita texit*: sic Cusp. Vad. Pith. utraque ed. Corrupit hunc locum Hudsonus, dum pro *texit* reposuit *rexit*, nullo, vel saltem parum idoneo sensu. Dicit auctor, in his saltibus materiei satis esse ei, qui domum ædificare, vel navem fabricare et struere velit. Ab initio satis longæ periodi constat sibi in præsenti tempore. *Texere* autem cum compositis proprium in hac re vocabulum esse, tam apud historicos, quam poetas, sæpissime ostenderunt viri docti. Ipse Avienus, Ora mar. vs. 103: « Non hi carinas quippe pinu texere Fecere morem »; et v. 378: « Ut planiore texerent fundo rates ». *In fluctus* vero significat *ad navigandum*; quomodo apud Lucan. lib. I, 306: « In classem cadit omne nemus »; ubi vid. Oudendorp. uti ad lib. X, 492: « Junctis in bella carinis ». Oudend. in Obs. Misc. vol. V, tom. II, p. 169. Talis est locutio in Petron. Troj. Hal. vs. 5: « scissa in molem cadunt Robora ». Vide notata ad hunc locum (hujus op. nostr. t. III, p. 648 seqq. Ed.) W. Supra quidem Noster versu 515: « Graiæ rexerunt lintea cymbæ ». Sed ibi de navigatione sermo est, hic de constructione navis, quæ *texitur in fluctus salis*, h. e. ad perrumpendos fluctus maris. Et *texit* ipso usu Avieni comprobatur, qui Or. mar. vs. 103: « Non hi carinas quippe pinu texere Acereve norunt ».

1193. *Si ierit hos saltus*. Hudsonus e conjectura rescripsit *Si adjerit*, pro *Si ierit*, durissime profecto, et cui similem synecphonesin non facile reperias. Puto simpliciter legendum esse *si terit hos saltus*. Quod verbum non solum istis fabris bene convenit, sed etiam illis, de quibus agit, pastoribus, agrestibus, vinitoribus et cæteris, qui vel in saltibus degunt, vel inde utilitatem percipiunt. Non enim tantum *terere viam, iter*, etc. dici, sed et *terere* locum quemvis, in quo crebro versamur, obvium est. Ovid. Am. III, 6, 53: « Quid nostras teris anxia ripas? » ex Pont. III, 1, 8: « Pontica tellus, Finitimus rapido quam terit hostis equo ». Lucan. II, 440: « Quod non terat hoste vacantes Hesperiæ fines ». Martial. X, 10: « Mane salutator limina mille teras », et alii.

Dives humo tellus, dives jacet arbore cespes.
Istius in Borean quidquid protenditur agri,
Armenii et vita duri sulcant Matieni.
  Qua sunt flabra Noti, Babylon subducitur arce
Procera in nubes: hanc prima Semiramis urbem

Noster etiam v. 1259: « Mæoniam bello trivere cruento ». OUDEND. l. l. — Hudsoni quoque conjecturam reprehendit Schrad. in præfat. ad Emend. p. 31, et Observ. lib. I, p. 38. ED.—Sed falsus est Oudend. et emendationem ejus ipsa constructio et consequutio periodi repudiat. Pith. hunc vs. cum lacuna et vitio edidit *Sj* ierit hos saltus: nihil indigna subtrahit ora*, qui nescio quem codicem ante oculos habuerit: nam prima Veneta hic manifeste et vere exhibet *Spreverit hos saltus, nihil indiga subtrahit ora*, quod Schrad. pro correctione ponit, præfat. Emend. pag. 31, et Observ. I, p. 38, et sic Higtium etiam conjecisse memorat, nec tamen, quod miror, Venetæ auctoritatem adlegat. Probat vero ejus veritatem ex ipsis verbis Dionysii, vs. 994: Οὐ μέν τοι κείνης γε νομοὺς ὠνόσσατο βούτης, κ. τ. λ. Sic cod. Ortel. habet, sic etiam Cuspin. et Vad. scribunt. Et ignorari tamen hæc antiqua lectio a recentibus interpretibus adeo potuit, ut corruptam Pithœanæ aliter atque aliter sanare studerent. Fere commodius quam alii emendabat Withofius *Præterit*. Cohæret enim, inquit, præcedentibus: Non hos saltus quisquam prætcrit, seu sit pastor, seu agricola.—*N. i. s. ora. Indiga* sterilis et egens, sicut *prodiga* fertilis. Supra vs. 360: « Prodigus herbarum cespes jacet ». Subtrahit, pro quo alii *negat*. Virg. Æn. III, 142: « Arebant herbæ, et victum seges ægra negabat ». De Ægypto Lucan. VIII, 446: « Terra suis contenta bonis, nihil indiga mercis ». W.

1194. *Dives humo tellus.* Fortassis hæc expressa ex isto Virgil. Georg. II, 460: « Fundit humo facilem victum justissima tellus », ubi bene monet Heynius V. C. nostro etiam Avieni loco adducto, *humo* distinctum significatum habere, idemque esse ac *ex solo, e culta sua superficie;* nec *humum* ex sermonis proprietate umquam pro terrarum orbe poni, sed sive ad frugum culturam, ut hic, sive ad humationem corporum fere referri solere. Ergo Avieno *humus* h. l. est solum cultum et frugiferum, quemadmodum *solo* in vs. 72 accipiebat Barthius, sed perperam. Ad *dives jacet arbore* conf. v. 360. Summam fertilitatem terræ Interamnæ laudat Curt. l. V, c. 1, 12: « Inter Tigrim et Euphratem jacentia uberi et pingui solo sunt, ut a pastu repelli pecora dicantur, ne satietas perimat. Caussa fertilitatis est humor, qui ex utroque amne manat, toto fere solo propter venas aquarum resudante ». Inprimis conferendus Strabo, lib. XVI, p. 1077 seq. W.

1198 *Hanc prisca Semiramis urbem.* Murorum Babylonis a Semiramide structorum firmitatem et magnitudinem passim alii laudant poetæ, ut Propert. III, 9, 21 seq. Ovid. Met. IV, 58; Martial. IX, ep. 76. Ex historicis videri potest

Vallavit muris, quos non absumere flammæ,
Non aries penetrare queat: stat maxima Beli
Aula quoque argento, domus Indo dente nitescit,
Aurum tecta operit, sola late contegit aurum.
Ipsa dehinc tellus, quæ circumplectitur urbem,
Et procerarum fluctu vernat palmarum,

Herod. I, 184; Strab. XVI, sub init. p. 1071; Diod. Sic. II, 7; Curt. V, 1, 24; Justin. I, 2, 7. Hygin. cap. 223. W.

1199. *Absumere flammæ* omnes edd. Hudsonus tamen monet, *flammis* edidisse Pithœum, quod falsum esse duæ ejus editiones probant, nisi in tertia Genevensi sic exstat, quæ non ad manus est.

1200. *Non aries penetrare queat:* sic omnes edd. Schraderus in sch. aliquando conjecit *terebrare*, quod infirmius verbum est, ad vim arietis significandam.—*Stat m. B. Aula. Regiam Beli* vocat Curtius, V, 1, 24. Sed et templum Beli intelligi potest, quod Plinius, VI, 26, refert suo tempore adhuc durasse. Nam et *regna* vocantur templa et sedes Deorum. Lucan. V, 81: «quum regna Themis tripodasque teneret». Silius, III, 666: «lucos, nemorosaque regna Cornigeri Jovis, et fulgentia templa subimus». Martial. lib. IX, 65: «Qua Triviæ nemorosa petit dum regna viator». W. — Porro *maxima belli Aula* vitiose scribunt omnes antiquæ, nec Camers aut Vadianus hic quidquam ulceris animadvertit. Sed dubium non est, *Beli aula* legendum esse, quod docuit Heins. Adv. III, 4, p. 426, sequutus est Hudsonus, pluresque alii hunc locum Avieni adtingentes. Cæterum sic forte distinguas: «stat maxima Beli Aula quoque, argento domus Indo et dente nitescit».

1201. *Aula stat argento*, i. e. fulta, nixa, instructa est: plane ut supra Noster v. 378 de templo Serapidis: «Templa Sinopæi Jovis adstant... Auro fulta gravi, niveo radiantia dente». Similiter Petronius in carmine de muliere formosa (quod dedimus hujus operis tomo III, p. 309. Ed.), v. 7: «Argento stat facta manus». *Stare* pro *esse* sæpius poetæ. Horat. Carm. I, 16, 19: «et altis urbibus ultimæ Stetere caussæ, cur perirent Funditus». W. — *Indo dente.* Conf. vs. 1326. Ed. — *Mitescit.* vitiose exstat in duabus editt. Pith. sed *nitescit* dudum ediderunt Cusp. et Vad.

1204. *Procerarum fluctu vernat palmarum.* Reposuit Anglus editor *fructu*. Video me olim libri oræ adlevisse *luxu*, sive luxurie, quæ proprie dicitur de large crescentibus ramis et palmitibus. At vero nihil mutandum est. *Fluctum palmarum* eleganter vocat copiosam et exundantem palmarum frondem, quavis aura se moventem, fluctuantemque. Consule omnino Cerdam ad Virg. Georg. II, 370: «Ramos compesce fluentes»; et v. 437: «undantem buxo spectare Cytorum». Adde N. Heinsium ad Claud. in Eutrop. II, vs. 271: «glaucos fluctus adtollit olivæ»: ubi hunc ipsum locum, ut editur, citat; sed in Epi-

Et splendente procul beryllo ferta renidet.
Hic tamen internis Ophietidis arcis in arvis

thal. Hon. vs. 88, habet *surgit* pro *vernat*, memoriæ vitio, an e codice Ambrosiano, quem laudat, incertum. At sine dubio male. Ut frequenter poetæ *vernare humum*, *arbores*, etc. dicunt, sic etiam Avien. v. 1331: « Et vernat nemorum semper coma ». Oudend. in Obss. Misc. vol. V, t. II, 171. *Fluctu palmarum* Poeta copiam et luxuriam earum designare vult, quia confertim denseque consitæ, ubi aura moventur superne ramis fluentibus, fluctuantis undæ speciem referunt, quomodo *undare*, *fluctuare seges* dicitur, Senec. Herc. v. 699, et *tellus ære renidenti fluctuare*, quæ armis virisque passim se moventibus impleta est, Virgil. Georg. II, 281, ubi vid. Heynius. Cæterum ratio, cur pro ubertate terræ Babylonicæ demonstranda palmarum maxime mentio fiat, e Strabone potest intelligi, qui libro XVI, p. 1078 memorat, palmarum copiam maximas divitias incolarum esse: ex iis panem et vinum, et acetum et mel et farinam fieri, et textilia varia: nucleis pro carbonibus fabros ferrarios uti; eosdem in aqua maceratos bobus et ovibus in pabulum dari. W.—*Procer. fluctu vernat:* sic omnes antiquæ edd. sed Camers ad Prisc. 939, et postea Hudsonus *fructu* reposuerunt. Sed *fluctu* valide tuetur Oud. cujus loc. supra adducimus. Pro usu ejus vocabuli inprimis pugnat Claudianus, licet ei subinde librarii, ut hic Avieno, verbum usitatius *fructu* substituere sategerint. In Claudian. loco supra citato, Heinsius e Manuscriptis restituit: *glaucæ fluctus adtollit olivæ*, ubi vulgata *fructus*. Illud vero firmatur ejusdem alio loco Epist. 2 ad Ser. v. 40: « Fluctuet et glauca pinguis oliva coma ». Idem Cons. Mall. v. 63: « Ingenii redeunt fluctus, aliique labores », ubi et alii legunt *fructus*, sed Heinsius ex octo MSS *fluctus* reduxit. Igitur auctoritate, quæ maxima esse debet, coævi poetæ *fluctus* etiam Avieno relinquamus, cui præterea favet adjectum verbum *vernat*. Nam vernare gramina et arbores frondibus, floribus dicuntur, non fructibus.

1205. *Beryllo ferta renidet* Ven. Cusp. Pith. *terra renidet* Camers ad Prisc. 939: *farta* dedit Vad. *fulta renidet* legit Oddius. Sed *terra* Camertis fere otiosa est, quia jam præcessit *tellus*. Reliquæ emendationes non magis placent. Teneamus igitur antiquum *ferta*, licet rarius: nisi quis malit *beryllo inserta* scribere, quia beryllus lapis marmori inclusus vel insertus dicitur inveniri. *Feta* Heins. in Claud. p. 229 non inepte. — Sed lapis iste infra vs. 1310 ab Avieno dicitur exundanti flumine inter arenas deferri, et hoc confirmat auctor Eleg. de obitu Mæcenatis, vs. 19, ubi vide adnotata, huj. operis tom. II, pag. 212. Ed.

1206. *Ophietidis*. Collis est, in cujus vertice nascitur beryllus: auctor Dionysius. Ortel. — Hæc Ortelii sententia superiore nota et versu subsequenti abunde refellitur. Ed. — Salmasius in Exercit. Plinianis, pag. 241 incusat Avienum, quod ὀφιῆτιδα πέτρην Dionysii loci nomen esse putavit, ut Priscianus quoque, et *arcem Ophie-*

Inter gemmiferas excrescit creber arenas.
Hinc Babylona super, geminæ pro finibus Ursæ,
Cissi Messabatæque et Chalonita vagantur.
At rursum Armeniæ si quis pede pergat ab arce
Rupis, et Eoas gressum producat in oras,
Medica prolixos spectabit regna per agros.
Horum qui gelidi succedunt plaustra Bootis,
Pinguia rura tenent: sunt illic Atropateni,
Sunt Geli et Mardi. Tepidum qui rursus ad Austrum
Oram habitant, Scythicæ deducunt semina gentis.
Nam Medea ferox fuit ollis sanguinis auctor.
Hæc quum Pandionis letum componèret aulæ,

tida vertit. Nam ophiteu lapidem intelligi, et Dionysium velle, intra eum lapidem beryllum reperiri. Ὀφιήτης ex ejus sententia poetice dicitur pro ὀφίτης, qui nomen habet e serpentinm maculis, ut πολιήτης pro πολίτης. W.

1209. *Cussi Marragatæque et Machiouta vagnntur* Ven. *et Chalonita vagantur* Pith. *Cissi Massabeteque et Chalonita* Cusp. *Messabatæ* Camers ad Prisc. 939. Hinc *Cissi Messabateque et Chalonita* Vad. et Hudson. sed Schraderus in sch. vult græco accommodatius scribere *Cissi Messabatæque Chalonitæque vagantur.*

1211. *Producit in oras* Cusp. rectius Vad. et Pith. *producat*, cum reliquis.

1212. *Spectabis* Cusp. et Pith. *spectabit* Vad. et Huds. cum codice Ortel.

1214. *Sunt illic Atropateni.* Atropatiæ, quæ Mediæ pars est, meminit Strabo et Plin. Ortel. — *Agropiceni* Ven. *Acrapateni* Cusp. *Atrapateni* Vad. *Atropateni* Pith. secundum Dion.

1215. *Sunt Gerri et Mardæ* Ven. Pith. et Hudson. *Geli et Mardi* Cuspinian. *Gerri et Mardi* Vad. et sic etiam legendum censet Hudson. *Gerrhi* quidem ex quibusdam Msptis Dionysii legitur, sed *Geli* rectius, quod Priscianus expressit. Igitur Cuspinianum sequor.

1217. *Medea ferox fuit ollis sanguinis auctor.* Per Medum filium, quem alii ex Ægæo, Athenarum rege, alii e quodam Asiæ rege susceptum, post in Medis regnasse ferunt. Diodor. Sic. lib. IV, p. 258, ed. Rhod. Justin. XLII, 2, 12. Alii Achæmenem Medeæ ex Ægæo filium, alii Persen fuisse tradunt, a quibus Persici reges orti. Videatur Salmas. ad Sol. p. 833. Medos olim Arios vocatos, sed ubi Medea ex Athenis ad eos concessit, ipsos nomen suum immutasse tradit Herod. VII, 62. W.

1218. *Hæc quum Pandionis letum componeret aulæ.* Quemadmodum Medea Theseum venenato poculo aggressa sit, meminit Ovidius, Metam. lib. VII. Ortel. — Rectissime Ortelius verba Avieni ad Theseum, Ægæi regis Athenarum

Attica qua pulchro tellus pinguescit Ilisso,

filium, refert, qui adhuc adolescens, opera Medeæ novercæ, pæne veneno periit. Narrat Ovid. Met. VII, 404 seqq. et Plutarch. in Theseo, c. 12. Alios auctores hanc in rem citat Heynius V. C. not. ad Apollod. lib. I, cap. 9, pag. 234. Videtur quidem Avienus fabulam, quam Dionysius respicit, non satis cepisse, aliter paullo expressius de re loquutus esset; at qui Avienum e fabula tritissima de regia Creontis, magicis Medeæ artibus cremata, interpretari voluerunt, ipsius Avieni verba non satis inspexerunt. Versus Avieni hunc Dionysii 1024 reddit: Φάρμακ' ἐμήσατο λυγρὰ γόνῳ Πανδιονίδαο. Venena a Medea comparata esse dicit, hinc in Avieno legendum *letum componeret*: filium Pandionidæ nominat; atque is est Theseus, filius Ægei, qui erat Pandionis. Avienus, qui tantum *Pandionis aulam* nominat, rem obscurius significavit. *Proditam* demum Medeam Ovidius et Plutarchus clarius exponunt, quum memorant, patrem Ægeum, quum Theseo ignarus poculum venenatum porrexisset, e signo, quod in capulo gladii ejus erat, cognovisse filium suum. *Fugam* denique celerem Medeæ subjungit Ovidius, vs. 425: « Effugit illa necem, nebulis per carmina motis ». Justinus, lib. II, cap. 6, simplicius memorat, Medeam per divortium ab Ægæo discessisse, propter adultam privigni ætatem, et Colchos cum Medio filio, ex Ægæo suscepto, concessisse. W. — *Letum componeret aulæ. Letum componere* Avieno idem est, ac quod Ovidio *letum moliri*, vel *parare*, Met. IV, 461; Ib. v. 357, et aliis *comparare necem*. Eodem verbo Latini de similibus utuntur, ut *componere insidias, fraudes, mendacia*, cujus generis plura exempla produxit Brouckhus. ad Tib. I, 7. 4. W. — *Hæc quum Pandionis lectum componeret aulæ*: sic Pith. cum Ven. *lætum componeret aulæ* Cusp. melius *letum componeret aulæ* Vad. *lethum* cod. Ort. Ut Pithœus, edidit Hudson. sed distinguit post *componeret*, et *aulæ* cum sequente *Proditur* conjungit. Idem vero in notis conjicit: *quum Pandionis tectum combureret aulæ, Attica*, etc. *Proditur, inque fugam propere quum vertitur exsul*: nisi quis hoc modo malit: *Hæc dum Pandionis lectum componeret, aulæ, Attica*, etc. *Proditur, inque fugam propere convertitur exsul.* Præterea Oddius: *Pandionis lectum componeret aula*, et quærit: An *Pandionis lethum componeret aulæ?* Janus Vlitius ad Nemes. Cyn. 43 idem illud, quod Hudsonus priore loco, conjecit, *tectum combureret*, etc. Addit idem alteram conj. *letum componeret aulæ*. Denique Heinsius ad Ovid. Her. VI, 103 sic legit: « Hæc Pandionia sedem quum poneret aula »; atque sic quidem metro succurrit, quod *Paudion* et *Pandionius* apud antiquos poetas, ipsumque Dionysium, habet, et Avienus mutavit, ipsius vero loci sententiæ minime consulit. Nam quæ hæc est consecutio: Quum Medea sedem poneret in aula Pandionia, proditur illa? Quod enim prodita esse dicitur et in fugam conversa, hoc docet, de scelere aliquo Medeæ sermonem esse. Hanc ob caussam neque illi audiendi, qui *lectum componeret aula* legunt: nullum enim hic maleficium. Alii vero, qui cum Vlitio

Proditur, inque fugam propere convertitur exsul.
Has post in terras pinu subit Æetine,
Inseditque locos: veteres accedere Colchos
Nulla inerat menti fiducia; denique ab illa
Medorum suboli magicæ furor artis inhæret.
Pars gentis, rutilos Phœbi quæ spectat in ortus,
Saxa habitat, saxis excudit narcissiten:
Qui propter dumos numerosaque rura vagantur,
In pecus intenti, crebro grege pascua tondent.
Medica se tantos effundit gleba per agros,

tectum combureret emendant, atque adeo ad seclus, Nemesiano commemoratum, Glauces, Jasoni nuptæ, missis venenatis muneribus cum tota regia combustæ, respici putant; hi non reputant, nostro loco *aulam Paudionis*, regis Athenarum, nominari, et regiam, quæ Medeæ scelere conflagravit, fuisse Creontis, regis Corinthiorum. Itaque verissima ea lectio, quæ et priscarum editionum Cusp. et Vad. item cod. Ortel. suffragio munita est, videtur, quæ *letum componeret aulæ* exhibet, atque ad veneficium Medeæ in aula Ægæi, Athenarum regis, tentatum respicit.

1220. *Propere convertitur* omnes antiquæ: neque melius agunt, qui *quum vertitur* legentes, hæc sequentibus adnectunt.

1221. *Has post in terras pinis subivit Etine* Ven. *pingues subit Ectine* Cusp. et Vadian. *pinu subivit Etine* Pith. *pinu subiit Ætine* Vossius ad Val. Flacc. VII, 183. *Pinu subit Æetine* legit Heins. ad Ovid. Her. VI, 103, et Munkerus ad Hygin. fab. 22: probavit Withof. et sic edidit Huds. quod rectum videtur, quia eamdem formam supra usurpavit Noster, vs. 657, quamquam turbat aliquantum cod. Ortel. qui habet *pinnis subivit Echydnæ*, quasi Medea draconibus vecta esset: sed *Echidnæ* vocabulum tali in caussa poetis insolitum. Legi etiam *Has posthinc terras*, notavit Friesem.

1222. Vadianus distinxit *Inseditque locos veteres, accedere Colchos*, etc. sed hoc male.

1223. *Denique ab illa*, h. e. ut nunc, quod præcipuum rei argumentum est, dicam, ab illa furor artis magicæ ad gentem Medorum pervenit. Vide notata ad vs. 136. W. — *Ab illo* legit Cusp. quod intelligi potest *ab illo tempore*, quo Medea in regiones eas venit.

1224. *Medorum suboli magicæ furor artis inhæret*. Ab Oriente et ex Perside præcipue magicarum artium originem ducit Plin. Hist. Nat. XXX, 1, et Zoroastrem earum inventorem dicit Justin. I, 1, 9, cum aliis. De oleo Medico diximus ad Priscian. v. 318. W.

1225. *Qua spectat in ortus* Ven. sed melius Cusp. Vad. et Hudson. *quæ spectat*.

1226. *Saxis excudit narcissiten*. Proprius quidem videri possit *excutit*; sed hæc Avieno fere permutantur. Vide infra ad vs. 1324. Ed.

Caspia ut extento contingat cespite claustra. 1230
Hæc Asiæ dixere fores, hiet ore quod illo
Porta quasi, et longas bivium discedat in oras.
Quippe nivosa poli qua cardine vertitur Arctos,
Panditur Hyrcanis hinc janua; janua Persis
Hinc patet, imbriferum qua vergit mundus in Austrum.
Ecce sub immenso portarum vertice Parthi 1236
Rura tenent, curvi nequidquam vomeris usu

1230. *Caspia ut extento contingat cespite claustra.* Caspia claustra, quæ alias Caspiæ portæ, sunt Tauri montis aperturæ, per quas transitus e Babylone et Perside ad mare Caspium est, de quibus Plin. lib. VI, cap. 14. Sic et alii poetæ nominant. Val. Flacc. V, vs. 125, de Amazonide: « Quum redit ingenti per Caspia claustra triumpho, Massageten Medumque trahens »; add. Lucan. VIII, 291. Statius, Silv. IV, 4, 64: « metuendaque portæ Limina Caspiacæ ». Priscianus *Caspiadas portas* vocat vs. 950. Dicunt poetæ *claustra* omnes angustias terra marive, quæ difficilem transitum faciunt. Sic *angusti claustra Pelori* Virgilio, Æn. III, 411; *claustra Pelusi* Propert. III, 7, 55; *claustrum pelagi Pharos insula* Lucan. X, 509. Plura exempla dabit Broukh. ad Propert. l. c. W.

1231. *Hiet ore quod illo.* Sic Lactant. Phœn. vs. 6: « cava vallis hiat »; apud Lucil. Jun. vs. 338: « Ætna Inprospectus hiat ». Noster supra vs. 201: « terraque parci Faucibus oris hiat ». W. — *Hiet ore quod illo* Cuspin. Vad. Pith. Heinsius ad Ovid. Her. XVII, 178, e codice veteri legit *hiat*, cui tamen *hiet*, ut melius obsequens verbum, præfert Withof.

1232. *Longas bivium discedat in oras.* Sic Maro, Æn. IX, 238, « bivium portæ » dixit, et Æn. XI, 516, « bivias obsidam milite fauces ». Statius, Theb. I, 609: « Portarum in bivio ». Alia similia congessit Heinsius ad Ovid. Her. XVII, 178. W. — Pithœus cum lacuna edidit *Porta quasi et longas * vium discedat in oras*. Sed dudum Cusp. et Vad. impleverunt *et longas bivium discedat in aras*, ubi *aras* errore typographi pro *oras*, quod reliqui habent, positum videtur. Similem lacunam habuit cod. Ott. *vium discidat*, ubi Schottus conjecit *discindat*, sed minus commode.

1233. *Quippe nivosa poli... Arctos.* Copiosius hanc describit supra vs. 451: « ubi dura sæpe sub Arcto Densa pruinosos eructant nubila nimbos »; et vs. 1052: « qua dat Cynosura pruinas ». W.

1237. *Curvi ne quidquam vomeris usus Sollicitanda sibi non ollis cura*, etc. sic Cusp. edidit. Vadianus, cui forte hæc non cohærere videbantur, scripsit *vomeris usus Sollicitandas ibi*. Distinxit membra Pith. et paullum immutans scripsit *ne quidquam vomeris usus, Sollicitanda cibi non ollis cura*. Hac distinctione forte inductus Schraderus in sch. *nequaquam* pro *nequidquam* conjecit, ut

Sollicitanda sibi; non ollis cura laborque,
Æquora terrarum gravibus componere rastris:
Exercent sævi se Martis semper in arma.
Sica comes lateri est, manus autem hastilia vibrat,

clarius ad sententiam. Sed quia Ven. et Cusp. edd. et cod. Ort. in lectione *Sollicitanda sibi* conveniunt, quam Vad. et Pith. diverso modo et temere mutarunt, hinc colligimus, verba ea potius referenda esse ad præcedens *Rura*, ut hic sensus auctoris sit: Parthi rura tenent, quæ sibi minime putant aratro sollicitanda. Hinc levi mutatione *vomeris usus* vertendum in *usu*, legendumque ut Hudsonus edidit, quem ipse sequor: neque pro sana et commoda correctione habendum est, quando in edit. Madrit. distinguitur *Sollicitanda, sibi non ollis cura.* Qui enim de ullo hominum genere adfirmari potest, nullam iis sibi curam esse?

1238. *Curvi vomeris usu Sollicitanda sibi.* Conf. v. 464. W. — Expressisse videtur Virg. Georg. II, 503: « Sollicitant alii remis freta cæca ». Ed. — *Laborve* maluit Odd. quod non video cur requiratur.

1239. *Gravibus componere rastris.* Hæc e raris et singularibus Avieni phrasibus videtur esse. Sed quia *componere* alias verbum cultus et curæ et ordinis est (vid. Eleg. IX v. 3, huj. op. t. II, p. 272, et Epith. Laurent. v. 37, t. III, p. 399. Ed.) hinc *æquor terræ componere* dici poterit, quando arando, sarriendo planum et aptum et habile frugibus ferendis redditur, et *rastra* more poetico pro omni adparatu et instrumento rustico ponuntur. — Sic etiam loquitur Ambrosius, Hexaem. I, cap. 8: « Erat incomposita (terra), quia nuda gignentium, nec toris herbosa riparum, nec opaca nemoribus, nec læta segetibus, etc. » Ed. — Fallor, an idem volebat Noster, quando supra vs. 663 *comptum solum* dicebat. Conf. notata ad Prisc. v. 180. W.

1040. *Exercent sævi se Martis in arma*, h. e. exercitiis campestribus præparant se bello. Tale est Carm. IX, 66 (huj. op. t. III, p. 354. Ed.) « Quum manus Argivûm victricia ludat in arma »; et quod Noster v. 1366: « Discursu prælud1t prælia Liber ». W. — Cusp. et Vad. sic ediderunt: *Exercent sævi se Martis semper in arma.* Pithœus transpositis verbis *Exercent sævi se semper Martis in arma.* Rursus aliter Huds. *Exercent semper sævi se Martis in arma.* Mutatio nullius momenti, quæ tamen oscitantiam editorum prodat. *In armis* maluit Oddius: sed vulgata melior.

1241. *Sica comes lateri est.* Comites etiam res dicuntur, quæ præsto sunt, et geruntur. Juvenal. VII, 107: « magno comites in fasce libelli ». Idem, I, 89: « neque enim loculis comitantibus itur Ad casum tabulæ ». Apul. Apol. pag. 288 edit. Elm. « Hercules neque una pelle vestitior, neque uno baculo comitatior fuit ». W. — *Sicca comes* Ven. et Cusp. habent, forte ex vitio librarii. Camers vero ad Prisc. 955 monet sic legendum: « Sica comes lateri est, manus aut hastilia vibrat », quomodo et Pith. et Huds. Atque in eum sensum versus sta-

Demittunt pharetras humeris, et letifer arcus
Semper inest lævæ: neque per compendia diras
Producunt animas; non puppibus æquora sulcant:
Non proni gregibus pecoris freta vita juvatur.
Sed quatit alipedum sola semper cursus equorum,
Pulsaque terra gemit: discurrunt crebra per auras
Spicula, missilibus late subtexitur aer.

tuere videntur: Parthi plerumque ad lædendum aut sicam gerunt, aut, ea si absit, manu hastilia vibrant. Sed Vadianus maluit edere *manus autem hastilia vibrat*, quod ipsum reponendum censet Schraderus, Obs. cap. 4, pag. 44, ubi simul monet, pluribus locis Avieni ita peccasse librarios, ut *aut* pro *autem* exararent. Eodem loco Hudsonum castigat, quod legere jusserit *haud hastilia vibrat*, ita Parthis imprudenter eripiens hastilia, quibus Dionysius illos instruxit vs. 1045. Utitur τῷ *autem* sæpius Avienus ad connexionem continuationemque rerum, ut vs. 265, 438, 780, et Or. mar. 162, 538.

1242. *Letifer arcus.* Tritum hoc et frequens epitheton arcus apud poetas, Virg. Æn. X, 69; Lucan. III, 50; Val. Flacc. IV, 524. W.

1243. *Neque per compendia diras Producunt animas.* Per compendia, i. e. per lucra e commerciis, e cultu agri et pastionibus capienda. Probat Tibulli locus, I, 3, vs. 39: « Nec vagus ignotis repetens compendia terris Presserat externa navita merce ratem ». Idem dicta compendiorum genera latius explicat I, 9, 7 seq. « Lucra petens habili tauros adjungit aratro... Lucra petituras freta per parentia ventis Ducunt instabiles sidera certa rates ». Conferri etiam potest insignis locus Manilii, lib. IV, v. 167-175. W.

1244. *Diras Producunt animas.* Tale est vs. 920: « animam traxere ferinam »; et vs. 1039: « secreto vitam protraxerat agro ». Sic plane Juven. XV, 93: « alimentis talibus olim Produxere animas ». W.

1245. *Non proin* pro *non proni* cod. Ortel. et Ven.

1246. *Sed quatit alipedum. Quatere* proprie de equitibus. Vid. not. ad 284. Equitationes et discursus equorum barbaris gentibus, inprimisque Parthis et Medis frequenter tribuunt poetæ. Lucan. II, vs. 49: « Achæmeniis decurrant Medica Susis Agmina »; et VIII, 324: « Alanos Passus Achæmeniis late decurrere campis ». Horat. Carm. I, 2 ult. « Neu sinas Medos equitare inultos Te duce, Cæsar ». Noster, vs. 1020: « impiger agros Incola decurrit »; et vs. 1301: « Hi quamquam steriles decurrant semper arenas ». W.

1247. *Pulsaque terra gemit.* Sic Statius, Theb. XII, 656, de exercitu Thesei: « Icta gemit tellus: « virides gravis ungula campos Mutat, etc. » W.

1248. *Crebra per auras Spicula, missilibus late subtexitur aer.* Merito cum his conferas Propert. II, 10, 1: « Non tot Achæmeniis armantur Susa sagittis, etc. » Lucan. VII,

Quin etiam post hos amor est si discere Persas
Consimilis, solersque trahit te cura per orbem;
Has quoque Musa tibi formabit carmine terras,
Quæ liquidos amnes via devehat, utque jugorum

519 : « ferro subtexitur æther, Noxque super campo telis conserta pependit ». Et Noster supra vs. 64 : « Pingue tenebrosa cælum subtexitur æthra ». W.

1249. *Quin in pnetos amor est si discere Persas* Ven. *Quin impactus amor* est si dicere Persas* Pith. Supplevit Hudsonus hiatum, sic versu instructo *Quin impactus amor superest si dicere Persas*, et Anonymus in Obs. Misc. vol. I, tom. III, p. 377, *discere Persas* mavult: cui refragatur editor Obss. et *impactum amorem* rejiciens, cum alio viro docto mavult scribere *Quin impacatos amor est si discere Persas*, quoniam et Noster vs. 863 Scythas vocet *impacatos*, et Maro, Georg. III, 403, « impacatos Iberos ». Hæc ipsa est observatio viri docti, quem Withofium esse suspicor, ad oram edit. Antverp. manu Schraderi notata; qui eam ipse lectionem probat Observ. pag. 43. Et favere ei quoque video cod. Ortel. cujus excerpta habeo. Sed quamvis ea ex Venetæ depravata scriptura *impactos* facile elici potuit, ego tamen probare prorsus non possum. Nam inepte hoc epitheton Persis adponi videtur, de quibus nihil deinceps memorat auctor, unde impacatos valde intelligas, quales ante Parthos descripsit. At lectio alia æque bene cum Venetæ scriptura convenit, quam Cusp. et Vad. prodiderunt: *Quin etiam post hos amor est si discere Persas.* Hæc lectio et Dionysio v. 1053 bene respondet, et Prisciano adeo, qui v. 959 : « Post hos est Persis, circumdata montibus altis ». Hanc igitur recepi.

1251. *Has quoque invisa tibi* Ven. vitiose : *formabit cardine terras* Pith. *narrabit carmine* Cusp. et Vad. Hinc *formabit carmine terras* edit. Madr. et Huds. quod rectum est. Sic enim loqui solet Noster. Vs. 386 : « Talis forma jacet Libyæ » ; vs. 817 : « Carmine nunc Asiam formet stylus » ; vs. 1045 : « Hinc solers Asiam facili cape carmine totam ; Forma sit hujus enim talis tibi ».

1252. *Quæ liquidos amnes via devehat.* Lucilius Jun. Ætnæ vs. 127 : « haud semita nulla profecto Fontibus, et rivis constat via ». W. — *Quæ liquidis amnis via debeat, utque jugorum Consurgnt vertex :* sic Pith. e Ven. *Quæ liquidis undis via debeat, atque jugorum Consurgat vertex* Cusp. Hæc corrupta Vadianus ex ingenio, ut videtur, emendavit : *Quæ liquidas undas via deferat, utque jugorum Qua surgat vertex.* Hudsonus edidit : *Quæ liquidos amnes via ducat, quaque jugorum Consurgat vertex.* Oddius malit : *Qua liquidos amnes via debeat, utque jugorum.* Sed proxime ad priscam Venetæ scripturam accedit, eoque maxime probabilis lectio est, quam Ortel. e veteri codice enotavit, præterea Withofius, et Schraderus in schedis proposuit : *Quæ liquidos amnes via devehat, utque jugorum Consurgat vertex.* Nam *devehat* idem est, quod *debeat*, propter frequentem in libris veteribus literæ *v* et *b*

Consurgat vertex, quibus oris arva recumbant
Barbara, famosum qui Persam roboret usus.
Quippe Asianarum primi degunt regionum.
Vita opulens genti, gazas quoque terra ministrat
Omnibus, et largum populis producitur ævum.

permutationem. Quin idem *devehat* probe convenit cum Dionysio, qui v. 1055: Καὶ πόρον ἀενάων ποταμῶν.

1253. *Utque jugorum Consurgat vertex*, h. e. quomodo hæc regio consurgentibus undique montibus inclusa sit, quod ipsum postea dicit vs. 1263. Hoc sensu constituto adparet, non necessarium fuisse, ut Vadianus et Hudsonus pro *utque* intrudendum *qua* vel *quaque* putarent. Vid. var. lect. *Consurgere* et similia verba Avienus de multitudine, vel de pluribus usurpare solet, ut vs. 361 « Culmina consurgunt »; vs. 485: « Concrescunt Alpes ». W.—Addatur v. 1115: « concrescunt tura per agros ». *Surgere* autem ubique ap. Nostrum de montibus occurrit; cf. vs. 111, 450, et passim. Ed. — *Quibus auris* pro *oris* conj. Schrad. in sch. neque inepta hæc conjectura est, quia re ipsa deinceps auctor situm Persidis ad regionem ventorum describit, ut et alias sæpius. Vid. v. 736. Et Schraderum jam vidimus aliquo loco Prisciani, ubi *oras* perperam scripserant librarii, *auras* feliciter restituisse. Vid. not. nostr. ad Prisc. v. 569. Sed tamen hoc loco minus commode dici videtur *arva recumbunt auris*, et Avienus verbum *recumbere* de terris cum adjuncta earum proprietate usurpare solet, ut v. 1000: « Sed locuplete magis Mæandria gleba recumbit »; et v. 1111: « felici terra recumbit Tota solo ». Igitur nihil mutare audeo, et *oris* intelligo de finibus, quibus includitur Persia, quosque ipse auctor mox describit.

1254. Pro *Barbara* Schradero scribendum videbatur *Persica*: sed hoc nullo libri veteris indicio significatur, et Persica arva h. l. intelligi, sequens *Persam* statim declarat. Quin etiam *barbaros* a Romanis Persas eminenter et quasi proprie vocatos esse, e Curtio aliisque constat. Porro « Samosum qui Persam robur et usus » dedit Pith. e Ven. « famosum qui Persam robur et usus » Cusp. sed correxit Camers ad Prisc. 961: « famosum qui Persam roboret usus », quem sequitur Vad. et reliqui. Paullo corruptius Ortel. « famosumque Persarum robur ».

1256. *Gazas quoque terra ministrat.* Venas auri argentique intelligit, sive etiam thesauros passim in terra reconditos. Manil. V, 525: « Quærere sub terris aurum... Imperat, et glebas inter deprendere gazam ». W. — *Gazas quoque terra ministrat, Omnibus et largum*: sic distinguunt pleræque antiquæ edd. sed Hudsonus post *Omnibus*, quod mihi commodius videtur.

1257. *Largum populis producitur ævum.* Horum verborum ambiguus sensus est. Possunt enim significare: hi populi longissime vivunt, vel multi inter eos longævi inveniuntur, ut *largum* ævum sit longum s. spatiosum, *producere* idem ac longius extrahere, extendere. Sed possunt etiam hoc: Persæ vi-

Dives in his mos est jam longi tempore sæcli,
Ex quo Mæoniam bello trivere cruento.
Illudunt auro vestes, et cuncta teguntur
Auro membra viris, auro vestigia condunt:
Tantus Persarum dissolvit pectora luxus.
Ipsa autem tellus inclusa est montibus altis,
Undique in australem latus inclinatior axem,
Ac Borean longe, longe quoque Caspia claustra
Deserit, atque Noti placida perfunditur aura.
Istius at spatiis finem dat Persicus æstus,

tam omnibus rebus abundantem agunt, laute et opulente vivunt, ut *largum* ævum sit copiosum, lautum, sumptuosum, *producere* simpliciter pro *ducere* accipiatur, quemadmodum supra Noster *vitam protrahere* dixit vs. 1039. Atque hanc alteram sententiam præfero priori, ut contexto melius convenientem. W. — *Producitur ævum* omnes edd. Hudsonus tamen conjicit *arvum*, quod et sententiæ auctoris, et latinæ consuetudini adversari videtur. Quid enim sit « largum arvum producitur populis » vix intelligo. Fortasse tu rectius legas : « lautum producitur ævum ».

1258. *Longi tempora sæcli* Cusp. Vad. Pith. Melius legi *longi tempore sæcli*, monuit Camers ad Prisc. 961, et sic cod. Ortel.

1259. *Ex quo Mæonii* Ven. et Cusp. *Mæonios* Vad. cum Camerte et Ortel. *Mæoniam* Pith. Huds. et hoc convenit Dionysio. *Bello attrivere* maluit Schraderus, notante Fries. quod equidem vellem libro veteri firmari.

1260. *Illidunt auro* Cusp. Vadian. Pith. Huds. qui usus verbi *illidere* vix videtur ex aliis auctoribus probari posse, et immerito hi editores a prima lectione Venetæ desciverunt, quæ habet *Illudunt :* quod etiam e conjectura reponendum suaserunt Oddius et alii docti viri. Hudsonus tamen alios *Illinunt* conjecisse ait, idemque prætulit cod. Ort. sed hoc contra metrum est. *Illudunt* scribere jubet Maro, qui Georg. II, 464 : « Inlusasque auro vestes, Ephyreiaque æra ». Ibi, ut hic, vestes auro textili distinctas et variegatas exprimit. Ed.

1261. *Auro vestigia condunt*, h. e. tegunt, inducunt plantas aureis calceis, ut apud Claud. Rapt. Pros. I, 187, Cereris curru vectæ « condunt vestigia culmi ». Statius, Silv. V, 2, 28, *claudere vestigia* dixit : « Primaque patricia clausit vestigia luna ». Aureis gemmatisque calceis Parthos et alios Orientis populos usos esse, plures tradunt. Curtius, IX, 1, 29, ubi Sophitis habitum describit : « Vestis erat auro purpuraque distincta, quæ etiam crura velabat : aureis soleis inseruerat gemmas ». Tertullianus de cultu fem. cap. 10 : « Grana nescio quæ (margaritæ), quæ plane Parthi peronibus quoque suis bullarum vice inserunt ». W.

1264. Pro *inclinatior* viri docti

Incoliturque solum populis tribus. Una sub Arcto
Pars agit, armigeris nimium contermina Medis:
Altera per mediæ telluris terga vagatur:
Porro ad flabra Noti, pelagus prope, tertia degit.
Plurima præterea percurrunt flumina terram
Persidis, et rigidas curvant labentia ripas.
Arva secat Cyrus, perrumpit et arva Choaspes,
Indica provolvens procul æquora: cujus ad undam

manus ad oram exempli mei edit. Cusp. adlevit *inclinatius*, quod non respuo. Sic vs. 239: « At tepidi de parte Noti directior oram ».

1269. *Armiferis* mavult Schrad. in sch. pro *armigeris*. Sed sequioris ævi poetis composita cum *gero* fere usitatiora sunt. Vid. Epit. Iliados Hom. 400 et 601.

1272. Hoc loco nomina aliquot gentium, quæ diversas partes Persiæ tenent, et a Dionysio v. 1069, a Prisc. v. 970 memorantur, nempe Sabas, Pasargadas, Tascos, plane præteriit Avienus. W.

1273. Pro *rigidas*, quod omnes edd. habent, Oudend. in Obs. Misc. vol. I, pag. 171, vult rescribere *riguas* ab effectu persulcantium Persida fluviorum. Hunc autem effectum non spectat hoc loco poeta, sed tantum curvos flexus fluminis vult describere. Jam *rigidas* aptius est τῷ *curvant*, quemadmodum rigidi curvari arcus dicuntur, et *rigidæ* ripæ non aliæ, quam *solidæ*, quas supra v. 1171 dixit. Sic Horat. Carm. I, 33 extr. « Adriæ Curvantis Calabros sinus »; et Lucan. V, v. 178: « Scythiæ curvantem litora Pontum ».

1274. *Arva secat Cyrus*. Vid. Salm. Ex. Plin. p. 495. Huds.—*Arva secat Cyrus* Pith. e Ven. et Hudson. *Corus* Cusp. et Vadian. ut vulgatæ edd. Dionysii. Vid. not. ad Prisc. v. 974. Porro *perrumpit arva Coaspes* Cusp. pro quo Pithœus, forte metro consulturus, edidit *perrumpit rura*: sed melius correxit Vad. *perrumpit et arva Choaspes*, eleganti repetitione substantivi *arva*, quæ Avieno familiaris est, ut v. 723: « Leuce cana jugum, Leuce sedes animarum »; vs. 1234: « Panditur Hyrcanis hinc janua: janua Persis »: ac paullo ante vs. 1265: « Ac Borean longe, longe quoque Caspia claustra »; inf. vs. 1308: « primam coquit hanc radiis sol, Sol Hyperionius, sol magni gratia mundi», et multis aliis in locis.

1275. *Indica provolvens procul æquora.* Puto Avienum hoc velle, Choaspen in Indum fluvium, vel adeo in Indicum mare, fluere, et ante se volvere aquas ejus, quemadmodum vs. 928 dicit: « Caspia propellit fluctu freta »; vel v. 439: « Euxinoque salo provolvitur »; et v. 912: « Hyrcanique salis tumido convolvitur æstu », i. e. miscetur. Dionysii vero de Choaspe verba sunt v. 1074: Χόασπις Ἕλκων Ἰνδὸν ὕδωρ, quæ plane aliter vertit Priscianus vs. 975: « Fonte cadens Indo ». Sed quocumque modo vertatur Dionysius, hoc relinquitur, ab eo Persicum Choaspen cum In-

Incola flaventem studio sectatur achatem.
Nam quum brumali ceciderunt sidere nimbi,
Imbribus et cælo fusis furit auctior amnis,
Hos lapides late flumen trahit: undique tellus
Circumjecta dehinc læti viret ubere campi.
Sed qua cæruleam sinus infert Persicus undam,
Gens Carmanorum late colit: hanc facis ortus
Urit Phœbeæ; tanto quoque funditur agro,
Ut simul et glauci contingat gurgitis æstum,

dico confusum esse, quomodo et judicat Cellarius, Geogr. Ant. tom. II, p. 857, atque nos ex Salmasio jamjam adnotavimus ad Prisciani v. 975. W.

1277. *Quum brumalis* Cusp. *brumali* Vad. et Pith. quomodo correxit Camers ad Prisc. 970.

1278. *Imbribus et cælo fusis furit auctior amnis*. *Furere* a Veteribus dicta est omnis aqua plus solito commota et agitata. Exempla non congeram. Inspice modo Cl. Drakenb. ad Sil. lib. X, 321: «redditque furens sua corpora ripis». Sic etiam de mari Syrtibus inliso Noster, vs. 294: «Infidumque rati pelagus furit»; vel etiam de freto, in arctum nimis compresso, ut vs. 466: «Præcipiti fluctu furit Hellespontus». Eamdem ob rationem *furor*, *insania*, *ira*, *rabies*, etc. passim mari adscribuntur in tempestate, etc. Oud. in Obs. Misc. vol. V, l. I, p. 75.—*Imbribus et cælo* Ven. Cusp. Pith. *e cælo* rescripsit Vad. quia sic Camers ad Prisc. l. c. volebat. Sed cur *e cælo* scribendum sit, nullam caussam video, immo hoc minus poeticum videtur. Pro *fusis furit* Oudend. Obs. Misc. vol. V, p. 74, offensus sono repetitæ syllabæ *fu fu*, reponere volnit *fusus ruit*; neque tamen renititur, si cui placeat vulgatum *furit* retinere. Et sane in hoc libentius adsentior, quia nullum dubium est, *furere* de fluviis torrentibus et exundantibus perpetuo dici.

1279. *Hos lapides* Ven. Cusp. Pith. *Hinc lapides* posuit Vad. quod forte faciendum putavit, quia præcedente versu τὸ *et* ejecerat, et sententiam clauserat, ut nunc nova incipienda esset: *Hinc lapides*.

1280. *Circumvecta* omnes antiquæ: sed quem sensum hoc loco habere ea vox possit, non video. Amplector, quod conjecit Sch. in sch. *circumjecta*. Hoc enim frequenter utuntur scriptores. Curtius, III, 1, 3, de Marsya fluvio: «Inde diffusus circumjectos rigat campos».

1282. *Hunc facis* Cusp. et Vad. melius Pith. et reliqui *hanc facis*.—Fax eodem sensu vs. 54 et 768, et Rutil. Itin. I, 131. Ed.

1284. *Ut simul*. Docta manus in margine exemplaris P. Burmanni sec. adnotavit, veterem cod. habere *sinus*, sc. Persicus, idque monuisse N. Heins. ad Claud. p. 48. Sed ea lectio inepta est, et sententiam auctoris corrumpit, qui hoc vult, gentem Carmanorum per tanta agri spatia extendi, ut *simul* et litus

Et procul internæ perreptet jugera terræ.
Hos super et tellus tendit Gedrosia glebam
Oceani vicina fretis; at flumen ad Indum
Auroræque latus Scytha miti proximus Austro
Adcolit: australis certe Scytha dicitur ille:
Namque alii dura pulsantur desuper Arcto.
Indus Caucasiæ prorumpens rupis ab antro
Adversum pelago Rubri procul æquoris amnem
Porrigit, inque Notum recto fluit agmine aquarum.
Ora dehinc Indo duo sunt, mediumque per agrum
Insula se vasto fundit tergo Patalene.
Innumeras idem dispescit flumine gentes,

maris Persici adtingat, et procul recedat in interiora terræ.

1285. *Perreptet jugera terræ*, h. e. peragret, perambulet, pervagetur, sensim et successive. Agitur enim de gente non bellicosa, non fera. Supra vs. 458: « Per dumosorum reptantes dorsa jugorum », et vs. 894: « nec vagus orbem Undique reptavi ». W.—Pro *perreptet* in cod. Ort. fuit *proreptet*.

1286. *Hos super est tellus* Ven. Cusp. Pith. *Hos super ast tellus* voluit Camers ad Prisc. 994: at Vadianus maluit sic: « Ast super hos tellus ». Hudsonus e conjectura posuit *Hos super et tellus tendit*, quod probo.

1287. *Et flumen ad Indum* Cusp. Pith. *at flumen ad Indum* Vad. quod etiam conjecit Oddius.

1288. *Scytha amitti* cod. Ort.

1290. Pro *dura pulsantur* ab aliis legi *cruda* monet Friesem.

1291. *Prærumpens* Ven. Pith. Huds. *prorumpens* Cusp. et Vad.

1294. Pro *per agrum*, quod habent vulgatæ, Schraderus conjecit *mediumque per alveum*; quod sane commodum est, si quidem per *medium alveum* ille intelligatur, ubi primum se scindit Indus in duo flumina, indeque Patalenen circumplectitur. Eustathius eum dicit Delta simile Ægyptio efficere.

1295. *Insula se vasto fundit tergo Patalene. Fundit se*, ut supra v. 1283: « magno funditur agro », h. e. late explicatur, extenditur. De insula Patalene, quam duo ostia fluminis Indi faciunt, quæque urbem habebat *Patala*, sub divortio amnis sitam, inprimis agit Arrianus de Exped. Al. lib. VI, cap. 17 seq. eamque refert a triquetra figura, quam ostia cum mari faciunt, *Delta* vocatam, quod adeo majus sit, quam Delta Ægyptium. W.

1296. *Dispersit flumine* ediderunt Cusp. et Vad. sed sine dubio melius Pith. *dispescit*, quem sequutus est Huds. Favent eidem lectioni MS Ort. et ed. Ven. quæ habent *dispexit*. Et verbum *dispescit* postulat Dionys. qui v. 1094: Κεῖνός τοι πολίων ἀποτέμνεται ἔθνεα φωτῶν.

1927. *Oritas Aribasque*. Male habuit doctos viros versus quidam Lu-

Oritas, Aribasque et veloces Arachotas,
Et Satram infidum, vel qui per inhospita late
Discreti populis, discreti finibus agri
Arva agitant, uno sed nomine sunt Arieni.
Hi quamquam steriles decurrant semper arenas,
Munera nec carpant cerealia, nec nova prelo
Musta premant, fulvo tamen invenere corallo

cani, lib. III, 249: «Tunc furor extremos movit Romanus Orestas, Carmanosque duces»; ubi *Orestæ* quæ gens et quibus locis terrarum fuerit, sedulo quæsiverunt interpretes. Quoniam tamen de Orientis populis manifeste sermo est, et *Orestæ* junguntur *Carmanis*, Oudendorpius cum Scaligero et Grotio verisimiliter judicat, eosdem *Oretas* vel *Oritas*, de quibus Dionysius ejusque interpretes agunt, a Lucano intelligi, quamvis ille primam syllabam nominis, quæ apud istos propter τὸ ω longa est, corripuerit. Mihi videtur Lucanus ipse scripsisse *Orestas*, quod plurimi codices servant, atque vel confudisse nomina *Orestæ* et *Oretæ* per oscitantiam, aut de industria lusisse in simili *Orestæ* nomine, quoniam iis futurem tribuit. W.—*Oritas Arabasque* Ven. et Pith. *Aribasque* Cusp. Vad. Huds. sic et Prisc. v. 1003.

1298. *Et Sagam infidum* Ven. Pith. Huds. Camers ad Prisc. 1003 correxit e Dionysio *Satraidam infidum*, quem sequitur Vad. Hudsonus conjicit, forsan *Sacam infidum*. Sed rectius meo judicio Schraderus in sch. *Et Satram infidum*. Hoc ipse Dionysius probat. Deinde *infidum, et qui per inhospita* edidit Huds. contra vetustiores edd. quæ rectius habent *vel qui per inhospita*.

1299. *Discreti populi* omnes edd. Sed summopere probo, quod Withofius conjecit, *populis*. Suadent hoc sequentia *discreti finibus agri*, ubi quia τὸ *discreti* repetitur, necesse est ut duplex discrimen indicare voluerit auctor eorum, *qui per inhospita arva agitant*, nempe discretos esse et *populis* et *finibus agri*. Juvat, quod infra v. 1333 *populos a gente* distinguit.

1302. *Munera nec carpant cerealia*, i. e. fruges agrorum et frumenta, ut *cerealem culmum* Maro dixit, G. II, 517; *Cerealia munera* et *dona* Naso, Met. XI, 122. *Cereris commercia* Noster supra vs. 919, et Priscianus v. 720 de Massagetis: «Non Bacchi donum, Cereris vel munera norunt». Similiter de terra exsilii sui Ovid. Trist. III, 10, 71: «Non hic pampinea dulcis latet uva sub umbra, Nec cumulant altos fervida musta lacus». Ad verba: «nec nova prelo Musta premant» conf. Calpurn. Ecl. I, 2. W.

1303. *Fulvo tamen invenere corallo*. De *corallo* observat Salmas. ad Sol. p. 63, vetustiores Græcos Latinosque scriptores scripsisse κουράλιον, *curalium*. Sic apud Ovidium, Met. XV, 416, (adde Grat. v. 405) legi, ipsumque Dionysium vs. 1103. Recentiores Græcos Latinosque dixisse κοράλλιον. Sic Arrianum in Peripl. mar. Erythr. Hesychium, Nemesianum; (in quo errat Salm.

Pandere vivendi commercia, quærere pulchræ
Sapphiri latebras et præduros adamantas.
Calliope, Indorum populos et regna canamus.
Ultima terrarum tellus adspergitur Indi
Fluctibus Oceani; primam coquit hanc radiis sol,
Sol Hyperionius, sol magni gratia mundi,
Astrorum genitor, lucis sator et vigor æthræ.
Sed genti Indorum tæter color: efflua semper

sed Claud. habet *corallia* de Nupt. Hon. v. 169). *Coralla* etiam Avienum nostrum dixisse: *fulvo tamen invenere corallo*. Addo huic Sidonium Apoll. Carm. XI, vs. 110: «Lactea puniceo sinuantur colla corallo». Priscianus, qui vs. 1008 *Curalii lapidem* scribit, Dionysium expressit. Præter Salmasium de scriptura hujus vocis videri potest Heins. ad Ovid. Met. IV, 749. W. — Pro *fulvo corallo* Huds. conjicit *gilvo*. Sed hoc parum refert.

1304. *Pandere vivendi commercia*, h. e. viam et rationem aperire parandi victum permutandis mercibus. Supra v. 1067: «docuere carinis Ferre cavis orbi commercia». W.

1309. *Sol Hyperionius.* Hoc generale alias epitheton Solis, Avieno maxime videtur Orientis esse, ex ipsa vocis notatione, quando *terras super aureus it sol*, ut ait Nemesiani Hal. 56 (huj. op. t. I, p. 233. Ed.) Hoc sensu usurpavit Noster supra vs. 1150, et Phænom. vs. 396: «Hic Hyperioni flagrat via Solis, in ortu, ... Pars Hyperioniæ rutilat facis». Hanc etiam vocem Burmannus restituit auctori carminis in laud. Solis, Anth. tom. II, v. 45, p. 298, ubi vulgo legitur *Sol et Hyperboreo*. — Et addi potest versus 1153 supra: «Lux Hyperionio qua se sustollit ab ortu». Sol quidem Hyperione natus poetis dicitur. Ed.—Cæterum cumulata in sequentibus elogia et prædicata solis admodum supervacua, et importuna sunt, videnturque, quum in Dionysio non legantur, ex auctore alio laudibus et cultui Solis dedito, huc illata, cui et versus 1089 seq. de Emeseno cultu Solis deberi, suspicati sumus ad eum locum. Comparari cum his elogiis Solis possunt, quæ in laudato carmine Anthol. Burm. quod primum lib. V est, leguntur. W. — *Hyperyonios* Cusp. cæteri *Hyperionius*.

1311. *Tæter color,* i. e. niger, vel fuscus. Vid. dicta a nobis ad Prisc. v. 1013. *Nigri Indi* Ovid. A. A. I, 53. Tibullus, II, 3, 55: «Illi sint comites fusci, quos India torret, Solis et admotis inficit ignis equis». Propert. IV, 3, 10: «Ustus et Eoo decolor Indus equo». *Efflua coma*, quæ e vertice in tergum humerosque fluit, longa et promissa. Sic enim Solinus, cap. 52: «Indis omnibus longa et promissa cæsaries». Ex illa dictione Avieni illustrari et defendi potest Elegiæ Corn. Galli v. 14, a Scaligero valde reprehensus: «Quod fluat ex toto vertice flava coma». (Vid. huj. op. tom. II, pag. 243. Ed.) W.

His coma liventes imitatur crine hyacinthos.
Pars subit abrupti sola cespitis, aurea ut illis
Terrarum in latebris excludant caute metalla:
Pars telas statuunt, et vestimenta laborant
Lintea: pars Indi procurat segmina dentis,
Atque ebur invigilat: multi, qua flumina nimbis
Auget hiems, vastum ut late trahat agmen aquarum

1312. *Liventes imitantur* scribit Cusp. reliqui *imitatur*, quod rectius est, et referendum ad *coma*.

1313. *Subit abrupta sola cespitis* Ven. et Cusp. et Vad. sed melius Pith. et Huds. *abrupti sola cespitis*.

1314. *Aurea ut illis ... excludant caute metalla. Aurea metalla*, vena auri, ut *aurea vena* a Lucilio in Ætna, vs. 268, dicitur. W. — *Excludunt* Cusp. reliqui *excludant*. — *Pars telas statuunt*. De telis, stamine, liciis et texendi ratione consulendi viri doctissimi ad Ovid. Met. VI, 54 seqq. Heynius v. el. ad Tibull. I, 6, 79, et ipse nonnulla tradidi ad Epithal. Laur. vs. 45 (huj. op. t. III, p. 400. Ed.)

1316. *Vestimenta laborant Lintea*. Immo *Linea*. Dionysius, ut alias rationes et argumenta nunc omittam, v. 1116: Οἱ δ' ἱστοὺς ὑφόωσι λινεργίας. Priscianus vs. 1016: « Ast alii texunt tenuissima tegmina lini ». Contrarium mendum continebat olim v. 609, quod correxit Vlitius ad Grat. Cyneg. v. 87, ubi pariter librarii variarunt. Schr. lib. Obs. c. 4, p. 49. — *Vestimenta laborant Lintea*: sic quidem omnes editiones: sed Schrad. in schedis notavit *Linea*. Ego vero idem mutare non audeo, quia *linteæ vestes* æque ac *lineæ* Veteribus dicuntur, iterumque hac voce utitur Noster infra v. 1369: « solvunt properantes lintea Bacchæ Vincula »; ubi vid. V. L.

1317. *Atque ebur invigilant multi* Cusp. Rectius Pith. *Atque ebur invigilat, multi qua*, etc. Hudsonus et Withof. offensi constructione *invigilat ebur*, scribendum censuerunt *Atque ebori invigilat*. Et sane *invigilare* et similia verba tertio casui vulgo junguntur. Virg. Georg. IV, 158: « Namque aliæ victu invigilant, et fœdere pacto Exercentur agris » (ubi *victu* pro *victui* positum pro more poetarum est). Tacitus, Germ. cap. 46: « Hoc beatius arbitrantur, quam ingemere agris, illaborare domibus ». Hæc conveniunt cum illo Lucretii, V, 210: « valido consueta bidenti Ingemere, et terram pressis proscindere aratris ». Sed Heinsius ad Ovid. Met. VIII, 142, defendit *ebur invigilat*, et Nostrum verba ejusmodi, ut invehere, influere, irrepere, incubare, etc. cum quarto casu jungere solere, quum hoc loco, tum quibusdam aliis, Descr. Orb. vs. 795, et Or. mar. 383, probat, quibus addi possunt vs. 106, 529. Idem adeo in Virgilio, Georg. IV, 261, e veterrimo codice legit: « Frigidus ut quondam silvas immurmurat Auster ». Itaque malim hoc loco vulgatam lectionem, ut propriam et usitatam Avieno, retinere.

1318. *Vastum ut late trahat* Cusp. Vad. Pith. Aliter Hudsonus edidit

Alveus, et celsas evincant æquora ripas,
Palantes obeunt beryllum, prona fluenta
Quem procul internis a finibus, aut adamanta
Detulerint : his glauca dehinc tornatur iaspis.

vastum et late trahit. Ego vero vetustiorem lectionem præfero, *ut trahat.* Schraderus aliquando conjecit in schedis *flumina nimbis Auget hiems pasta.*

1319. *Celsas evincant æquora ripas.* Imitatus videtur Virgilium, qui Æn. II, 496 : « Non sic, aggeribus ruptis quum spumeus amnis Exiit, oppositasque evicit gurgite moles, etc. » Et similiter Lucan. VI, 272, de Pado : « Sic pleno Padus ore tumens super aggere tutas Excurrit ripas, et totos concutit agros ». W. — Cuspinianus admodum corrupte : *Albas et celso se vincant æquore ripas.* Melius ex parte Pith. *Albens, et celsas evincant æquora ripas.* Vadianus ut tenebras hujus versus dispelleret, audacius enim reformavit : *Albas et celso sejungant æquore ripas Palantes.* Sed Pithœi lectio per se melior et clarior emendatione est. Peccavit ille tantum in voce *Albens.* Veneta prima habet *Albeus*, quod ille legere debebat *Alveus.* Atque hoc clare perscriptum in cod. Ortel. exstat, et dudum conjectura doct. virorum, ut Schraderi, probatum est. — Huds. habet *evincunt*, cui vetustiorem lect. *evincant* præfert Wern.

1320. *Palantes obeunt beryllum. Obire* h. l. est circumire, circumspicere et observare, quod supra v. 1276 *sectari* dicebat. Silius, III, 160 : « Quæ dum perlustrat, crebroque obit omnia visu ». Isque hoc expressit e Virgilio, Æn. X, 447 : « Lumina volvit, obitque truei procul omnia visu ». Add. Plin. Epist. III, 7, 13 : « Ferunt Xerxem, quum immensum exercitum oculis obisset ». Pluribus hunc usum verbi docuit Gesner. ad Claud. Rapt. Proserp. III, 361. W. — *Pallantes* Cusp. et Pith. vitiose. *Palantes* jam scripsit Vadian. eumque sequitur Huds. Sequentia Cusp. et Pith. sic constituunt : *Pallantes obeuat beryllum proua fluenta. Nec procul internis a finibus*, etc. Hæc bonum sensum non habent. Hudsonus sic legendum suadet : « obeunt beryllum, prona fluenta Quem procul internis a finibus aut adamanta Detulerint ». Atque hæc est lectio, quam Salmasius constituit ad Sol. pag. 761, a. A. Aliter quidem distinguit Withofius : « Palantes obeunt : beryllum prona fluenta Nec procul internis a finibus, etc. » Sed sic distinctis verbis sensum difficulter eruo. Præterea Vad. pro *aut adamanta* edidit *auro adamanta*, quod nescio an errore typographi acciderit. Pro *internis* Schrad. maluit *extremis.* — Huc conferendus Claudian. Idyll. V, v. 15 : « et quidquid Eois Indus litoribus rubra scrutatur in alga ». Adde Tibull. II, 2, 15, et IV, 2, 15 ; Propert. I, 14, 12. Ed.

1322. *Prona fluenta Quem... Detulerint.* Beryllum inter arenas, quas exundans fluvius ejicit, legi indicat auctor Eleg. de ob. Mæcen. v. 19 : « Vincit vulgares, vincit beryllus arenas, Litore in extremo quas simul unda movet » ; ubi *litore*

Nec minus et baccas alii prope marmora curvis
Excudunt conchis: pars rursum divite cura
Herbosi lapidis venas fodit: hique rubore
Suffusas blando quærunt campis amethystos.

Erythræo pro *in extremo* legere cum Burmanno, nihil opus est. Nam *extremi* dicuntur poetis ipsi Indi, et Oriens. Plinius de sardonyche apud Indos, lib. XXXVII, cap. 23: « Constat ibi torrentibus detegi ». Atque hinc de gemmarum scrutatoribus Manil. IV, 531: « Et perlucentes cupiens prensare lapillos, Vorticibus mediis oculos immittet avaros ». W. — *His glauca dehinc tornatur iaspis*. Abusive verbo *tornandi* usus est Festus Avienus. In græco est: ἡ χλωρὰ διαυγάζουσαν ἴασπιν, quod a præcedentibus pendet. At videtur legisse Avienus: ἡ χλωρὰ διαυγάζουσιν ἴασπιν, et διαυγάζειν ἴασπιν interpretatus est *tornare*, pro terere scilicet, et polire. Teruntur enim lapides, ut niteant. Στιλβωτὰς lapidum Græci vocant, et στιλβῶσαι λίθους polire et adterere. Quod *tornare* improprie dixit, quia quæ torno fiunt, etiam teruntur et lævigantur. Unde *torno terere* Plinio. Virgilius, Georg. II, 444: « Et radios trivere rotis », id est, tornavere. At torno gemmæ non poliuntur. SALM. Exerc. Plin. p. 738.

1323. *Prope marmora* habent omnes vulgatæ: sed Schraderum conjecisse *per marmora*, tradit Friesem. Mihi vero non aptum hoc videtur. Nempe *prope marmora*, h. e. in litore æquoris leguntur conchæ, non *per æquora*, vel in alto.

1324. Pro *excudunt* Oddius maluit *excludunt*; quod et mihi placet: nam baccæ eruuntur e conchis. — Sed *excudere* Avieno familiare est, pro *excutere*. Vs. 1226: « Pars gentis ... saxis excussit narcissiten ». Idem in Phænom. « Omne ævum studiis excuditis »; et in Progn. vs. 105: « Elisos fulguris ignes Extudit ». Sic enim legit ibi Heinsius ad Ovid. Amor. III, 5, 34, ad imitationem Virg. Georg. I, v. 135: « Ut silicis venis abstrusum excuderet ignem ». ED. — *Divite cura*, labore admodum lucroso, et pretiosam mercem parante.

1325. *Herbosi lapidis venas fodit*. Per *herbosum lapidem* non aliud intelligere videtur, quam curalium, quia hoc fruticis vel herbæ instar sub aquis nascitur, et Priscianus hoc loco *curalium* inter iaspin et amethystum nominat, vs. 1021. Plinius, lib. XXXII, 2, cap. 11, de curalio: « Forma est ei fruticis, color viridis. Baccæ ejus candidæ sub aqua ac molles: exemptæ confestim durantur et rubescunt, etc. » Hinc Ovid. Met. XV, 416: « Sic et curalium, quo primum contigit auras Tempore, durescit: mollis fuit herba sub undis ». Vulgarem hanc opinionem Veterum hodierna physicorum experientia refutavit. Cæterum inepte Avienus de curalio loquitur, *venas fodit*. Et hoc mirum, Avienum æque ac Priscianum curalii mentionem hoc loco injicere, Dionysium ipsum nullam. Quod mihi suspicionem injicit, habuisse illos codicem ex alio Dionysii opere, quod Λιθιακὰ inscriptum erat, interpolatum. Cf. quæ disputabimus in Excursu VIII ad vs. 1085. W.

Horum dives enim tellus est Indica semper,
Et tali scrupo cespes tumet: amnibus autem
Fertilis inriguis crebro prælambitur ora:
Extendunt celsi vaga late brachia luci,
Et vernat nemorum semper coma. Nunc tibi formam
Terrarum expediam, nunc carmine flumina fabor,
Nunc rigidos montes, nunc multæ denique gentis
Absolvam populos. Latera agris undique in Indis
Quatuor esse tene: coeant tot et anguli ab omni

1327. Cusp. vitiose *Horum duces enim.* Camers ad Prisc. 1023 correxit *Horum dives enim.*

1328. *Et tali scrupu* Ven. et Cusp. *scrupo* Pith. et reliqui.

1329. *Prælambitur ora* Cusp. Vad. Pith. primæ edit. sed *prælabitur* Pith. ed. Lugd. forte ex errore. Sic et versu 155 vitiose editum erat in plerisque *labitur* pro *lambitur.*

1330. *Extendunt celsi vaga late brachia luci.* Avienus ὕλας apud Dionysium pro silvis et lucis accepit, quasi simpliciter ὕλας posuisset Poeta, non ὕλας καλάμοιο. Sic enim reddidit: « Extendunt celsi..... Et vernat semper, etc. » SALM. ad Sol. pag. 742, a. B. Dionysii versus integri, quos Avienus exprimere voluit, hi sunt, 1125 seqq. Ναὶ μὴν καὶ λειμῶνες ἀεὶ κομόωσι πετήλοις. Ἄλλοθι μὲν γὰρ κέγχρος ἀέξεται, ἄλλοθι δ' αὖτε ὕλαι τηλεθόωσιν Ἐρυθραίου καλάμοιο. Videmus, quæ hic Dionysius sigillatim de milii et de calami Erythræi proventu memoravit, Avienum de industria præteriisse, et in generali silvarum ubique virentium descriptione morari voluisse. Itaque erroris aut ignorantiæ in vertendo commissæ, hoc quidem loco, postulari nequit. Interim dum *celsos* vocat *lucos*, facile respicere potuit ipsas arundines Indicas, quarum immanis magnitudo memoratur, immo et aliarum arborum Indicarum lucos, de quarum excelsitate locus est apud Virgil. quem adeo respexisse videtur Noster, Georg. II, 122. W. — *Vaga late brachia luci.* Quæ *brachia lucorum* dicit Avienus, intelligi possunt, vel de spatio et longis flexibus, quibus extenduntur silvæ (vid. Rutil. I, 535), vel de ramis singularum arborum, quomodo usurpavit Lucilius in Ætna, vs. 361, et Noster supra vs. 1190, « brachia Nysæi palmitis » dixit. W.

1332. *Carmine flumine fábor* Cusp. sed *flumina* omnes reliqui.

1333. *Multæ denique gentis Absolvam populos.* Videtur Avienus *populos* partes unius *gentis*, et generale nomen gentis, speciale populi facere, quemadmodum Claud. in Eutr. II, 242: « gens una fuere Tot quondam populi, priscum cognomen et unum, Adpellata Phryges ». Conf. Nostri vs. 315, 481, 1299. W.

1335. *Quatuor esse tene.* Conf. vs. 413 et 1049. Similiter supra vs. 1046 totius Asiæ formam in quatuor latera effusam dicebat. W. — *Coeant tot et anguli ab,* etc. Cuspin.

Parte sibi, oblique claudentes extima terræ,
Ceu species rhombo est. Zephyri de partibus, Indus
Gurgitis occursu fit certæ terminus oræ:
Axe Noti, Rubri late salis objacet unda:
Flumen item Ganges fit limes cespiti Eoo;
Atque Lycaonia consurgit Caucasus Arcto.
Æquore qua fuso laticem provolvitur Indus,
Dardanidûm gens est, ubi magnus sorbet Hydaspes
Delapsum summa saxorum mole Acesinen.
Tertius amnis item secat agri proxima Cophes;
In medioque Sabæ sunt cespite: gens quoque Scodri
Propter agit; populique dehinc velut ordine facto
Peucaleûm longas exercent vomere terras.

Pith. Huds. *coeant ut et anguli* Vad.

1336. *Obliquo* Cusp. Pith. Huds. *obliquæ* eod. Ortel. *oblique* Vad. sed Hudsonus: Forsan *obliqui claudentes*. Mihi potior videtur Vadiani emendatio, quæ antiquæ scripturæ *obliquo* propior est. Præterea Hudsonus distinguit *ab omni Parte, sibi obliquo*. Sed mihi *sibi* pertinere videtur ad præcedens *coeant: tot et anguli ab omni parte coeant sibi*, i. e. secum, inter se. Hinc distinguo post *sibi*.

1338. *Fit cesæ terminus* Cusp. et Vad. melius Pith. et Huds. *fit certæ terminus oræ*. Cod. Ortel. corrupte *fit * cespe et*.

1341. *Adque Lycaonia* Cusp. *Adque Lycaoniam ... arcton* Vadian. Schraderus in schedis notavit *Aque Lycaonia:* sed magis placet, quod Pith. exhibet, et vir doctus in ora exempli mei edit. Cuspin. notavit, *Atque Lycaonia:* quemadmodum paullo ante Noster: « Axe Noti objacet unda ».

1342. *Provolvitur Indus* Ven. Cusp. Vad. et Ortel. *producitur* Pithœus, eumque sequutus Huds. ex alio, ut mihi videtur, codice reddidit, quod tamen Venetæ lectioni minime præferendum. Hudsonus conjicit *producit et Indus*, quod constructio vix patitur.

1343. *Carmanidum* pro *Dardanidum* cod. Ortel. Græcus habet Δαρδανίες. — *Sorbet Hydaspes Delapsum ... Acesinen. Sorbere* de recepto in alium fluvio rarum esse puto. Alii poetæ non nisi de hiatu vel voragine, fluctus maris vel fluvii abstrahente, ut de Charybdi, adhibent. Vid. Virgil. Æn. III, 422; Ovid. Met. I, 40, VII, 64; Lucan. III, 261. W.

1344. *Acesinen* Ven. Cusp. Huds. et Pith. edit. Paris. *Acesinem* edit. Lugd.

1345. *Proxima cespes* Ven. vitiose: *proxima Cophes* Cusp. et reliqui.

1347. *Populisque dehinc* Cusp. reliqui *populique*.

1348. *Hylleûm longas* Pith. e Ven. et Huds. *Peucaleum longas* Cuspin.

Gargaridæ rursum : gens hæc obnoxia Baccho,
Et glebam sulcant, et ritibus orgia ludunt.
Hic Hypanis lateque trahens vaga terga Cymander,
Magnus uterque modi dimittitur, Hemodique
Rupe procul fulvum provolvunt fluctibus aurum :

Peucaneum Vad. Hudsonus conjicit *Peucaleûm*, ut babet Prisc. v. 1049: sed in græco v. 1143 exstat Πευκανέων. Sed unde *Hylleum* Venetæ et Pithœi sit, non exputo. *Hylles* vel *Hylleos* populum Illyrici, vidimus ad Priscianum, vs. 379. Magis turbat codex Ortel. qui scribit *Nyssæum longas*. Quod si Nyssæi campi Indiæ intelligendi essent, nomen gentis, quæ eas terras hic exercere dicitur, desideraretur, et *Peucanei*, quos Dionysius nominat, plane exsularent.

1349. *Gargaridæ* omnes editiones. *Gandaridæ* Ortel. sed de variatione hujus nominis vide notata nostra ad Prisc. v. 1050.

1351. *Terga Cymander* Venet. et Pith. et Huds. *Megarsos* Cuspin. et Vad. qui repetiisse illud e Dionysio videntur, quem etiam Priscianus vs. 1051 expressit. Sed mira est lectio primæ edit. *Cymander*, siquidem nomen ejus fluminis nusquam reperitur, neque *Megarsum* a quopiam Geographo, præter Dionysium, memorari video. Dolendum est, quod de Cuspiniano et Vad. non constat, utrum lectiones suas ex alio codice, an saltem Dionysio accommodantes, dederint. Et quoniam hoc dubium est, consultum puto servare antiquam lectionem *Cymander*, quæ neque abjicienda est, etiamsi ipse Avienus erraverit.

1352. *Magnus utrumque modi dimittitur, Hermodoontis Rupe:* sic Ven. Cuspin. Pith. *Magnus uterque modo* scripsit Vad. *uterque modi dimittitur, Hermodontis* Huds. Atque hic in Add. ait : In ista voce *modi* latet mons *Emodus*. Forsan *Emodo emittitur*. In quo quidem recte suspicatur, nomen Emodi alicubi latere. Nam diserte Dionysius Hypanim et Megarsum e monte Emodo descendere memorat vs. 1146, idemque reddidit Prisc. v. 1052. Sed si cum Hudsono scribamus *Magnus uterque Emodo emittitur*, quid fiet cum sequentibus *Hermodontis Rupe procul?* Nam in nomine *Hermodontis*, quod plane alienum ab hoc loco est, quærendus videtur Emodus. Et cod. Ortel. diserte pro *Hermodoontis* ponit *Emodi montis ;* quæ tamen interpretatio potius, sive glossa librarii videtur. Propterea commoda correctio est, quam Schraderum in schedis fecisse reperio, *dimittitur, Hemodique Rupe procul*, etc. Copula *que* in *Hemodique* omnino opus est post *dimittitur*, ut sequentia adnectantur ; et librarius eam adjunctam ignotæ voci videns, eam corrumpebat in *Hermodoontis*, quia forte ex aliis locis Avieni, ut vs. 856 et 1154, similis versus terminatio *Thermodontis* occurrebat. Præterea scribo : « Magnus uterque modi dimittitur », quia sic vs. 40 : « Immensusque modi protenditur »; et add. 402. Ortel. habet *demittitur*, sed familiare Avieno videtur *dimissus* pro *demissus*. Vid. vs. 96.

Nec minus hi campos intrant Gangetidis oræ,
Quæ per flabra Noti fuso distenditur agro,
Usque in celsa jacens confinia Colidis arcis.
Colis et ipsa dehinc cetosi vergit in æquor
Oceani, tantoque jugo subit ætheris auras,

1354. *Nec minus hic campos* Ven. Cusp. Vad. Ortel. *hi campos* Pith. et Huds. *Draneitidis* Ven. *Gangitidis* Pith. et Huds. *Gangetidis* Cuspin. quod melius videtur, atque sic legendum e Dionysio existimat Ort.

1355. *Quæ per flabra Noti fuso distenditur agro.* Salmas. ad Sol. pag. 783, a. A. ex his verbis adparere putat, Avienum apud Dionysium, vs. 1147, legisse : ἐπὶ Γαγγήτιδα χώρην, Πρὸς νότον ἑλκομένην, pro ἑλκόμενοι, quod in vulgatis est, et refertur ad præcedens Λαβρότατοι ποταμῶν... Ὀρνύμενοι προρέουσιν. Sed idem e Prisciani verbis colligi queat, vs. 1053 : « Gangetica..... Tellus, porrigitur quæ ad terræ Colidis Austros ». Neque tamen hoc utrique interpreti accidisse facile credam, ut verbum ἕλκεσθαι, quod de fluminibus usurpare facile, de terræ alicujus extensione durum est, ad χώρην Γαγγήτιδα referrent, et ἑλκομένην legerent. Videntur potius ex suo ipsorum sensu sic scripsisse. W. — *Quæ per flabra* omnes edd. Hudsonus autem non male conjicit *Qua per flabra.*

1356. *Utque incelsa* Cusp. *Usque in celsa* reliqui. *Colidis arcis* Cusp. Vad. Pith. *arces* Huds. et Friesem. male, ut puto. Hudsonus in Add. revocat *arcis.*

1357. *Colis ipsa* omnes antiquæ : at Hudsonus auctore Salmasio inseruit *et*, *Colis et ipsa :* ego malim *at ipsa.* — *Cetosi vergit in æquor Oceani.* Cetosum Oceanum vocat cetis et aliis belluis marinis in eo nascentibus *scatentem*, ut ait Horat. Carm. III, 27, 26. Noster in Phæn. vs. 100 : « Tethyos undosæ cetosa fluenta ». *Belluosum* dicunt alii poetæ. Et sic Britannicum quidem Oceanum Horat. Carm. IV, 14, 47, Plin. lib. IX, 5, Hesperium vel Atlanticum Avienus, Or. mar. 204, dicunt, quibus convenit Nemesiani Halieut. vs. 65. Sed inprimis hoc nomen meruit Oceanus Indicus, qui Colidis promontorium et insulam Taprobanen cingit. Hunc *fervere agminibus cetosi pecoris* Noster superius vs. 781 dixit. Et Ælian. Hist. Anim. XVI, 18, de insula Taprobane : Τὴν γάρ τοι θάλατταν, τὴν περιεχομένην τὸν τῆς νήσου κύκλον, ἄμαχόν τι πλῆθος καὶ ἰχθύων καὶ κητῶν ἐκτρέφειν φασίν. Idem Ælianus, lib. XVII, cap. 6, memorat, in Laconico mari ingentia cete nasci, eamque ob caussam, secundum quorumdam opinionem, Homerum Lacedæmonem *cetosam*, κητώεσσαν, adpellasse. Alii sic adpellatam ab Homero Spartam voluerunt, propter ejus urbis amplitudinem, quorum loca produxit Gottl. Wernsdorfius, frater, in adnott. ad Himerii Sophistæ orat. de laud. urb. Constantinop. nuper editam ab Harlesio V. C. pag. 88, quæ oratio in editione integra operum Himerii, nunc primum Goettingæ prodeuntium, septima est, et locum Himerii, ubi cetaceæ Lacedæmonis meminit, exhibet pag. 524. W.

Arceat alituum subducta ut rupe volatum.
Sed circum Gangen regio est devota Lyæo,
Perpetuique sacri talis narratur origo.
Indorum in populos fatalia Liber agebat
Prælia: vipereo late Bellona flagello
Increpat, et magno tremuerunt regna pavore,
Insistente Deo. Venit ergo ad flumina Gangis,
Discursuque sacro præludit prælia Liber.

1359. *Subducta rupe*, i. e. in excelsum elata atque erecta. Usum hujus verbi, frequentem Nostro, vid. vs. 99, 589, 1197. De Colidis promontorio paria dixit v. 774. W.

1360. Pro *circum Gangen* Ort. *circa*.

1363. *Vipereo late Bellona flagello Increpat*. Bellonæ passim flagellum tribuitur, cujus sonitu ad bellum instigat. Loca poetarum suggeret Cerda ad Virg. Æn. VIII, 703. Virgilium imitans Lucan. VII, 568: « Sanguineum veluti quatiens Bellona flagellum, Bistonas aut Mavors agitans, etc. » Sed et tuba belli signum dare Bellonam, e poetis docet Burmann. ad Val. Fl. III, 61. W. — Plane simili ratione Bacchi bellum adversus Indos, et victoriam describit Himerius Sophista, Ecl. XIX, 2, p. 264. En.

1364. *Increpat, et magno* Cusp. Pith. Hudson. *Increpuit, magno tremuerunt* Vad. cui tamen non obsequor.

1365. *Insistente Deo*, h. e. vi et numine Bacchi irati urgente, premente, impellente, quomodo Virg. Æn. X, 433: « Hinc Pallas instat et urget, Hinc contra Lausus ». Idem, X, 375: « Numina nulla premunt, mortali urgemur ab hoste ». Petitum verbum *insistere* ab auriga, equos instigante. Virg. Georg. III, 114; Ovid. Am. III, 2, 10. W.

1366. *Discursuque sacro præludit prælia Liber*. Exprimit meditamina futuri belli, et plane loquitur ad morem Romanæ militiæ, ubi tirones ad omnia, quæ in conflictu et vero prælio agenda erant, in campo exercebantur, inprimis decursu, vibratione armorum, aggrediendo, cedendo, feriendo ad palum, quæ exercitia ludi militares, meditationes, prælusiones, simulacra belli dicebantur. Gellius, lib. VII, cap 3: « Sed non proinde, ut in decursibus ludicris, aut simulacris præliorum voluptariis fieri videmus, ... sed quasi in ancipiti certamine, quum sparsa acies est, multis locis vario Marte pugnatur ». Plin. Epist. VI, 13, 6: « Tu tamen æstima, quantum nos in ipsa pugna certaminis maneat, cujus quasi prælusio atque præcursio has contentiones excitavit ». Manilius, lib. IV, 227: « Sunt quibus et simulacra placent, et ludus in armis ». Adi præterea Barthii et Burmanni not. ad Rutil. I, 257. W. — *Discursuque sacræ* Ven. et Cusp. *sacro* Vadian. Pith. Huds. *præludit prælia* Ven. Cusp. Pith. Huds. solus Vadianus dedit *prælibat prælia*. Ita emendavit ille, haud dubie offensus constructione

Mænades extemplo maculosæ nebridis usum
Permutant clypeis, viridique hastilia thyrso
Succedunt; solvunt properantes lintea Bacchæ
Vincula, viroso pectus vinxere dracone;
Pro molli vitta prorepunt crine chelydri;

minus usitata verbi *præludere* cum quarto casu, quum alias dicatur *præludere præliis*. Sic enim Statius in Præf. lib. I, Silv. ad Stellam : « nec quisquam est illustrium poetarum, qui non operibus suis stylo remissiore præluserit ». Sed constructionem cum quarto casu saltem sequiore ætate latinitatis invaluisse, documento est Rutilius, qui lib. I, v. 267 : « Ut solet excussis pugnam præludere glebis ».

1367. *Maculosæ nebridis usum.* Universam armaturam Bacchi et Baccharum hic vides : de quibus conferri potest Ovid. Met. IV, v. 6 seq. Stat. Theb. II, 664, et Noster supra v. 889, 1129. Solenne est poetis, ad vim et potentiam Bacchi designandam, arma et gestamina ejus subito permutata cum aliis fingere, vel aliis instrumentis inducere. Hic fiunt arma et tela hostilia. Apud Ovid. Met. III, 664, remis et velis prædonum inserpunt hederæ et racemi, et lib. IV, 394 seqq. telæ et vestes, fila et stamina in hederas, vites, palmites et pampinos abeunt. W.

1369. *Solvunt properantes lintea Bacchæ vincula*, sic omnes edd. Sed mendosa hæc putat Heinsius, Adv. III, 2, p. 412, et sic scribendum præcipit : « solvunt rorantis vitea Bacchi Cingula ». Etsi vero hanc emendationem ex usitatis hac in materia poetarum dictionibus instruit, nullam tamen Avieni sic corrigendi necessitatem, vel justam rationem video. Immo ipsa Avieni mens et sententia quodammodo lædi videtur, qui per species enarrare vult, Mænadum gestamina Bacchica cum armis permutata, nebrides cum clypeis, thyrsos cum hastilibus : pro linteis vel strophiis Bacchas sibi pectus draconibus vinxisse, pro vittis crinium chelydros implicuisse. Heinsius Mænadibus pro linteis vinculis vitea cingula dat, adeoque Bacchas vitibus suum corpus vinxisse significat, quod ego non memini apud poetas legere, qui vitibus circumplicatos tantum thyrsos memorant. Igitur retinendam vulgatam Avieni lectionem arbitror.

1370. *Viroso.* Heins. l. c. tentat *spiroso ;* sed *virosus* usitatum Avieno epitheton anguium est. Sic vs. 174 *virosos cerastas* adpellat. Ed.— *Pectus junxere dracone* Ven. et Cusp. *vinxere* reliqui.

1371. *Prorepunt crine chelydri.* Heinsius ad Ovid. Met. XV, 620, ex hoc loco apud Valer. Maxim. lib. V, cap. 6, ex. 3, legendum censet : « In capite ejus subito veluti cornua erepserunt », non *emerserunt*, firmatque loco Silii, XIII, 332, de Pane : « opacat tempora pinus, Ac parva erepunt rubicunda cornua fronte », ubi *erumpunt* perperam circumfertur Heins. — *Chelydri.* Prudentius lib. I contra relationem Symmachi, v. 130 : « virides discindunt ore chelydros, Qui Bromium placare volunt ». Vid. Euripid. in Bacchis, et Plutarch. in Alexandri

Excitoque ferox persultat in agmine Mavors:
Dux aquilas in bella rapit, tremit Indica tellus
Pressa pede, et toto tonuerunt classica cælo.
Ergo et Nyssæos discit gens rite recessus,

vita, initio de Olympiade. SCHOTTUS.

1372. *Excitoque ferus* Ven. Cusp. Pith. *ferox* Huds.

1373. *Dux aquilas in bella rapit.* Vere ἀπροσδιόνυσον hoc dixeris, quod Dionysus hic aquilas Romanas in bella rapere dicitur. Sed et Seneca sic peccavit in Phœniss. v. 389, de septem ducibus ad Thebas loquens: « æra jam bellum cient, Aquilaque pugnam signifer mota vocat ». Cæterum Noster respexisse locum Virgilii videtur, Æn. XII, 331: « ad flumina concitus Hebri Sanguineus Mavors clipeo increpat, atque furentes Bella movens immittit equos... gemit ultima pulsu Thraca pedum ». Cf. not. ad v. 1247. W.

1374. *Toto tonuerunt classica cælo.* Nempe ingenti sonitu ad cælum relato et repercusso. Similiter Petronius, Bell. Civ. v. 134: « Armorum strepitu cælum furit, et tuba Martem Sideribus transmissa ciet ». Pro armis et classicis apud Ovid. Art. Am. I, 537, « sonuerunt cymbala toto Litore, et attonita tympana pulsa manu ». Strepitum belli et armorum poetæ amant verbo *tonare* et *tonitru* exprimere. Statius, Th. III, 422: « Tænariumque cacumen Apollineasque Therapnas Armorum tonitru ferit ». Silius, XIII, 10: « Concussa est Daunia tellus Armorum tonitru ». Idem, XIV, 298: « telorum turbine vasto Aggreditur muros, atque armis intonat urbi ». Claud. III Cons. Hon. v. 64: « civilia rursus Bella tonant, dubiumque quatit discordia mundum ». — *Toto tenuerunt classica* Ven. et Pith. *tonuerunt* Cusp. Vad. et Hudson. recte. Adserit hanc lectionem Avieno Drakenb. ad Sil. I, 436, et verbum *tonare* sæpius ad bellum transferri docet.

1375. *Ergo et Nyssæos discit gens rite recessus.* Reddit Avienus hunc versum Dionysii 1159: Τούνεκα Νυσαίην μὲν ἐφημίξαντο κέλευθον. Priscianus sic v. 1057: « Hic via, quam celebrat nomen, Dionysia, Bacchi ». Hic itaque intellexit κέλευθον Νυσαίην de regione, qua incesserit vel decurrerit Bacchus cum exercitu. Ad quam interpretationem forte adductus est eo, quod Dionysius paullo ante dicit, apud Gangem locum quemdam honoratum ac sacrum esse, quem olim Bacchus iratus calcaverit. At mihi non videtur Dionysius cum locum sacrum significare per Νυσσαίην κέλευθον voluisse, sed ipsum decursum vel tumultum bellicum Bacchi, quem dicit gentem Indorum ita vulgasse, vel celebrasse, ut orgiis institutis imitaretur. Hunc sensum sequutus est Avienus, *Nyssæos recessus* nominans. Qui quamquam aliis locis *recessus* et *recedere* dicit interiores et remotiores tractus terræ, ut v. 386, 1062, 325, 913, hic tamen intelligendus videtur de recessu, vel actu recedendi ipsius Bacchi ad interiora vel remotiora loca Indiæ, quæ sunt ad Gangen, vel ad Nysam. Suadet hunc sensum verbum *discit*, quomodo legendum ex aliis rationibus firmamus infra, quod

Et stata sollicito deducunt orgia ritu.
Ipse dehinc diros ut Liber perculit Indos,

nisi de actu, vel ritu quodam usurpari vix potest, et re ipsa de artibus, ritibus et sacris ad posteros propagatis adhiberi solet, ut apud Valer. Flacc. VI, 291 : « parvique viam didicere nepotes », et Grat. Cyn. 8 : « contiguas didicere ex artibus artes Proserere ». Suadet etiam sequens versus, qui si *recessus* de ipso decursu Bacchi et Bacchantium intelligatur, multo melius cum priore versu cohæret, quam si *recessus* de via vel regione aliqua accipiatur. Nam propterea, quod gens Indorum ex fama antiqua Bacchi ad eos excurrentis didicit, qui ejus discursus fuerint, hinc instituit eos imitari, et stata orgia solenni ritu deducere. Denique sic interpretatus Avienus præstat plane atque complet, quod versu 1361 narrare promisit, nempe incursum bellicum Bacchi perpetui apud Indos sacri originem fuisse. W. — *Nysæos dixit gens rite recessus* Ven. Cuspin. Vadian. et Ortel. *discit* Pith. Huds. *dicit* volnit Higtius, propter Dionysii ἐφημίξαντο, notante Schradero. Quid vere scripserit Avienus, *dixit* an *discit*, in ambiguo est : utrumque enim admittit græcum ἐφημίξαντο. Si *dixit* scripsit, ἐφημίξαντο de sola adpellatione accepit, quod sequutus est Prisc. qui v. 1057 : « Hic via, quam celebrat nomen, Dionysia, Bacchi »; si *discit*, etiam de ritu, Bacchi discursus per orgia imitandi, inter Indos divulgato. Et huic lectioni favet, quod additur *rite*, quod adverbium verbo *dicere* non aptum videtur; favet etiam τῷ *discit*, quod sequente versu pergitur cum verbo præsentis temporis *deducunt*. Et antiquæ scripturæ *dixit* ea forma et ratio est, ut facillime corrumpi e genuina *discit* potuerit. Malui igitur præferre *discit*. Plures ejus lectionis rationes invenies in priore parte hujus notæ.

1376. *Deducunt orgia ritu.* Schraderus in Observ. p. 84, hunc versum pro exemplo adducit, quo doceat, poetas post nomen singularis numeri, præsertim collectivum, verbum pluralis num. frequenter ponere, provocatque ad Virg. Æn. VIII, 146 : « Gens eadem, quæ te, crudeli Daunia bello Insequitur; nos si pellant, nihil abfore credunt, Quin omnem Hesperiam penitus sua sub juga mittant ». Schr. — *Deducunt orgia.* Supra explicatius v. 889 : « Orgia ludentes... Deduxere choros, Nysæi ludicra ritus »; item v. 1002 : « Mæonis hic etiam deducit turba choreas ». W.

1377. *Ipse dehinc diros et Liber* Ven. Cusp. *diros ubi Liber* Vad. *ut Liber* Pith. et Huds. quod præfero, nempe *ut* pro *postquam*. Pro *diros* Oddius mavult *duros*, Schraderus etiam *tætros*, ut v. 1311, quia Dionysius κελαινῶν. Præter hoc auctor in Obs. Misc. vol. I, t. III, p. 378, Avienum etiam *nigri*, *fusci*, aut simili verbo uti potuisse adfirmat, si Dionysium sequutus esset, quem tamen in epithetis raro expressisse fatetur. Idcirco ipse corrigere vult *dites*, quia Avienus *ditem Asiam* sæpius nominat, ut v. 696 et 822. Sed omnem hanc in epithetis lubricam conjecturam esse monet Burmannus in subjecta nota, et *diros* adeo Indos pro *tætris* vel *nigris* ab

Hemodi victor conscendit verticis arces,
Effusamque solo gentem procul adspicit omnem:
Ima jugi exstantis vestigia gurgite canent.
Oceani Eoi prætento denique Bacchus
Litore, et extrema terrarum victor in ora,
Ducit laurigeros post Indica bella triumphos,
Erigit et geminas telluris fine columnas,

Avieno dici potuisse, adfirmat, quia nigri propter colorem inauspicatum et ominosum *diri* recte dicautur. Subjicit locum Lucani, lib. I, v. 615: « Diffusum rutilo nigrum pro sanguine virus », ubi magno uumero codices habeant *dirum*, cujus glossam esse putat *nigrum*.

1378. *Hemonii victor* Ven. *Hæmodii* Cusp. *Emodii* Ortel. *Hemodi* Vad. *Emodi* Pith. et Huds.

1379. *Effusamque salo gentem:* sic omnes edd. sed non dubium est, quod Schrad. in sch. conjicit, legeudum esse *Effusamque solo:* qui tamen ubi *simul adspicit* vult pro *procul adspicit*, id minus probare possum. *Procul* potius rectum aptumque esse, ex simillimo loco Petronii perspici potest, Bell. Civ. v. 279, ubi Discordiam fiugit in Apennino monte coustitisse: « Alta petit gradiens juga nobilis Apeunini, Unde omnes terras atque omuia litora posset Adspicere, ac toto fluitantes orbe catervas ».

1380. *Ima jugi vestigia canent*, h. e. cana et spumante æquoris unda adluuntur, ut v. 624: « tumidis se fluctibus edunt Insulæ, et inserto canescunt undique ponto ». Vestigia pro pede vel radicibus montis. Vid. v. 481 et 844. W. — *Iama juga exstantis* Pith. e Ven. *Ima juga ex tantis* Cusp. *Ima jugi exstantis* Vad. et Huds. quod etiam conjecit Ortel. et Withof. *Summa jugi* couj. Huds. sed infeliciter. Idem *canent Oceani Eoi* vult conjungere.

1383. *Ducit laurigeros post Indica bella triumphos.* Victoria et triumpho Bacchi Indico nihil apud poetas celebratius. Meminit Ovid. Met. IV, 20; Fast. III, 465; Stat. Theb. IV, 387, et inprimis lib. VIII, 237: « Ceu modo gemmiferum thyrso populatus Hydaspen, Eoasque domos, nigri vexilla triumphi Liber, et ignotos populis ostenderet Indos ». Sed nemo luculentius et copiosius triumphum Bacchi descripsit, quam Sidonius Apoll. Carm. XXII, quod Burgus Pontii Leontii inscribitur. Quando Avienus *laurigeros* Bacchi triumphos vocat, nescio an satis considerate scripserit. Nam Bacchi omnia, currus et arma, pampini, vites et hederæ ambiunt, non lauri. Etsi in Homeri hymno altero in Bacchum, v. 9, Κισσῷ καὶ δάφνῃ πεπυκασμένος, *hedera simul et lauro ornatus* dicitur, hæc tamen unica lauri mentio non permittit, ut proprium Bacchi gestamen existimemus. *Triumphos* etiam quod Baccho tribuit, hoc improprium est, quamquam non plane insolens aliis. Nam de Achivis et Agamemnone Horat. Carm. II, 4, 7: « Arsit Atrides medio in triumpho Virgine rapta ». W.

1384. *Erigit et geminas telluris*

Invisitque dehinc Ismeni fluminis undam.

Has tantum gentes commendat fama per orbem.
Vile aliæ vulgus, pecorum vice, terga pererrant
Cespitis abjecti : non his aut gloria forti
Parta manu est, aut clara decus peperere metalla
Terrarum venis : habitant ignota locorum
Semper inexpertes famæ, per inhospita degunt
Arva procul, nullis sunt dignæ denique Musis.

fine columnas. De columnis Bacchi jam supra v. 824 seq. egit. Plin. lib. VI, cap. 16 : « In Sogdianorum ultimis finibus Alexandria ab Alexandro M. condita. Aræ ibi sunt ab Hercule ac Libero Patre constitutæ, item Cyro, et Semiramide et Alexandro ». Ad eum locum Harduinus Avieni testimonium citat. Meminit etiam Apollod. Biblioth. III, cap. 5, 2 : Διελθὼν δὲ Θρᾴκην, καὶ τὴν Ἰνδικὴν ἅπασαν, στήλας ἐκεῖ στήσας, ἧκεν εἰς Θήβας· quamquam in his verba ea, quæ Indiam spectant, glossema esse, e margine illatum, suspicatur Heynius V. C. W.

1385. *Invisique* pro *Invisitque* Ven. mendose : *undas* habebat Ort.

1387. *Vile aliæ vulgus.* Significanter *vile vulgus* adpellat multitudinem hominum, qui nullius animi et pretii, et nullo discrimine vel loci, vel vitæ, vel studii, incultas terras pererrant, quemadmodum *vulgus iners*, *vulgus inane* de umbrarum apud inferos innumerabili turba usurpant poetæ, Stat. Theb. I, 94; Claud. R. P. I, 21. Respectu aliorum hominum *vulgus iners* vel *vile* est contemptum et imbelle, quod strenuis fortibusque opponitur. Vid. Stat. Th. V, 120, et Maro, Æn. XI, 372 : « Nos animæ viles, inhumata infletaque turba, etc. » W. — *Vile aliæ vulgus*, sic omnes editiones. *Mille aliæ vulgo* cod. Ortel. Librarius hoc finxisse ex aliis Nostri locis videtur, ut v. 315 : « Innumeræ gentes, populorum examina mille Arva tenent »; et v. 845 : « Mille dehinc amnes unus vomit ».

1388. *Cespitis abjecti*, interpretor terræ sterilis, contemptæ, ab aliis gentibus spretæ et derelictæ, quomodo et Noster in Or. Mar. 446 : « litus hic rursum patet, Vacuum incolarum nunc et abjecti soli ». Sic *abjectus neglectusque* conjungitur apud Cicer. de Fin. III, 20 : « Minime autem convenit, cum ipsi inter nos abjecti neglectique simus, postulare, ut Diis immortalibus cari simus ». Sic *contemptus ager* dicitur Nasoni, Nuc. v. 59. Cæterum comparari hoc cum loco possunt, quæ supra dixit v. 1147 : « glebas abrodunt more ferarum Jejunas herbæ ». W. — *Non his aut gloria forti*, etc. Eamdem plane formam orationis supra adhibuit v. 807, 1146. W.

1391. *Inexpertes famæ*; vid. v. 920, et conf. v. 1140. W.

1392. *Nullis sunt dignæ denique Musis*; ut v. 804 : « hæ tibi tantum Carmine sunt dignæ ». W.

At tu, Phœbe pater, vos clari turba, Camenæ,
Nominis, Aonio famam inspirate labori.

1393. *Nos clari* Ven. *vos clare* Cusp. et Vad. *vos clari* Pith. et Huds.

1394. *Famam inspirate labori.* Tamquam animam et vitam inspirate (vid. Virgil. Æn. VII, 351; Ovid. Metam. IV, 497) huic operi meo, ut vivat et celebretur per sæcula; quemadmodum Ovid. in fine Met. de se: « Ore legar populi, perque omnia sæcula fama, Si quid habent veri vatum præsagia, vivam ». W. — *Inspirare* quidem de Diis frequens. Sic Amor dicitur inspirare carmina: ποιητὴν δ' ἄρα Ἔρως διδάσκει, κἂν ἄμουσος ᾖ τὸ πρίν. Virg. Æn. VI, 11: « magnam cni mentem animnmque Delius inspirat vates, aperitque futura ». Sed *inspirare famam* Avieno proprium, nec facile defendi posse videtur. Ed.

EXCURSUS I

AD DESCRIPT. ORB. TERRÆ, vs. 116 et 117.

.... populis caput Æneadarum
Alba, dehinc cautes est terminus.

Hudsonus legit *Ænea clarum*, et Avienum putat hoc epitheton Albæ Longæ tribuisse, quod ab Ascanio Æneæ filio condita fuerit. — Verissima lectio *Æneadarum*, pro *Ænea clarum*, munitur auctoritate codicis Ambrosiani. Eamdem Josephus Scaliger ingenii ope repererat, et in Ambros. repertam similibus firmaverat Nic. Heinsius, ut Prisciani versu 337 : « tellus jacet Ausonidarum ». Vitii caussa est litera *d* in *cl* mutata, quod sæpe accidit (vid. Scal. ad Manil. IV, p. 306; Markl. ad Stat. II, 7, v. 46), et hinc vox una in duas distracta. Sensum loci (non intellecti N. Heinsio, quod infelix docet in illum conjectura : « populis caput Æneadarum Alba, dehinc Caulon est terminus ») viderat et bene distinxerat E. Halleius, emendare conatus : « populis caput Æmona clarum, Alba dehinc cautes est terminus ». Sed *Æmona* ferri omnino nequit. Non me fugit locus Herodiani, VIII, 1 : πρώτῃ Ἰταλίας πόλει, ἣν καλοῦσιν Ἡμῶναν, et quæ Wessel. ad Itiner. Hier. p. 560, pro Herodiano contra Cluverium et Cellarium molitus est. Sed quis ferat urbem, quam viri docti *Labacum*, Carniolæ caput, esse consentiunt, septemtrionale caput Italiæ dici? Ne nunc dicam metri leges sic violari videri. Ἥμωνα enim vocatur Ptolem. pag. 63, nec libri Pal. et Coisl. variant. conf. Zosim. V, p. 334. Sed tædet hærere in emendatione perspicue falsa. Schr. — Hanc Schraderi adnotationem iisdem verbis dedit Cl. Friesem. in præf. ad Av. Descr. Orb. Et breviter

notatam hujus loci emendationem jam inveni in schedis Schraderi, ipsius manu scriptis. Wd. — *Populis caput*, etc. Quoniam super loco hoc vexatissimo plura occurrunt memoranda, quam quidem Schraderus dixit, et nonnulla uberius exponenda sunt, singularem hic dissertationem, quodam excursu facto, subjiciam, qua primum varias discrepantesque conjecturas super eo loco factas recenseam omnes, deinde ejus recte constituti sensum uberius declarem. Versum hunc corruptissimum Pithœanæ editionis, ex antiqua Veneta haustum, ut primi rectius dederint et distinxerint Cuspin. et Vadianus, jam memoravimus in var. lect. Sed ignorata hæc melior lectio miras interpretationes corruptæ Pithœanæ peperit. Barthius, Advers. XL X, 13: « ænea alba cautes » conjungit, et putat Avienum Æneam cum Leucopetra confundere columnam, quam Dionysius supra v. 67 in Atlante dixit esse, sed tamen cur æneam petram dixerit, ei non liquet. Hudsonus, cujus lectionem supra dedimus, de *Alba Longa* sermonem esse putat. Auctor in Observ. Misc. fortasse Wassius, vol. I, t. II, p. 273, videns, ab Ænea dicendum fuisse Æneia, sumit vocem *Ænea* pro interpretatione, quam librarius forte substituerit, vocis minus cognitæ *Ilia*, sicut *Ilia regna* Virgilio dicantur, et *Iliaca Alba* Lucano. Oddius, memorante Hudsono, τῷ *Ænea* substituit *antea*, eoque Albam dici putat populis caput antea clarum fuisse. Eodem teste Edm. Halleius aliud substituit, nempe *Æmona*, cujus sententiam supra explicatius tradit et reprehendit Schraderus. Qui denique veram lectionem *Æneadarum* studio suo et codicis Ambros. auctoritate invenerunt, tamen in altero versu vel distinguendo vel corrigendo aberrarunt. Nic. Heinsius eam similibus nominum formis confirmavit, ut Prisciani vs. 338: « tellus jacet Ausonidarum »; vs. 475: « dehinc rupes Æolidarum »; et vs. 670: « post fines Tyndaridarum ». Magis servire ad vocem eam illustrandam poterat Virgilius, qui Æn. III, 18, urbem Αἴνειαν, ab Ænea in Chersoneso Pallene conditam, *Æneadas* adpellat, incolarum

nomine ipsam urbem designans, ut monuit Heynius V. C. in Exc. I ad Æn. III, t. II, p. 443 edit. nost. Ed. —Et miror sane, nemini interpretum, pro corrupta lectione *Ænea clarum* laboranti, in mentem venisse, Avienum fortasse, ad exemplum hujus urbis *Æniæ*, ipsam Romam sub *Ænea* intellexisse, caput populis datum. Sed ut de Heinsio pergam, idem *Alba* sequentis versus retulit ad priorem, et *cautes* mutandum putavit in *Caulon:*

.... populis caput Æneadarum
Alba, dehinc Caulon est terminus.

Caulon vero est urbs maritima in Brutiis extremæ Italiæ, quam Strabo et Plinius suo tempore desertam jacuisse produnt. Qua infelice conjectura, ut judicat Schraderus, locum Dionysii se non intellexisse fassus est Heinsius. Alia denique est interpretatio V. C. Petri Fonteinii, cujus sententiam suis ipsius verbis Friesemannus in præf. ad Avieni Descr. Orb. pag. 14 seq. retulit. Ille scribendum et distinguendum existimat:

.... populi caput Æneadarum
Alba, dehinc cautes, est terminus.

Nempe distinctionem ait non ponendam esse post *Æneadarum*, sed post *Alba;* idque nomen haudquaquam, ut adjectivum conjungendum esse cum *cautes;* licet cæteroquin illa cautes *Leucopetra* fuerit adpellata. *Terminum* referri ad utramque, ad *Albam* et ad *cautem*. Vocula *dehinc* Avienum uti de parte opposita, nempe australi, quum antea partem Italiæ borealem memoraverit. Similiter eum infra versu 140, ubi docet, mare Hadriaticum «in Boream se fundere» eo loco, ubi sinus Ionius cum eo conjungitur, id est, a parte australi, scripsisse *dehinc*, atque adeo in parte boreali, illud flecti in Zephyrum. *Caput* Æneadarum positum esse existimat pro origine eorum. Loqui nimirum de *Alba Longa*, unde Æneadæ, sive Romani, originem duxerint, unde et *mater* Romæ vocetur ab Augustino, de Civit. Dei lib. III, cap. 14. Hinc quoque verisimile fieri, in

V. 24

Avieni loco non legendum esse *populis*, sed *populi*, ut *Alba* dicatur *caput*, et veluti mater, *populi Æneadarum*, sive populi Romani. Itaque concludit, omnino Avienum significare voluisse, *Albam Longam* a boreali parte, *Leucopetræ* promontorium ab australi *terminum esse* Ausoniæ. Addit tamen, non multum obniti se, si quis nomine *cautis* non *Leucopetram*, sed Ausoniæ τελευταῖον ἀκρωτήριον Ἡράκλειον intelligere malit. Sententiæ hactenus memoratæ omnes Albam Longam in Avieni versibus inveniunt; in hoc tantum Fonteinii sententia differt a reliquis, quod hi existimant, Albam Longam Avienum in parte boreali Italiæ posuisse, ille, plane pro termino boreali Italiæ, vel Romanæ ditionis in Italia habuisse. Utrumque non solum contra sententiam Dionysii est, qui vs. 77 seq. de universa Italia, sive de Romanis Italiæ dominis, loquitur, nec ullum Albæ Longæ indicium habet, sed etiam plane contra veritatem geographicam. Quis enim unquam dixerit Romanorum terras ab Alba Longa incipere, terminari in Leucopetræ vel alio Italiæ promontorio? Dionysius ipse nihil aliud memorat, quam Italos, qui et Ausonii, longe lateque dominantes, terram, h. e. Italiam colere inde a Borea usque ad Leucopetram. Hanc sententiam accurate expressit Priscianus vs. 81:

> Qua domini rerum terris crevere Latinis,
> Ad Petram Leucen Aquilonis ab axe reductis.

Neque Avienus credendus est diversa ab his dicere voluisse, licet hic sententiam Dionysii luculentius elegantiusque Prisciano exprimat. Itaque recentiores interpretes verba Avieni, meliore distinctione adhibita, magis ad sensum Dionysii accommodarunt, et in *Alba caute* non Albam Longam, sed Λευκὴν Πέτρην Dionysii, et *Petram Leucen*, sive Leucopetram, Prisciani invenerunt. Nimirum Oudendorpius in Observ. Miscell. vol. V, tom. I, quem sequutus est Schraderus, sic totum locum constituendum censuit:

> Qua se flabra trucis Boreæ per inhospita terræ
> Eructant cælo, populis caput Æneadarum,
> Alba dehinc cautes est terminus.

Eumdem sic interpretatur, ut dicat Avienus, *genus Æneadum* (ut loquitur Virg. Æn. I, 565) ortum seu principium regionis capere ab Septemtrione, et æquore Ligustico, ac finem ad Leucopetram, sive *Albam cautem* habere. Sic sæpius mentem exprimit Avienus, ut vs. 265 :

> Gades principium est. Caput hujus cespitis autem
> Arctius angusto conducit litora tractu, etc.
> Terminus immensis Arabum concluditur oris.

Nempe ex consuetudine Avieni *caput* non dicitur origo vel patria alicujus gentis, ut Fonteinius interpretabatur, sed principium et ingressus terræ. Aperte hoc Avienus, paullo ante hunc locum, docet, ubi de Gadibus, postquam « oram terræ ultimam » dixerat v. 98, mox v. 104 subjicit : « caput autem principiumque Europæ et Libyæ est ». Idem v. 193 : « pelagi caput incipit Imbro ». *Populis* ubi dicit plurali numero, facile intelligitur, plures gentes et terras Æneadis vel Romanis parentes, hoc est, universam Italiam designari. Sæpe sic loquitur Avienus, ut *populos* pro partibus vel terris unius gentis ponat, ut versu 481 :

> .... indeque Cempsi
> Gens agit, in rupis vestigia Pyrenææ
> Protendens populos,

ubi nihil mutandum puto. Quando autem populis Romanis caput et principium dicit esse a regione, qua « Boreas flat per inhospita » terræ, ab Alpibus dicit incipere, quibus accolunt gentes barbaræ et inhospitales, Galliæ scilicet et Germaniæ. Hoc eodem loco, quem modo adduximus, declarat, ubi v. 483 pergit :

> .... mediam secat Apenninus
> Ausoniam : nam qua boreali vertice ad æthram
> Concrescunt Alpes, surgit caput Apennino.

Alio loco *inhospita terræ* tribuit Gallis in confiniis Italiæ, vs. 421 seq.

> Inde Pyrenæi turgescunt dorsa nivalis,
> Gallorumque truces populi per inhospita terræ

Vitam agitant: tum cæruleum Padus evomit antro
Flumen, etc.

Sic facile declarari potuit vis et sensus descriptionis, quam hoc loco exsequitur Avienus, postquam virorum doctorum penitiore cura loci corruptissimi vera lectio et distinctio inventa est. Enimvero hic locus illustri exemplo esse potest, quantum turbarum excitare inter criticos et interpretes, quotque commenta et pæne monstra opinionum parere unius loci corrupta lectio, vulgatas editiones obsidens, possit, quando ad eam vel corrigendam vel interpretandam consurgunt eruditi, antequam vera et genuina reperiatur. Quam quidem hoc in loco invenerunt conjectura non magis, quam auctoritate codicis Ambros. adducti; sed in ista disquisitione quis satis miretur, nullam editionis a Vadiano proditæ, quæ proximum paratumque auxilium offerebat, mentionem factam esse, et tantopere vel negligi, vel ignorari potuisse præstantissimum Avieni exemplum, quod recentiora omnia elegantia et accuratione longe superat? Nam in ista editione locus hic de terminis Italiæ ita dudum constitutus, correctus, distinctus præjacet, uti eum viri eruditi post longas conjectationes correctum et distinctum voluerunt. Immo, quod magis mireris, qui de emendando Avieno inprimis sunt meriti, nec tamen ullam Vadiani rationem habuerunt, viri docti in Batavis sunt, quorum in præstantissima bibliotheca, quæ Lugduni Batavorum est, hæc ipsa Vadiani editio exstat, ut in ejus bibliothecæ catalogo, p. 198, legitur. Wd.

EXCURSUS II

AD DESCR. ORB. TERRÆ, vs. 140-143.

. . . . dehinc deflexa parumper
Alta petunt, rauco penitus repentia fluctu:
Hic sinus Ionius curvatur litoris acta,
Cespitis et gemini tellus irrumpitur alto.
Nam qua cæruleis, etc.

Editiones omnes habent et distinguunt:

. . . . dehinc deflexa parumper.
Hic sinus Ionius curvatur litoris acta,
Alta petunt rauco penitus repentia fluctu,
Cespitis et gemini tellus irrumpitur alto.
Nam qua cæruleis, etc.

Quæ contorta esse, nec expeditu facilia, quivis videt. Itaque non miror, Oddium et Hudsonum diversis illa conjecturis tentasse. Ego bis diversis temporibus, trajectione duorum versuum facta, locum integritati sic restitui:

. . . Zephyrumque dehinc deflexa parumper
Alta petunt, rauco penitus repentia fluctu.
Hic sinus Ionius curvatur litoris acta,
Cespitis et gemini tellus irrumpitur alto.

Hanc trajectionem firmat et probat Dionysius versu 92 et seqq.

Κεῖθεν δ' εὐρυνθεῖσα τιταίνεται Ἀδριὰς ἅλμη
Πρὸς βορέην· αὖθις δὲ πρὸς ἑσπέριον μυχὸν ἕρπει·
Ἥντε καὶ Ἰονίην περιναίεται οὐδ' ἄξαντο.
Δισσὰς δ' ἠπείρους ἀπαμείβεται·

et Priscianus versu 95 et seqq.

Illic incipiens extenditur Adria vastus,
Ad Boream penetrans pelago, solemque cadentem.

Ionius pariter sinus hic perhibetur ab orbe,
Dividit et geminas diversis partibus oras.

Hanc Strabo, lib. II, pag. 123, vel 185 ed. Alm. Ὁ δ' Ἰόνιος κόλπος μέρος ἐστὶ τοῦ νῦν Ἀδρίου λεγομένου. Τούτου δὲ τὴν μὲν ἐν δεξιᾷ πλευρὰν ἡ Ἰλλυρὶς ποιεῖ. τὴν δὲ εὐώνυμον ἡ Ἰταλία, μέχρι τοῦ μυχοῦ τοῦ κατὰ τὴν Ἀκυληΐαν. Agath. lib. I, cap. 3: τὸ δὲ στόμα τοῦ Ἀδρίου, ὃ καλοῦσί τινες Ἰώνιον πέλαγος, etc. Hanc ipsa res, et Ambrosianus codex, sero a nobis inspectus. Et sic ingrata tollitur repetitio verborum *Alta* et *alto*, quæ prius in subsequentibus versibus recurrebant. Dicet aliquis, simillimas repetitiones non abhorruisse poetam, ut Descr. Orb. v. 184, 945, 1119, 1125, 1245, sed idem fateri cogetur, eas non valde gratas esse. Bentleius quidem tantopere iis offendebatur, ut centum et plura Lucani loca hoc uno nomine suspecta corrigere conaretur. Cæterum nostro similis est locus, v. 171:

Curva salo forma est: hinc sese marmora ponti
In Zephyrum torquent, ac flexu lubricus errat
Gurges, et exesas illabitur unda lacunas.

Marmora et *alta* sunt synonyma, quæ poeta suo more variat. Oræ mar. vs. 382:

Late patere pelagus, extendi salum
Himilco tradit.

Vers. 543: « Quiescit æquor, pelagus inclusum stupet »; et vs. 548: « Hæc propter undas atque salsa sunt freta ». Denique « Alta Zephyrum petere » dicuntur, ut « pelagus Boream » apud Prisc. vs. 139. Vid. Oudendorp. ad Lucan. II, 435. Schr. — Eamdem adnotationem exhibuit Cl. Friesem. in præf. p. 27.

EXCURSUS III

AD DESCRIPT. ORBIS TERRÆ, vs. 346-348.

Nilus enim immensos ulnam dispergit in agros,
Et fovet invecto sata gurgite: Nilus honorem
Telluri reparat: Nilus freta maxima pellit.

Forsan *immersos*. Sic enim Claudian. de Rapt. Proserp. II, 180: «mersa negarent Arva coli». Heins. Sed si arva dici possint *mersa*, non inde sequitur, agros Nili dici posse *immersos*. Immergo enim est *intus mergo*, *demergo*, *immitto*. Schr.—*Nilus enim mersos*. Higt. Quia Dionys. 228: Οὐ γάρ τις ποταμῶν ἐναλίγκιος ἔπλετο Νείλῳ. Sed Avienus Dionysii γὰρ non semel omittit, ut vs. 62: «Vix hebes has oras ardor Titanius adflat», et vs. 105: «mediis infunditur oris»: ubi scribere proprie debuerat: «Vix etenim has oras», et «mediis nam funditur oris». Schr.—Valeret hoc argumentum, si ubique omisisset. Vellem sane probasset Vir doctissimus Higtii conjecturam, elegantem, Dionysio congruam et nullis difficultatibus obnoxiam; proxime autem ad Heinsianam accedentem. Wass. — *Ulvam dispergit.* Antea erat *ulnam.* Huds.—Apud Avienum, Descr. Orb. v. 345: «Nilus et immensos ulvam dispergit in agros», ubi pessime *ulnam* legitur. Heins. ad Ovid. Met. XIV, 103. In Ven. et Ambr. est *ulvam*. Broukhusius quoque *ulnam* in edit. Madrit. in *ulvam* mutavit. Ego vero miror elegantibus hominibus *ulvam* placere potuisse. Nam quæ laus fluvii, ulvam in agros dispergere? Præstaret *undam*, ut Noster Phænom. 798: «Arentesque locos unda fecundat alumna». Sic jungerentur synonyma: «undam dispergit in agros, Et fovet invecto sata gurgite». Voces autem permutantur, ut in Propertianis: «Et quæcumque meos implicat unda pedes». Sed quid tri-

camur? Legendum: « Nilus et immensos limum dispergit in agros, Et fovet invecto sata gurgite». Nihil frequentius de fluviis, ut Plin. V, 19, de Mæandro: « Omnesque eos agros fertilissimo rigans limo ». Atque adeo de Nilo Servius ad Georg. IV, 291: » Novum enim semper limum trahit, qui efficit fecunditatem, unde et Nilus dictus est, quasi νέαν ἰλὺν, h. e. novum limum trahens: nam antea Nilus Latine Melo dicebatur». Idem ad Æn. IX, 31: « Nilus dictus est, q. νέαν ἰλὺν, h. e. novum limum trahens; quod volens exprimere dixit *pingui flumine*, i. e. fluore, quæ res fecundam efficit terram: quod et ipse in Georgicis ostendit dicens, II, 187: « Liquuntur montibus amnes, Felicemque trahunt limum ». Item Georg. IV, 291: « Et viridem Ægyptum nigra fecundat arena ». Ad eos qui nomen inde duxerint, pertinet Nonnus, III, p. 100: Χεύματι πηλώεντι νέην περιβάλλεται ἰλύν. Hinc *oblimati agri* apud Cicer. de Orat. II, 52. Illustris et perappositus est Malleti locus Itin. Part. I, p. 62, quem Jablonskyus latine vertit Panth. Æg. Part. II, p. 167. Si nunc quoque dubitas, inspice Dionys. 229: Οὔτ' ἰλὺν βαλέειν, οὔτε χθονὸς ὄλβον ἀέξειν· et Prisc. 218: « Atque trahens limum complectitur ubere campos », ubi male N. Heinsius tentabat *lino:* nam refutatur imitatione Maronis, Georg. II, 188: » Felicemque trahit limum »; quem sequutus item de more Just. lib. II, 1: « sive Nili trahentis limum ». Cf. Serv. l. l. Schr.—Quod pace magnorum virorum fiat, qui pro antiqua lectione *ulnam* aptius vocabulum inducere voluerunt, sentio equidem, lectionem eam satis commodam et tolerabilem esse; positamque esse *ulnam* pro abundantia, vel incremento aquarum Nili ad justam mensuram ascendentis, quæ fecunditatem Ægypto inferebat. Hujus mensuræ, quæ per cubitos indicari solebat, solenne vocabulum erat *ulna* vel *cubitus*, Græcis ὁ πῆχυς, solebatque ea annua celebritate et solenni pompa deferri et adservari in Serapidis templo, et post Constantini Magni tempora in ecclesia Christianorum. Adi Jac. Gothofredum ad Cod. Theod. lib. IX, tit. 31 *de Nili agger.* et *Jablonsky* Panth. Æg. Part. II, pag. 171 et 240 seq. Licebat igitur Avieno certam ubertatem Nili *ulnam* dicere,

quemadmodum in legibus Romanis *digitus* vel *uncia* aquæ mensura dicitur, quæ ex castellis publicis in ædes derivanda conceditur. (Vid. Wesseling. Observ. var. lib. II, cap. 27.) Hinc *Nilus ulnam dispergit in agros* significat, Nilus ad justam ubertatem increscens « per campestria vagus, in plura scinditur flumina, manuque canalibus factis, ut sit modus in derivantium potestate, per totam discurrit Ægyptum », quæ verba sunt Senecæ Nat. Quæst. IV, c. 2, p. 749. Verbum *dispergit* illustrat Lucan. IV, 142, ubi de Sicori flumine in rivos diducto : « Spargitur in sulcos, et scisso gurgite rivis Dat pœnas majoris aquæ ». Quod si forte quis durius obscuriusque dictum existimet *ulnam dispergit in agros*, nihilo tamen meliorem emendationem esse arbitror, si quis *ulvam* vel *limum dispergit* legere malit. Illud enim contrarium sententiæ auctoris est, qui laudare Nilum vult; hoc a vestigiis priscæ scripturæ nimium aberrat, et nihil sensu differt ab eo, quod statim subjicitur : « Et fovet invecto sata gurgite ». Quid multa? aptissimum elegantissimumque arbitror legere :

Nilus et immensos vitam dispergit in agros.

Hæc lectio, summum aquæ Niliacæ beneficium exprimens, maximam omnino vim habet ad laudem Nili, quam Poeta hoc loco enarrare vult; valde item similitudine literarum ad vulgatum *ulnam* vel *ulvam* accedit; denique verbis sequentibus tam bene congruit, ut ab his explicetur magis et illustretur : « vitam dispergit in agros, et fovet invecto sata gurgite : Nilus honorem Telluri reparat, etc. » Nempe mirificam virtutem aquarum Nili laudat, qua vitam, vigorem, viriditatem, ubertatem per omnes agros Ægypti, non modo seminibus frugibusque, sed animantibus variis generandis, alendis, augendisque diffundat. Vulgaris communisque hæc fama de Nilo multorum scriptorum testimoniis confirmatur; sed præcipuum nunc testem adlego Pomp. Melam, qui lib. I, cap. 9, de Nilo et Ægypto : « Non pererrat autem tantum eam, sed æstivo sidere exundans etiam irrigat, adeo efficacibus aquis ad generandum alendumque, ut, præter

id, quod scatet piscibus, quod hippopotamos crocodilosque, vastas belluas, gignit, glebis etiam infundat animas (quidam *vitam* legunt) ex ipsaque humo *vitalia* effingat. Hoc eo manifestum est, quod, ubi sedavit diluvia, ac se sibi reddidit, per humentes campos quædam nondum perfecta animalia, sed tum primum accipientia *spiritum*, et ex parte jam formata, ex parte adhuc terrea, visuntur». Eodem modo vitalem hanc virtutem Nili describit Ovid. Metam. I, 422 seqq. *Vitam dispergit*, quamvis alio sensu, usurpavit Virgilius, Æn. XI, 617. *Vitam* autem et illam dici, quæ satis arboribusque contingat, Plin. Hist. Nat. X, cap. 64, et pluribus lócis docet. Et quo minus hanc lectionem alienam a stylo Avieni existimemus, ipsum nunc ad confirmandam eam advoco, quando in Phænom. in Equo, vs. 501, de Hippocrene loquens, eam dicit *gurgite* suo *vivificare*, seu vita impertire, *valles*, quas permeat:

...... strepit hæc placido inter saxa susurro,
Atque Helicone cadens sese sitientibus herbis
Inserit, Ascræas donec vaga *gurgite* valles
Vivificet: rigat hac *animas* et Thespia pubes
Semper, et in latices inhiat gens fontis alumni. Wd.

—*Nilus freta maxima pellit*. An *freta* mare Mediterraneum? Silius, I, 197 de Nilo: «Septeno impellens tumefactum gurgite pontum». Prisc. vs. 216: «Septenoque ferit Pellæum gurgite pontum». Sic Lucan. IV, 20: «camposque coercet Cinga rapax, vetitus fluctus et litora cursu Oceani pepulisse suo»; et ipse Avienus, v. 32, de Tanai Mæotin intrante: «et inserto freta pellit vasta fluento»; ut *propello* de Oxo, v. 928: «Caspia propellit fluctu freta». Sed hic Nilus laudatur et commendatur. Quid vero hoc ad ejus commendationem? Nihil ad honorem facit, quod incidit in mare maximum. An igitur *freta* sunt ipsius Nili? *Fretum* et *freta* fluviis tribui constat. Ausonius, Mosella, v. 108: «In nostrum subvecta fretum, ne lata Mosellæ Flumina tam celebri defraudarentur alumno». Vid. Canneg. Obs. Misc. X, p. 176, qui sic pariter vs. 136, 179 et 182 adhiberi docet. Schr. — Mihi

videntur hæc verba de septem fluminibus majoribus, in quæ dividitur Nilus in mare procurrens, accipienda; quæ omnino ad singularem ejus naturam, adeoque laudem, pertinent. *Pellit* igitur est *propellit*, prorsus agit, idem ac *proserit*, quod supra de iisdem dicebat: «scissusque vagis anfractibus æquor Proserit». Et, quemadmodum hic æquor, nunc *freta* dicit ea flumina contra morem suum, ut singularem eorum magnitudinem exprimat. Firmat æque ac illustrat Seneca, qui Nat. Qu. IV, c. 2, p. 750 Gron. «Sic quoque quum se ripis continet Nilus, per septena ostia in mare emittitur: quodcumque elegeris ex his, mare est». W.

EXCURSUS IV

AD DESCR. ORBIS TERRÆ, vs. 378.

Auro fulta gravi, niveo radiantia dente.

Schrad. legendum putat *culta*. Dionys. v. 255:

Ἔνθα Σινωπίταο Διὸς μεγάλοιο μέλαθρον
Χρυσῷ τιμήεντι κεκασμένον·

et vs. 1007:

. . . . δόμον εἵσατο Βήλῳ
Χρυσῷ τ' ἠδ' ἐλέφαντι καὶ ἀργύρῳ ἀσκήσασα.

Prisc. vs. 932: «Cujus in arce domum splendentem fecerat auro: Quam simul argentum varie decoravit, eburque». Ibid. N. Heinsius conj. *culta*, vel *fulva;* sed deinde deleverat. Idem vero vocabulum reponendum in Claud. B. Get. 223: «Fultaque despiciens auro laquearia dives, Tutior Æoliis, etc.» (quamquam dissentiunt Burmannus et Gesnerus. Sed et

Heinsio aliquando visum est scribi debere *Cultaque*) nec non in Statio (verius Saleio Basso) de laud. Pisonis, vs. 8: « Nam quid imaginibus, quid avitis fulta triumphis Atria, quid pleni numeroso consule fasti Profuerint, cui vita labat? » consentit Cortius, qui: forte *culta*. Similem medicinam Gebhardus fecit Statio, Theb. I, 144, fastidiose quidem rejiciente Gron. Diatr. Stat. c. 55, p. 357. Sed cujus aures ferre possint *fulta* et *effulta* tam sibi invicem vicina? Vulgatam tamen Statii lectionem tuetur Prudent. contra Symm. II, 837: « Regia gemmato laquearia fulva metallo ». Schr.—Nolim ego vulgatam lectionem, *Auro fulta gravi* deserere, aut in aliis locis poetarum, quæ *fulta* habent, temere id mutare in *culta*. Facile est infrequenti vocabulo notius substituere, at librarios, non credibile est, usitatam et obviam vocem *culta* in rariorem lectioremque *fulta* corrupisse. Avienus verbis Dionysii numquam adstringitur, et sua sibi habet. Videntur, qui *fulta* profligare volunt, notione vulgari verbi *fulcire*, i. e. sustinere, offendi, ut putent, templa, laquearia *auro fulta* dici, id enorme et incredibile esse. Sed ipse usus ejus verbi in pari materia non rarus poscit, ut *fultum* alio sensu accipiamus, de crasse confertimque lito, subfixo, stipato aut obducto, quomodo et *subnixus ostro*, h. e. indutus, dicitur, item *satiatus auro*, ut in hoc Statii, Silv. I, 2, 153, « Pendent innumeris fastigia nixa columnis, Robora Dalmatico lucent satiata metallo ». Conferatur omnino, qui pluribus locis hæc illustravit, Gron. loco citato. W. — *Auro fulta gravi niveo radiantia dente*. Avienus in ornatu templi describendo aliquid addidit de suo, quam vere, nescio. Sed ebur et aurum millies a poetis conjungitur, ut Dionys. 1008, Avieno ipso vs. 1200; Prisc. 933. Vid. præterea Bochart. de Animal. Script. Sac. p. 252; Apul. de Mundo, p. 739; Chariton. p. 140; Marckl. ad Stat. p. 255. Epitheton *niveo dente* Avienus huc transtulit e Dion. v. 1117: illustrari autem potest ex Silio, IX, 582, XVI, 206; Lucan. X, 144; quem locum male Bentleius tentavit. Schr.

EXCURSUS V

AD DESCR. ORBIS TERRÆ, vs. 589 et 590.

.... adjacet Hæmum
Partibus ab Zephyri Dodonæ vatis alumnus.

In lectione hujus versus constituenda ambigo. Higtio quidem adsentio, qui conjiciebat *Dodone*, qua pro terminatione Græca facit Lucan. III, 441; Claud. III Cons. Hon. 117; Plin. I, 120, 14 (lib. II, c. 103). Et ita in Anthol. Lat. Tom. II, p. 547, auctoritate codicum edi debebat. Porro Higtius tentabat *Dodone patris*, i. e. Jovis, *alumna*. Mihi varia occurrunt. « Dodone Vatis alumna », h. e. Jovis. Item « Dodonæ *mitis, dives, vastus, multus* alumnus ». Nihil tamen horum ipsi mihi satisfacit. Schr. — Quid, si legas : « adjacet Hæmum Partibus a Zephyri Dodone *sortis* alumna ? » Wass. — Ego missis omnibus conjecturis locum hunc non corrigendum, sed interpretandum censeo, et existimo Avienum hic deseruisse Dionysium, et pro Thesprotia, vel *regione Dodones*, ut Priscianus, v. 444, exprimit, montem *Tomarum*, vel *Tmarum*, describere, in quo Dodona oppidum fuit, ac prope nemus et templum oraculumque Jovis Dodonæi, præterea circa radices centum fontes celebrati. Vid. Strabo, VII, p. 328, vel 505 Alm. Plin. IV, c. 1; Solin. cap. VII, p. 16. Tomarum montem pro regione Dodonæ posuit Avienus, quia nominato ante Hæmo, commode sibi transire ab uno monte ad alterum videbatur, et Dodona ipsa sæpius hoc monte designari et describi solet. Stephanus: Τόμαρος ὄρος Δωδώνης· *Dodone Tmaro celsa est*, inquit Solinus l. c. *Celsa* etiam idcirco vocatur Claudiano III Cons. Hon. 117, et Licentius carm. ad August. v. 123: « Finibus abscin-

dit Tomari Dodona Molossos ». Dodona ipsa *vates* adpellatur propter oraculum, quemadmodum *augur* a Propertio, II, 17, 3 : « Sed tibi jam videor Dodona verior augur », et a Claudiano « Tmarii Jovis augur lucus », Bell. Get. v. 18. *Alumnus* mons Tomarus dicitur, ut Gratio v. 100, *Mænalus altor,* Ovidio, Met. IV, 293, *Ida altrix*, et *alumni* Deorum *loci* a Prudentio, II in Symm. v. 502, quibus singulares Dii colebantur : *Dodonæ* autem *alumnus* mons, ut quæque terra urbis vel gentis in ea positæ *alumna* vel *nutrix;* vid. supra v. 289 et 271 : sigillatim propter fontes, qui in Tomari radicibus erumpebant, et sine dubio regionem Dodonæam rigabant, quemadmodum supra Noster Tibrim *alumnum Romæ* dixit v. 495. Vel si per *vatem Dodonæ* sigillatim sacerdos templi, vel adeo quercus Dodonæa fatidica, a Virgilio, Georg. II, 16, Val. Fl. I, 303, Claud. III Cons. Hon. 118, celebrata, intelligatur, potuit Avienus Tomarum montem ejus vatis alumnum dicere, quod luco vel fano Jovis Dodonæi, ad Tomarum sito, continebatur. Quod vero Tomarus haud dubie magnam partem Epiri vel Dodonææ regionis complexus est, hinc recte Avienus potuit Tomarum montem regionis loco ponere, quemadmodum Licentius l. c. fecit, ubi *fines Tomari* sunt fines Thesprotiæ, cui olim Dodona accensebatur. Simpliciter montem pro regione, vel populo adeo, posuit Statius, Silv. I, 1, 80 : « Tu civile nefas, tu tardum in fœdera montem Longo Marte domas », nempe Dacos. Neque adeo mirum est, si nostro loco mons describitur, non expresso nomine, quod ex ipsa descriptione intelligi potest. Wd.

EXCURSUS VI

AD DESCR. ORBIS TERRÆ, vs. 705-709

Omnes fatidico curant solennia Phœbo.
Nam quum vere novo tellus se dura relaxat,
Culminibusque cavis blandum strepit ales hirundo, etc.

Omnes, scil. Cyclades, in Delum, quæ Cycladum præcipua, convenientes per legationes. Explicat Strabo, lib. X, p. 743: Ἔνδοξον αὐτὴν (Δῆλον) αἱ περιοικίδες νῆσοι καλούμεναι Κυκλάδες, κατὰ τιμὴν πέμπουσαι δημοσίᾳ, θεωρούς τε, καὶ θυσίας, καὶ χοροὺς παρθένων, πανηγύρεις τε ἐν αὐτῇ συνάγουσαι μεγάλας. Nimirum tangit hoc loco Avienus cum Dionysio sacra annua, quæ veris initio Græcæ gentes, maxime vero insularum Ægæi maris, sive Cycladum, incolæ, per legatos in Delum convenientes, faciebant communi Deo Apollini, ad ejus templum primarium, quod Deli erat, ubi Apollinem ipsum accedere, et sacris suis interesse credebant. Hunc Apollinis accessum in Delum, et solennia ibi veris ineuntis celebrata, illustri loco descripsit Virgilius, Æn. IV, 143-149, cujus amœnitates et ornamenta singulari Excursu, qui secundus est ad lib. IV Æn. exposuit Heynius V. C. t. II, p. 561, ed. nost. Ed.

Qualis, ubi hibernam Lyciam Xanthique fluenta
Deserit, ac Delum maternam invisit Apollo,
Instauratque choros, mixtique altaria circum
Cretesque Dryopesque fremunt, pictique Agathyrsi, etc.

Ex eo loco Virgilii, et ex Heyniana expositione jam petamus nonnulla, quibus præsentem Avieni locum illustremus. Quemadmodum Avienus dicit, « vere novo solennia curari Phœbo » in Delo a Cycladum insularum habitatoribus; ita, ubi Virgilius *hibernam Lyciam* dicit ab Apolline deseri, ut concedat in Delum ad sacra ibi obeunda, veris sacra ab eo

significari adparet. Nempe hiemem Apollo Pataris Lyciæ exigere putabatur, sive, ut Servius explicat, « sex mensibus hiemalibus apud Pataram, Lyciæ civitatem, dare responsa, et sex æstivis apud Delum ». Re ipsa nihil aliud significabant, quam Solis annuum accessum recessumque, sive transitum in borealem vel australem plagam, quandoquidem et alia narratione Apollinem stato tempore ad Hyperboreos invisere, et alio tempore inde redire prodebant. Et quum verno illo accessu Solis fecundari et lætificari omnia viderint, hinc vernum Apollini solenne instituerunt, quo ob accepta beneficia grati lætique festos choros agerent. Sic certe absentiam reversionemque Apollinis pingit Claudianus, VI Cons. Hon. v. 25 seqq.

.... quum pulcher Apollo
Lustrat Hyperboreas, Delphis cessantibus, aras,
Nil tum Castaliæ rivis communibus undæ
Dissimiles, vili nec discrepat arbore laurus...
At si Phœbus adest, et frenis grypha jugalem
Riphæo tripodas repetens detorsit ab axe,
Tunc silvæ, tunc antra loqui, tunc vivere fontes, etc.

Quoniam sacra Deliaca sub accessum Solis vernum fiebant, hinc est, quod Avienus dicit, Apollinem ipsum *sua sacra visere*, Virgilius, ipsum *choros instaurare*, et mox: « Ipse jugis Cynthi graditur ». Quæ apud Avienum *choros agitat, gens devota* Apollini, præcipue quidem sunt Delii, qui sacra curant, et peculiariter devoti Deo, et templi ejus custodes sunt; sed ea sacra fiebant simul per legationes plurium gentium Græcarum, quæ eo ritu pariter devotas se Apollini, ut communi Deo, pariter devinctas inter se societate et communione sacrorum præstabant. Avienus quidem secundum Dionysium, v. 527 seq. solos insularum, Delum ambientium, incolas festum diem agere dicit, sed Virgilius *Cretas* simul et *Dryopas*, et *pictos Agathyrsos* nominat. Hoc idcirco a poeta fieri arbitror, ut populorum genera indicet, qui socii Græci nominis, sed diversis regionibus agentes, ad communia sacra confluebant. Per *Cretas* nempe arbitror insularum habitatores intelligi, per *Dryopas* continentis terræ, qui extra Helladem et Peloponnesum degunt, siqui-

dem Dryopes olim Thessaliæ ad Sperchium fl. habitatores perhibentur, a Strabone Epirotici, quondam autem ab Hercule victi et Apollini devoti (quod amplius exponit Heynius l. c.). *Agathyrsos*, qui pro Hyperboreis in genere ponuntur, existimo remotiores quasque Græcorum colonias complecti, siquidem non modo in Thracia et Asia ad Pontum Euxinum, sed et in Colchide, Taurica, Sarmatia, Scythia ad Borysthenem et Tanaim urbes a Græcis habitatas fuisse, pluribus exemplis, ut Dioscuriadis, Phanagoriæ, Hermonassæ, Panticapæi, Borysthenidis constat, et Hyperboreorum θεωρίαι seu legationes ad Delios satis notæ sunt. Alii poetæ eas gentes primitias frugum ad sacra solennia adportasse in insulam memorant, et in hoc solenni describendo præter cæteros copiosus est Callimachus, Hymn. in Del. v. 278 seqq. Sed an hoc primitiarum solenne idem sit, ac quod Virgilius et Avienus describunt, de eo adhuc dubito. Nam si veris initio celebratum est, primitiæ frugum certe eo tempore adesse non potuerunt. Ῥύσια quidem Dionysius memorat, tamquam munera gratiarum caussa oblata Deo, et Avienus hoc idem exprimere videtur *gratorum* nomine, quos dicit ea *festa ludere* (siquidem genuinam esse lectionem statuimus, quam dedit Schraderus). Sed ῥύσια de quibusvis donariis, aut gratulationibus accipi possunt, et in his ipsos esse choros Apollini actos innuit Dionysius. Contra Callimachus diserte prædicat, primitias pro decimis quotannis in insulam Delum a vicinis remotisque gentibus missas esse. Paullo post idem explicatius καλάμην καὶ ἱερὰ δράγματα, stipulam, vel culmos et sacros manipulos oblatos dicit, et Latini scriptores subinde *fasces mergitum* nominant (conf. Spanhem. ad Callim. Del. v. 283). Quibus sane nominibus non alia, nisi primitiæ frugum et proventuum terræ possunt intelligi, quæ veris initio non habentur. Et quamquam nonnulli scriptores non *frugum* sed *sacrorum* primitias, ἱερῶν ἀπαρχάς, adlatas memorant, qua adpellatione generatim proficias, sive partes hostiæ, stipulis triticeis involvi et occultari solitas, intelligendas esse, monuit in Exerc. Plin. Salmasius, ex eoque Spanhemius l. c. nemo tamen, quantum equidem

recordor, scriptorum veterum, qui de primitiis Apollini in sacro solenni oblatis loquuntur, verni temporis simul mentionem injicit. Hinc opinor, festum diem, de quo Virgilius et Avienus loquuntur, diversum ab ea solennitate fuisse, de qua Callimachus, et qua primitiæ frugum adferebantur. Illum stato tempore celebratum, veris initio, et ἐπιδημίαν Ἀπόλλωνος vocatum, quæ et Delphis celebrata : primitias perpetuo delatas in Delum, et θεωρίας populorum factas, quandocumque occasio et facultas esset, etsi nunquam sine pompa et celebritate. Neque tantum primitiarum caussa, sed ut alia donaria, Apollini extra ordinem vota, et mercimonia varia, et tributa a sociis pendenda deferrent, θεωρίαι in Delum a populis missæ, quippe quæ insula partim loci religione et celebritate, partim opportunitate situs, totius Græciæ vicinarumque insularum emporium juxta ac commune ærarium erat. Quam ob caussam insigni elogio apud Statium, Achill. I, 206, *hospita Delos gentibus* vocatur. Athenienses inprimis, ex Thesei instituto, quotannis sacrum navigium, quod θεωρὶς dicebatur, cum donariis et vario sacrorum adparatu misisse, idem Callimachus refert v. 314, ad quem videndus Spanhemius. Wd. — *Nam quum vere novo tellus se dura relaxat.* Virgilianum hoc est. Georg. II, 330: « Parturit omnis ager, Zephyrique tepentibus auris Laxant arva sinus ». Item, Georg. I, vs. 44: « Vere novo, quum... Zephyro putris se gleba resolvit ». W. — *Nam quum vere novo..... Culminibusque cavis blandum strepit ales hirundo.* Dionys. v. 527 :

Ῥύσια δ' Ἀπόλλωνι χοροὺς ἀνάγουσιν ἅπασαι
Ἀρχομένου γλυκεροῦ νέον εἴαρος, εὖτ' ἐν ὄρεσσιν
Ἀνθρώπων ἀπάνευθε κύει λιγύφθογγος ἀηδών.

Quæ videntur hausta ex Aristotele, Hist. An. V, 9, pag. 541 : Τίκτει καὶ ἡ ἀηδὼν τοῦ θέρους ἀρχομένου· τίκτει δὲ καὶ πέντε καὶ ἕξ ᾠά· ubi pro θέρους restituere ἔαρος jubet Dionysius; jubet etiam Plin. Hist. Nat. X, 43 : « Pariunt vere primo quum plurimum sena ova ». Variavit autem nescio qua de caussa Avienus, et hirundinem supposuit. Suspicari quis posset rescribendum pro *hirundo, aedon*, quæ quidem etiam alii permutare

non dubitarunt, ut Heinsius, probante Burmanno, Anth. Lat. II, pag. 443, ubi eodem modo pro *hirundo* emendat *Aedon*. Accedit, Avienum in comparationibus a Dionysio rarissime discedere. Vix tamen hoc admittas, quia, quod additur *strepit*, aedoni non convenit. Audacior me forsan conjiceret: « Culminibusque, canens blandum, parit ales aedon ». Sic Avienus non abiret diversus a Dionysio, neque ab Aristotele etiam, aut Plinio. Hujus autem inprimis memorabilis locus est, I, p. 560 (lib. X, 29, § 43) : « Lusciniis diebus ac noctibus continuis quindecim garrulus sine intermissu cantus ». Schr. — *Blandum strepit ales hirundo.* Avienus quidem pro aedone Dionysii hirundinem ponit; id tamen non temere, nec sine ratione fecisse videtur. Etenim hirundo poetis Latinis fere frequentius, quam luscinia, ad significandum veris adventum adhibetur. Ovidius, Fast. II, 853 : « Fallimur? an veris prænuntia venit hirundo ». Columel. in Hort. 80 : « Veris et adventum nidis cantarit hirundo ». Add. Virg. Georg. IV, 307; Horat. Epist. I, 7, 13; Calpurn. V, 16; Pentad. Eleg. II, 17. Alios Græcorum poetarum locos hanc in rem adduxit Bochart. de Anim. S. S. Part. II, lib. I, cap. 10. Et fortasse Avienum, ut hirundinem nominaret, mos Græcorum singularis movit, qui solebant festa nonnulla hilariter agenda hirundinis adventu signare et indicere. Χελιδόνια, apud Rhodios veris initio celebrata, exemplo sunt. Quibus pueri circumeuntes stipem hirundini colligebant, adventum ejus et jucundius veris tempus adnuntiantes cantico singulari : Ἦλθ' ἦλθε χελιδὼν, καλὰς ὥρας ἄγουσα, καὶ καλοὺς ἐνιαυτούς. Hic mendicandi ritus χελιδονίζειν vocabatur, carmen χελιδόνισμα. Refert e Theognidis libro II de sacris Rhodiorum Athenæus, lib. VIII, cap. 15, p. 360, et conf. Meurs. Græc. fer. in Χελιδόνια. In texto quidem vulgato Athenæi legitur, hoc factum τῷ Βοηδρομιῶνι μηνί, qui mensis Romanorum Septembri æqualis est, adeoque hirundini advenienti non convenit. Sed interpretes Athenæi omnes contradicunt. Dalechampius in codice suo legit Μουνυχιῶνι, ideoque vertit, *Martio mense*, Natalis Comes *mense Aprili*, et Erasmus, in Prov. *Nova hirundo*, ritum illum sub ver-

num tempus celebratum narrat. Neque aliud tempus posse intelligi, cantilenæ, quam adduximus, verba docent. Jam qua formula apud Rhodios solennis adnuntiatio veris facta est, eadem apud Delios factam esse credibile est; eamque forte respexit Avienus, morum et rituum Græcorum minime ignarus. W.

EXCURSUS VII

AD DESCR. ORB. TERRÆ, vs. 723-729.

Leuce cana jugum, Leuce sedes animarum:
....
Hæc sunt dona piis: sic illos Jupiter imis
Exemit tenebris: Erebi sic inscia virtus.

Leucen insulam, quam Borysthenis ostio objectam dicunt, nonnulli ab alia Achillea, et Achillis Dromo, de quo Dionysius alibi, distinguunt, Euripides in Iphigenia Taurica, et Arrianus in Periplo Ponti Euxini, qui eam copiosissime descripsit, unam eamdemque cum istis perhibent, plerique tamen, et in his Scylax in Peripl. p. 30 Huds. Strabo, lib. VII, p. 470; Plin. lib. IV, cap. 12 et 13; Amm. Marc. XXII, cap. 8, p. 341, Leucen illam Achilli sacram, et tumulo illius viri claram memorant. Propter insigne et memorabile elogium, quod ei Avienus tribuit, siquidem sedes beatorum, quæ alias a poetis in insulas extra orbem terrarum, et ultra Oceanum, collocari solet, hic insulæ intra fines orbis cogniti, et in noto mari sitæ tribuitur; de ea nunc paullo largius dicam, ita quidem, ut, prius nomine ejus et natura exposita, in rationes inquiram, ob quas ei insulæ sedes beatarum animarum sit adtributa. Ab albis rupibus nomen accepisse Avienus statuit, *Leuce cana jugum*,

in eoque valde discedit a Dionysio, qui vs. 544 ab avibus candidis, quibus abundabat, dictam ait, consentientibus aliis. Sed tamen Avienus auctores sententiæ suæ habuisse videtur, qui eam nominis rationem non satis gravem putarent. Euripides in Iphigenia Taurica, v. 435, ait, τὰν πολυόρνιθον ἐπ' αἶαν Λευκὰν ἀκτὰν Ἀχιλῆος· duas proprietates insulæ distinguit, et λευκᾶς adpellationem in ipso colore ponere videtur. Sic sane Arrianus: οἱ δὲ Λευκὴν ἀπὸ τῆς χροιᾶς ὀνομάζουσιν. Aptam igitur rationem Avienus sequutus esse videtur, qui Leucen ab albis rupibus descripsit, siquidem haud dubie noverat, alia etiam loca, præsertim quæ fluctibus maris exposita essent, tale nomen accepisse, ut Leucaten promontorium Acarnaniæ, Leucosiam insulam maris Tyrrheni, Leucopetram promontorium extremum Italiæ. Vid. v. 118 et 512. Ad naturam insulæ quod adtinet, Scylax et Arrianus eam ἐρήμην ἀνθρώπων, Marcellinus *sine habitatoribus ullis* esse dicit, et Dionysius ei ἐρημαίας βήσσας, *desertas valles* tribuit, quod disertius explicans Avienus, bonis, ut puto auctoribus, moles exesas montium, et antra concava, et rupes pendentibus fornicibus in ea conspici prodit. Hanc descriptionem ubi lego, propius mihi intelligere videor, quid sit, quod in fragmento Peripli Ponti Eux. et Mæotidis, quod Vossius edidit, de illa insula dicatur, θέαν ἱεροπρεπῆ τοῖς ἀφικνουμένοις ἔχειν, sacrum quemdam et venerandum adspectum eo venientibus præbere; et quod Quintus Calaber, lib. III, 772, θεουδέα νῆσον, insulam divina specie adpellet. Nam ut densæ arboribus et caligine horrentes silvæ, quod secretum aliquod hominibus inaccessum tenere viderentur, propterea sacræ habebantur; ita insula rupibus et silvis aspera, multisque antrorum et vallium recessibus opaca, quum horrorem objicere adeuntibus, tum etiam sacra et veneranda videri poterat. Memoratque Amm. Marcellinus l. c. si qui forte in eam insulam delati fuerint, vesperi naves repetere, quod fama sit, non sine discrimine vitæ illic quemquam pernoctare. Atque hæc prima esse caussa videtur, cur Leuce insula sedes animarum habita, et heroibus post fata adsignata fuerit. Dionysius, v. 542, πολυώνυμον νῆσον Ἡρώων vocat, Plinius insulam

Macaron adpellari perhibet. Nempe loca deserta et invia, et humano cultu vacua, solitudine et silentio aptam Diis et animabus sedem præstare videbantur, quoniam his secreta ab hominibus et secura vita tribui solebat. Antris et vallibus Leucen, sedem animarum, instruit Avienus, qui sciebat, apud Homerum aliosque poetas sæpe antra divina dici, et in antris Nymphas, heroes, vates habitare. Vid. Homer. Odyss. V, 57, XIII, 3, XXIV, 6; Virg. Æn. VI, 42. Elysium et beatorum insulas poetæ longinquis in regionibus, et in Oceano hanc terram ambiente ponebant, et Leuce, heroum habitatio, in extremo orbis cogniti mari erat. Animas defunctorum Homerus ait παρ' Ὠκεανοῖο ῥοὰς καὶ λευκάδα πέτρην deduci ad inferos (Odyss. XXIV, 11), albam petram haud dubie nominans terminum ultimum orbis habitati et immanes rupes, fluctibus irruentis et spumantis Oceani canescentes, quia simili nomine extrema quarumdam terrarum promontoria Λευκάδες, vel λευκαὶ πέτραι adpellari solebant. Leuce insula, quæ similiter ob canas et fluctibus exesas rupes suum nomen sortita erat, et extremo quidem in mari, sed tamen intra Oceanum et fines terræ jacebat, propterea singularem bonorum virorum animabus sedem præbere credebatur, quæ non ad Orcum et inferos pertineret, sed intra terram viventium et regnum Jovis luce superna frueretur, licet secreta a communi hominum vita. Talem enim Achillis sedem post fata futuram, Thetidi matri Neptunus apud Quintum Calabrum promittit lib. III, v. 770 seqq.

> Οὐ γάρ μιν μόρος αἰνὸς ὑπὸ ζόφον αἰὲν ἐρύξει,
> Οὐδ' Ἀΐδης, ἀλλ' αἶψα καὶ ἐς Διὸς ἵξεται αὐγάς.
> Καί οἱ δῶρον ἔγωγε θεουδέα νῆσον ὀπάσσω
> Εὔξεινον κατὰ πόντον.

His similia sunt, quæ Avienus adjicit, v. 727:

> Hæc sunt dona piis: sic illos Jupiter imis
> Exemit tenebris, Erebi sic inscia virtus.

Principio quidem Leuce soli Achilli dicata videtur, et quidem propter tumulum, qui ei hac in insula paratus est,

siquidem has Pontici maris oras tempore expeditionis Trojanæ sæpius classe invectus explorasse, atque hanc insulam, sicut et Dromon Achilleos dictam, præcipue amasse videtur. Mox ubi maximi herois sedes credebatur, aliis etiam heroum vel fortium virorum animabus concessa est, et fortasse multitudo candidarum avium, quæ insulam alias desertam frequentare, et tumulum Achillis circumvolitare ferebatur, materiam fabulæ dedit, quæ animas heroum cum Achille versari in ea insula diceret. Aves albas pro simulacris vel indicibus animarum beatiorum habebant (1), sicut Homerus animas ad inferos ducendas vespertilionibus comparat, Odyss. XXIV, 6. Hinc Dionysius, vs. 545:

> Κεῖθι δ' Ἀχιλλῆός τε καὶ ἡρώων φάτις ἄλλων
> Ψυχὰς εἱλίσσεσθαι.

Avienus Achille et heroibus omissis, qui non nisi cædibus, et multis animarum millibus ad Orcum missis, inclaruerunt, descriptionem illius sedis animarum paullo melius informavit, et insontibus animis, virtutis et pietatis cultoribus, adtribuit. Quam beatorum sedem quum medias inter orbis terrarum regiones et insulas descriptam invenirem, fateor me ista imagine adfectum suaviter, et quodammodo ad spem et exspectationem cælestium mansionum, quas Dei religio promittit, excitatum esse. Quæ quidem cogitatio in præsenti hoc magis me moratur et tenet, quo propius adesse tempus videtur, quo ex hac turba et colluvione discedam, et ad divinum animorum cœtum, omniumque ærumnarum requiem, proficiscar. Wd.

(1) Considera imaginem animarum a Virgilio pictam, Georg. IV, 472: « Umbræ ibant tenues, simulacraque luce carentum: Quam multa in foliis avium se millia condunt, Vesper ubi aut hibernus agit de montibus imber ».

EXCURSUS VIII

AD DESCR. ORBIS TERRÆ, vs. 1084 et 1085.

> **Et qua Phœbeam procul incunabula lucem**
> **Prima fovent, Emesus fastigia celsa renidet.**

Præeuntibus Salmasio ad Vopisc. p. 366, b. Holsten. ad Steph. v. Ἔμισσα, Huds. ad Dionys. v. 919, monendum est, octo versus de Emisa deesse in edd. Dionysii. Non legit eos Priscianus, nec Eustathius, dubio tamen procul reperti sunt ab Avieno in exemplari, quo utebatur. Id probatur e Dionysii versu servato a Stephano l. c. Τῆς δὲ πρὸς ἀντολίην Ἐμίσων πόλις, cujus tantum prima verba hodie in Dionysio exstant, omissa Emisæ mentione. Librarius similitudine versuum eodem modo incipientium delusus est. Similia exempla dedi in Observ. p. 4. Defectus indicium in codicibus quibusdam Dionysianis, ut Oxon. Barocc. n. 78, adparet asteriscus. Conf. Dodwell. Diss. de æt. et patr. Dionys. § XXXVI. Schr. — Equidem hujus sententiæ doctorum virorum, qua particulam de Emesæ urbis laude excidisse e codicibus Dionysii, et a solo Avieno servatam esse contendunt, et cui Dodwellus primarium argumentum suum de ætate Dionysii superstruxit, non tam graves urgentesque caussas esse reperio, ut propterea de corrupto vel laxato Dionysii texto suspicari debeamus. In ipso Dionysio nullum ejusmodi defectus vel corruptionis vestigium. Versus a Stephano citatus, etsi similia cum Dionysiano verba habet, non tamen necesse est eo loco exstiterit, in quo de Apamea et Oronte fl. sermo est. Nam et aliis locis Dionysius iis verbis utitur, e. g. v. 976. Neque Dionysius a Stephano laudatus necessario pro Nostro habendus est, siquidem eum

Stephanus alias quidem περιηγητὴν, hic vero simpliciter ποιητὴν vocat. Quod verbum si docti viri per compendium, quod etiam περιηγητὴν significet, scriptum a librario existimant, ea in re nihil aliud, quam hypothesi suæ serviunt. Et Avienus, qui tot alia in Dionysio præteriit, tot alia eidem ex ingenio, vel ex aliis scriptoribus addidit, cur solo hoc loco credatur non nisi e Dionysio hausisse, quod in eo hodie non legitur? Miraculi instar sit, siquidem locus de Emesa urbe in Dionysio aliquando exstitit, duo solertissimos ejus interpretes, et diversis ætatibus viventes, Priscianum et Eustathium, eum ignorasse, unum, eumque fere negligentissimum, qui ubique suo magis ingenio uti, quam Dionysio adhærere videtur, eum non solum observasse, sed et luculente explicasse. Sed quinam sit Dionysius ille, et unde sumptus ejus versus, qui a Stephano citatur; Avienus item quem auctorem et quam caussam habuerit loci ejus de Emesa carmini suo inserendi, hoc fortasse verisimili aliqua ratione ostendi potest. Eustathius in prooemio ad commentarium suum scribit, Dionysium dici etiam Λιθιακὰ et Βασσαρικὰ scripsisse. Opus de lapidibus Dionysio dignum esse, propter similitudinem styli, ait, Bassarica ad Dionysium Samium potius referre videtur. Suidas auctoris Λιθιακῶν meminit sub Dionysio Corinthio, cui οἰκουμένης περιήγησιν adscribit, et addit: « Eadem reperi in Dionysio, qui de gemmis scripsit: uter igitur sit auctor, ignoro ». Adparet ex his, in utroque opere, in Periegesi et in Λιθιακοῖς, multa exstitisse, quæ convenirent, et utriusque vel unum auctorem existimatum esse, vel alterum ex alterius carmine multa in suum transtulisse. Enimvero hoc etiamnum hodie convenit in Dionysii nostri opus. Mirum est, quam multa ille regionum et populorum descriptioni admisceat de gemmis et lapidibus pretiosis. Asterium et lychnitem in Pallene inveniri narrat p. 328 et 329. Narcissiten in Media vs. 1031, Achatem in ripa Choaspis fluminis vs. 1075. Meminit coralii, sapphiri v. 1103 et 1105, berylli, adamantis, iaspidis, topazi, amethysti v. 1119 seqq. Fortasse plura præterii, quæ fugerunt quærentem. Hæc autem talia sunt, ut nisi a scriptore

gemmarum inprimis perito profecta sint, a mero Geographo non videantur ad populorum et regionum descriptionem quæsita. Igitur transtulit Dionysius noster multa in carmen suum ex opere alio, vel suo, vel alieno de lapidibus, atque exstent hodie in eo plurimi versus necesse est, quorum similes, vel iidem plane, olim in altero carmine Λιθιακῶν Dionysii nostri, aut alterius, lecti fuerint, et a Stephano citari potuerint. Idem quod de Λιθιακοῖς, sentiendum de Bassaricis est, quæ Dionysio nostro adscripta esse Eustathius dicit. Bassarica vero quæ dicta sunt, agere debuerunt de Bacchi expeditione in Orientem, sive orgiis et Liberi Patris sacris passim in terrarum orbe celebratis. Horum autem tam frequens in Dionysii Periegesi mentio est, ut auctor nonnunquam, iniquo etiam loco, occasionem Bacchicos ritus describendi quæsisse videatur. Sic eos vs. 570 seq. celebrari narrat ab uxoribus Amnitarum, in insulis supra Britanniam, cum iisque bacchantes mulieres in Thracia, et Indicas ad Gangem comparat. Versu 700 Camaritarum nationem laudat, quos dicit Bacchum ab Indorum bello revertentem hospitio excepisse, et cum Bacchidibus sacras duxisse choreas, quo loco Avienus v. 687 *Bassarides* Bacchi comites vocat. Vs. 839 seqq. choreas Baccho agitatas in Lydia a virginibus operose describit: denique inde a versu 1152 in Indiam, extremam terrarum, delatus, hanc regionem, ut totam Lyæo devotam, depingit, victos a Baccho Indos et instituta apud eos orgia, et post victoriam positas ab eo columnas in finibus terræ narrat, cum iisque totum opus concludit, quasi mera Διονυσιακὰ vel Βασσαρικὰ scripsisset. Tale igitur opus Geographicum, tot Bacchi orgiis et ritibus permixtum, omnino auctorem Βασσαρικῶν, aut alium ab eo multa mutuatum prodere videtur, et fatetur Dodwellus, § XXIII, omnino in his Bassaricis locum habere potuisse urbis Emissenæ mentionem, cujus incolas devotam Solis sacris vitam agitasse scribit Avienus. Ergo versum a Stephano citatum e Dionysii nostri, aut alterius, Bassaricis sumptum existimare, quid impedit? qui quum forte propagata per orbem terrarum sacra Bacchi, variasque

urbes, quæ ea recepissent, enarraret, potuit etiam urbem nominare, cujus ad Orientem esset Emisa, non Bacchi quidem, sed similibus Solis sacris dicata: Τῆς δὲ πρὸς ἀντολίην Ἐμισῶν πόλις. Auctorem τῶν Βασσαρικῶν Suidas prodere Dionysium quemdam Mitylenæum videtur. Hunc enim tradit inter alia scripsisse τὴν Διονύσου καὶ Ἀθηνᾶς στρατιὰν, quo titulo plenius indicari argumentum τῶν Βασσαρικῶν videtur, quibus auctor exponere voluit, Bacchum et Minervam, quasi expeditione in Barbaros suscepta, vini et oleæ cultu, tum variis etiam artibus introductis, gentes ad humaniorem vitam traduxisse. Quo pacto mihi perspectu facile est, qui potuerit in Bassaricis mentio Emisæ urbis fieri, cujus cives Avienus dicit *cor claris studiis acuisse.* Sed fortasse magis, quam Suidas, audiendus est Eustathius, qui, ut ante dixi, Bassarica Dionysio Samio tribuit. Hunc Samium, aut Rhodium, Dionysium Suidas memorat fuisse Musonii filium, eumdemque fani Solis sacerdotem; fuisse historicum, et scripsisse ἱστορίας τοπικὰς, locorum historias libris sex, et οἰκουμένης περιήγησιν. Qui quamquam historicus, non poeta, perhibetur a Suida, versibus tamen scripsisse putandus est, quia Bassarica versibus scripta eidem tribuit Eustathius, et cum Periegesi Dionysii comparat, tum quia ipsum Periegetæ opus ἱστορικὸν ποίημα vocatum esse refert. Ecce vero scriptorem, qui genere suo, officio et librorum titulo eum se esse profiteatur, a quo, nisi Stephanus versum de Emisa urbe, certe Avienus pleniorem ejus urbis descriptionem petierit. Nam ἱστορίας τοπικὰς sive versibus, sive stylo tantum historico exaravit, potuit sane urbis Emisæ descriptionem dare eo in libro, qui locorum et regionum, et urbium singularum memorabilia traderet; potuit, immo debuit, sigillatim urbis Emisenæ cultum solennem Solis, et templum magnificum memorare, qui ipse fani Solis sacerdos erat; potuit inprimis Avienum ad memorandum cultum Solis Emisenum, et descriptioni orbis inserendum invitare, qui genus a Musonio ducebat, et Dionysium Musonii filium (quicumque tandem hic Musonius fuerit), inprimis nosse et legere debebat, ob memoriam communis, vel saltem cognominis et

cognati progenitoris. His deductis oppido ipse perspicio, qui factum et unde petitum sit, quod Avienus urbis Emisæ laudem, sine auctore Dionysio, carmini suo inseruerit. Neque versus a Stephano citatus amplius putabitur e Dionysii Periegesi excidisse, quem hactenus disputatis demonstrasse reor, aut omnino Dionysii alius esse, aut ex alio ejusdem Dionysii poemate sumptum, e quo ipse multa alia in Periegesin suam, tum etiam similes versus plurimos transtulisse videtur. Wd.

AD

R. F. AVIENI

ORAM MARITIMAM

PRÆFATIO.

Anteqvam carminis, quod *de Ora maritima* inscripsit Avienus, textum et interpretationem propono, duabus de rebus mihi dicendum esse arbitror, quarum mentionem, quum prooemium in Avieni carmina scriberem, parce tantum obiterque feci, neque aliter facere tum temporis potui; nunc, postquam totum carmen recensui et cura diligentiore pertractavi, pleniorem notitiam suppeditare possum. Primo enim enarranda sunt subsidia, quibus mihi in recensendo hoc opusculo uti contigit; indicandi sunt librorum auctores, e quibus plurimas ad Oram maritimam observationes bausi, in meamque interpretationem contuli: deinceps de argumento libelli, et de ordine ac ratione rerum in eo traditarum, meum qualecumque judicium aperiendum videtur. Præcipuum recensendi subsidium ab humanitate Viri Cl. Everwini Wassenberghii oblatum est, qui mihi *Avieni Oram maritimam, collatam cum MS exemplari, manu Abrahami Ortelii descripto*, impertiit, cui et Andreas Schottus et Petr. Scriverius quædam adjecerant. Subjecit selectas nonnullas Schraderi in Oram marit. emendationes, ex adparatu critico ad Descript. Orbis derivatas, e quo ipso excerptas adnotationes, quas evulgavi, mecum ante communicaverat. Tum vero, quod potissimum est, addidit idem N. Heinsii conjecturas in Avieni Oram mar. ex autographo P. Burmanni

secundi, qui eas margini exemplaris Pithœani, cum suis ipsius nonnullis adnotationibus, adscripserat, quodque exemplar jure emptionis ad Wassenberghium pervenit. Denique in usus meos enotavit, quæ Janus Broukhusius marginibus editionis Madritensis passim adleverat, quibus tamen non tam singularia Broukhusii observata, quam citata aliorum scriptorum loca, Avienum illustrantia, continentur. Ego vero uti summopere lætatus sum liberalissimo Wassenberghii officio, summoque ejus de me et Avieno meo bene merendi studio, ita gaudebunt mecum, et maximas Viro Optimo gratias agent, qui eo beneficio feliciorem Avieno operam abs me navatam esse censebunt. Certe ego in utendis, quæ mecum communicata sunt, adnotatis, quanta potui fide versatus sum, et nullum eorum, quamvis leve aut supervacuum videretur, præterii, quin adponerem et suo tribuerem auctori. Etsi enim meo ipsius judicio ubique usus sum, neque Heinsii aliorumque doctorum, quorum nomina viderem adposita, conjecturis temere sum obsequutus; faciendum tamen putavi, ut quicumque emendando Avieno, tantopere alias deserto et neglecto, qualemcumque operam commodassent, eorum memoria in mea adnotatione conservata exstaret. Manuscriptum illud exemplar Oræ maritimæ antiquum, quocum collatio Orteliana facta est, an hodienum et quo loco exstet, qua ætate illud exaratum, et num idem sit Ambrosianum, quod Heinsius et Schraderus in Periegesi Avieni sæpius contulerunt, de eo nihil certi compertum habeo. Crediderim fere, idem esse Ambrosianum, quum Schraderum aliquando recorder lectionem in Ora maritima e codice Ambrosiano adducere, quæ plane conveniebat cum Orteliano, vicissimque in Periegesi ab eo citari adnotata Orteliana. Sed tamen eumdem memini in notis ad Periegesin Ambrosianum codicem ab alio vetere distinguere. Quamquam præsidium emendandi Avieni in eo MS haud spernendum esse arbitror, nec immerito ei plurimum ab eruditis tributum est; hoc tamen monere lectores

meos et fateri cogor, non antiquius neque diversum ab eo codice videri, e quo prima editio Victoris Pisani facta est, accessisse autem doctiorem librarium, qui loca nonnulla rectius legeret, aut mendosa emendatius per conjecturam scriberet. Textum ipsum enim non alium, nec discrepantem ab editione Veneta repræsentat, easdem lacunas, et plerasque corruptiones cum Veneta communes habet, et si quando mendosis in locis meliorem lectionem adferre videtur, ea plerumque sic comparata est, ut manum et correctionem intelligentis, nec tamen ubique feliciter conjectantis, scriptoris prodat. Variationes ejus codicis in collatione Orteliana signantur litera V, qua quod nomen significetur, parum mihi liquet. Schraderus ad Descript. Orb. subinde veterem codicem sub eadem nota adlegat, neque amplius exprimit. Vossianum aliquando codicem Avieni laudari memini, sed Vossianus nominari non potuit in collatione ab Ortelio facta. Venetum codicem liceret intelligere, nisi hujus ipsius lectiones a Veneta editione distinguerentur. Memoratur vero alia antiqua editio an. 1502, fol. in Indice Bibliothecæ Franc. Barberini, Card. Vol. I, p. 92, quæ si forte ab Ortelio collata est, manuscripti loco haberi potuit. Vaticanus an forte existimari debeat, videant illi, qui locum ejus et sedem antiquam, unde profectus est, investigare possunt. Ego simpliciter *Veterem* codicem significari putavi, eademque litera in notando eo sic utor, ut discretam eam velim a nota *Ven.* qua editionem Venetam indicare soleo. Ob magnam manuscripti Orteliani cum prima editione convenientiam dolendum est fatum elegantis carminis, quod non alium vetustumque invenit codicem, e quo locupletius et perfectius ederetur. Habuit olim quidem Jac. Bongarsius Avieni *Oram maritimam ad manuscriptum exemplar emendatam*, ex eoque Varias Lectiones Joach. Camerario obtulit Epist. CLII ad Camer. pag. 374, edit. Lugd. Bat. 1647, sed locupletius illud et magis integrum fuisse editis, id non adfirmat; neque valde errare me puto, siquidem eumdem librum Ortelianum, ac

Bongarsii, saltem alterum de altero descriptum fuisse existimem (1). Et quum plures docti viri manuscriptum Oræ maritimæ exemplar tractaverint, ut Ortelius, Schottus, Scriverius, Casaubonus, nemo tamen eorum alius codicis ab se reperti vel visi, præter hunc Ortelianum, mentionem injicit. Præterea Schraderi, cujus luculentas animadversiones in Descript. orb. edidi, subitaneas brevesque notationes et conjecturas ad plura Oræ maritimæ loca, in pauca chartæ folia conjectas, habui, quas in adnotationibus meis vocibus *Schrad. in sch.* signare soleo. Nonnunquam forte mentionem feci notularum, quas viri docti manus oræ Pithœanæ collectionis ed. Paris. 1590, inter libros Gronovianos repertæ, adleverat, sed rarius id feci, quia nihil fere, nisi aliorum scriptorum, qui Avienum illustrassent, indicia, aliunde jam mihi nota, adferebant. Majorem mihi copiam adnotationum suppeditarunt impressi eruditorum libri, qui vel partem Oræ maritimæ ex instituto pertractarunt, vel obiter testimoniis Avieni ex eo libello utentes, plura ejus loca illustrarunt. Itaque congesta in meas adnotationes reperiet lector, quæ Casp. Barthius in Advers. et Ablegm. Mart. Opitius in Var. Lect. Lud. Nonius in Hispan. Petrus *de Marca* in Marc. Hisp. Cl. Salmasius in Exerc. Plin. Sàm. Bochartus in Geogr. sacr. Is. Vossius ad Pomp. Mel. et ad Scyl. Car. Auctor anon. in Observatt. Misc. Jo. Schraderus in Observ. et Emendd. tum interpretes veterum poetarum, Vlitius ad Grat. Broukhusius ad Tibull. Drakenborchius ad Sil. Ital. Nic. Heinsius et uterque P. Burmannus ad Ovid. Valer.

(1) Cupidum librorum Msptorum collectorem Bongarsium fuisse constat. Sed bibliotheca ejus MSS variis locis dispersa fuit. Pars ejus suasu Gruteri ab hærede Bongarsii empta in bibliothecam Heidelb. atque inde in Vaticanam pervenit: aliam partem bibliothecæ Bernensi insertam fuisse novimus. Vid. P. *Bayle*, Dict. art. *Bongars*, not. D. et DΔ. His in locis, an quibus aliis, exemplar Bongarsianum Oræ maritimæ reperiatur, quærant ii, quibus datum est. In Sinneri Catalogo Biblioth. Bern. nullum Avieni Mspti indicium fieri, monuit me Langerus V. C. Biblioth. Duc. Guelferb. Præfectus.

Flacc. et Anthol. Lat. passim de locis Oræ maritimæ depravatis vel obscuris monuerunt. Sunt in his doctorum virorum animadversionibus multæ, quæ res geographicas spectant. Quas quidem ad declarandam locorum notitiam, quot et quales reperissem, libens adposui, ea tamen cum moderatione, ut neque examinarem sollicite, quæ forte in iis dubia videri possent, neque ipse in aliis Avieni locis multa ejus generis monerem, nisi quæ in subita adnotatione sua veluti sponte sub stylum venissent. Neque enim Geographiam veterem per Avieni recensionem docere animus fuit, neque id vel loci adnotationisque angustia, vel rerum ipsarum obscura, et cæterorum notitiam geographorum excedens antiquitas permittebat, et, si vel maxime hoc agere voluissem, operosa de rebus plane dubiis disquisitio, quam alii refugissent interpretes, raro erat successum usumque habitura. Hæc nunc profiteri volui, ne, qui me plura gentium et locorum nomina, situs et fines, aut intacta præteriisse, aut remissius exposuisse reperiant, propterea mihi litem moveant, meque vel negligentiæ, vel imperitiæ incusandum putent. Cæterum me in ipso carminis textu recensendo et castigando non indiligenter versatum, plurimaque menda, quæ viri docti, superius nominati, aut animadvertissent parum, aut frustra tentassent, a me sublata esse, haud dubie intelligent et fatebuntur, qui adnotata mea legere et judicare æquo animo volent.

Secundo loco consilium erat, postquam carmen de Ora maritima studiosius perlegissem, de argumento ejus et rerum proditarum ordine disserere, tum quæ dos sit ejus carminis, et quod pretium ei statuendum, paullo uberius exponere. Sed quod prius illud adtinet, fere difficile est, certum narrationis ordinem, a naturali locorum, quæ enumerantur, situ dictum in eo invenire. Non quidem falsi omnino fuerunt, qui in carmine eo, seu fragmento potius magni operis instituti, oram maritimam interiorem Hispaniæ a Gadibus ad Massiliam usque describi dixerunt. Sed fallatur egregie,

qui auctorem recta pergere per istam oram, nusquam deflectere, et singula continua serie enarrare putet. Etenim qui a sinu Atlantico et a Columnis Herculis incipere videtur, ita statim excurrit, ut Oceanum exteriorem, qui Hispaniam ambit, et Hispaniæ gentes interiores una complectatur. Nam principio statim a promontorio, quod Œstrymnin vocat, per Oceanum versus Septemtrionem ad insulas Cassiterides et Britannicas excurrit, et litus adeo Galliæ septemtrionale adtingit. (Vers. 90 ad 132.) Alio loco, a v. 390 seqq. ubi mare Occiduum adtingit denuo, totius Oceani, terrarum orbem cingentis, considerationem aggreditur, et quatuor ejus majores sinus, Hesperium, Caspium, Persicum et Arabicum, quasi qui universam geographiam doceat, recenset. Neque vero interiorem oram Hispaniæ certo et continuo ordine peragrare videtur. Ubi aliquantum processit, iterum recedere eo, unde venerat, videtur, perque eumdem tractum alia terrarum, fluminum, urbium nomina, quasi ex alia diversaque recensione, memorare : mox insulas maris in propinquo jacentes adtingere, mox terras a litore ad interiora recedentes. Has iteratas locorum recensiones vix alii adtribuere caussæ possumus, quam lectioni diversorum, partim antiquissimorum, scriptorum, quorum narrata omnia, quamvis diversa et subinde pugnantia, usurpare Avienus, et constipare in carmen suum, nullo delectu habito, voluit. Nulla fere pars orbis scriptoribus Græcis minus cognita et explorata fuit, quam occidentalis. Fere enim noverant et celebrabant Columnas Herculis, et, quæ extremos orbis habitati fines efficiunt, insulas et promontoria. Cætera ejusdem partis ex incerta fama et vagis sermonibus navigantium, pro suo quisque captu et ingenio, addebant, vacuasque et incognitas regiones fabulis et commentis implebant. Inde est, quod Avienus, antiquissimos scriptores compilans, ter et amplius in carmine suo ad Columnas Herculis, ad Tartessum, Gades, Promontorium Sacrum, et vicinas regiones, redeat, falsa pariter et antiquata gentium

et terrarum nomina, melioribus ignota geographis, plura denique rerum miracula et portenta enarret. Et quia errores, quos antiqui illi scriptores erraverunt, temere sequitur, hinc ipse sæpissime oberrare incertis locis, miscere multa, et pugnantia dicere videtur, ut nesciat lector, quibus in regionibus versetur, quibusque locis gentium, montium, fluminum nomina adsignare debeat. Sæpe hoc mihi evenisse, carmen illud recensenti, fateor, sæpe me, dico, de ordine serieque rerum invenienda frustra fuisse sollicitum, et credo, cuilibet idem eventurum fuisse, si quis illud perpetua adnotatione interpretari, quod adhuc nemo fecit, voluisset. His Oræ maritimæ rebus consideratis, si judicium de eo opere ferendum sit, nescio an illud Avieno possit omni ex parte favorabile contingere. Placet omnino elegantia et copia dicendi, visque ingenii, in eo carmine quasi novo orationis genere conspicua, quæ uti in Descriptione Orbis prope ad heroici carminis virtutem adsurgebat, ita in Ora marit. velut leni simplicis narrationis flumine, faciles per iambos evoluto, videtur decurrere. Placet eruditio et solertia auctoris, qua memorabilia nonnulla ex antiquis scriptoribus lecta, atque hinc inde inspersa operi suo, tum nomina, origines, mores, commercia gentium atque urbium, quarum in aliis scriptoribus non æque exstat memoria, conservavit, quæ dos ejus libelli, si totum opus, cujus hodie primum tantum librum, nec eum integrum, habemus, ad nos pervenisset, magnum omnino momentum ad notitiam orbis antiqui, et universæ historiæ cognitionem fuisset habitura. Sed si rerum ipsarum tractationem, si scopum et consilium auctoris consideramus, quo Probum instruere de urbium gentiumque situ, per ambitum maris mediterranei et Ponti Euxini, volebat, haud equidem arbitror recte eum functum esse officio. Ostentatione quadam lectionis per plurimos geographiæ scriptores diffusæ, tum nimio veterum Græcorum, præ Romanis et recentioribus, amore, corrupit institutionis, quam daturus erat, usum, confusaneam et male digestam Oræ marit.

descriptionem dedit, proque vera ætatique suæ apta notitia gentium atque locorum, antiquata et obsoleta nomina, fabulas vetustatis, et rudis geographiæ errores vendidit. Agnoscere licet in hoc carmine sensum atque morem Avieni, quem in cæteris ejus scriptis, præsertim Descriptione Orbis, observamus, quod veteres tantum scriptores ediscit, repetit, explanat, nihil de sua vel ætatis suæ meliore scientia addit, antiqua reddit, nova vel negligit, vel ignorat, quamquam idem antiqua ista multo orationis ornatu eloquitur, ut quasi novo et exquisitiore habitu induta placere debeant.

RUFI FESTI AVIENI

ORÆ MARITIMÆ

LIBER PRIMUS *.

QUÆSISSE temet sæpe cogitans, PROBE,
Animo atque sensu, Taurici Ponti situs
Capi ut valeret his probabili fide,

* Sic inscribunt Pith. et Huds. edd. e prima Veneta, quæ habet pag. 95: INCIPIT ORÆ MARITIMÆ LIBER PRIMUS FELIX. Heinsium adjecisse notat P. Burmannus AD PROBUM, nescio, an ex codice aliquo. Sed verisimilius, traductum hoc a librario, vel ipso Heinsio, e versu 1, 24, 51. Neque aliter statuo de inscriptione, quam cod. V. exhibet e collatione Ortelii: RUFI FESTI AVIENI DE ORA MARITIMA, SIVE DE TAURICI PONTI SINU. Nam hoc manifeste petitum e vers. 2 et 33. Quos versus ne quidem recte cepit librarius, qui titulum carminis inde fecit. Nam Avienus iis significat, scopum et finem carminis sui esse Taurici vel Euxini ponti situm, quem quæsierat Probus, non totius carminis argumentum. Cf. v. 68 seqq. Nam ad illum Ponti situm extremo fine ostendendum peragrare prius vult omnem oram maris mediterranei, cujus hic liber primus est, exiguam ejus oræ partem, nihil autem de Ponto Euxino, exhibens.

2. *Animo atque sensu*. Hæc refero ad *Probe*, ut significet auctor, Probum vim et significationem sui nominis implere, vere Probum esse animo atque sensu. Nam, ne forte hæc conjungas cum sequentibus *capi ut valeret*, hoc impedire videtur, quod alii ablativi sequuntur, cum τῷ *capi* conjungendi, *probabili fide*, et quod ista longius ab hoc disjuncta sunt. Similiter interpretatum esse hæc verba C. Barthium, probat distinctio, quam collocat, eorum versuum, Advers. XXVIII, 12, quamque ipsi sequuti sumus. Cæterum Probus ille, ad quem Avienus scribit, quis fuerit, copiose ostendi in Procem. ad Avienum. — *Taurici Ponti sinus*: sic vulgatæ antiquæ. Sed Hudsonus recte, ut puto, reposuit *situs*, quod multo aptius sententiæ est, et versu 33 firmatur. Sic etiam in Perieg. v. 13 *sinum* perperam positum fuisse pro *situ*, ad eum versum monuimus.

3. *Capi ut valeret*, i. e. quomodo percipi et cognosci posset situs Ponti Taurici, *probabili fide*, e fide digno scriptorum testimonio. Sic Noster in Perieg. vs. 1045: « Hinc

Quos distinerent spatia terrarum extima;
Subii libenter id laboris, ut tibi
Desideratum carmine hoc claresceret.
Fas non putavi quippe, prolixa die,
Non subjacere sensui formam tuo
Regionis ejus, quam vetustis paginis,
Et quam, per omnem spiritus nostri diem,
Secretiore lectione acceperam.
Alii invidere namque, quod dispendio

solers Asiam facili cape carmine totam ». Sic etiam Barthius explicat. Versu 11 *acceperam* hoc sensu, et vs. 19 *sensu capacem* dicit.

4. *Distenerent* Veu. et Pith. sed *distinerent* emendavit Heins. et expressit Hudsonus. — *Distinerent*, id est, separarent. Alias frequenter a librariis permutari solet cum *detinerent* et *destinarent*. Ovidius, Epist. XII, 104: « Quique maris gemini distinet Isthmos aquas. » Ed. — Cæterum sensum quatuor versuum priorum sic capiendum censeo: Cogitans ego, mi Probe, animo atque sensu, sæpe te quæsisse, qua ratione effici possit, ut, qui Ponti Taurici situs esset, probabili fide cognosci ab his etiam posset, qni longius ab illo Ponto disjuucti extremis terrarum spatiis habitant; snbii libenter, etc.

5. *Subi* Ven. reliqui *Subii.*

6. *Desideratum* ipsum votum significat, vel desiderium, cujus usus non infrequens Christianis scriptoribus. Noster infra v. 27 similiter. Barth. Adv. XXVIII, 12.

7. *Prolixa die* tantumdem est, ac si dixisset *longo tempore*. Sane *dies longa* pari phrasi Latinis scriptoribus summis longum ævi cursum denotat. Ut in illo, « Quid non longa dies, quid non cousnmitis anni ». Et « longa dies acuit mortalia corda ». Exempla obvia. Sic mox « omnem spiritus diem sui » omnem vitam suam dicit. Barth. Advers. XXVIII, 12. — *Prolixa die*, promissam *diu*, vel pollicitam *diu*: vs. 24 dicit *rem* a Probo *efflagitatam*. Heins. Mihi *prolixa dies* non respicere videtnr ad rei promissionem din ante factam, sed rei cognitionem et claritatem, et *prolixam diem* adeo idem esse ac *claram lucem*, qua ipsa res a Probo efflagitata gaudeat, et quam propter fas non putat Avienus, formam ejus regionis Probi sensui non snbjacere. *Prolixa die* igitur ad sequentia *Non subjacere* pertinet, et a præcedentibus commate distinguendum. Notæ sunt formulæ, hnic similes, « multo jam die, illnstri, luculenta, aprica die ».

8. *Formam regionis* dicit, ut sæpius in Periegesi, v. 358, 386, 1046, 1251, et mox vs. 37, « locorum formulam imaginemque ».

10. *Et qua* Ven. *Et quam* Pith. et Huds. Pro eo tamen *Æquam* vult Barth. i. e. parem, æqualem, qua voce Avienus consensnm omnium sæculorum et secretæ Philologiæ innuat; æquam formam vetustis paginis.

Tibi haud sit ullo, agrestis et duri reor.
His addo et illud, liberûm temet loco
Mihi esse amore, sanguinisque vinculo.
Neque sat sit istud, ni sciam te literas,
Hiantibusque faucibus rerum abdita

13. *Tibi haud sit ullo:* sie vulgatæ. Sed Hudsonus conjicit *fit ullo*, aut *sit ulli*, quæ nullo modo præferre vulgatæ lectioni possnm.—*Agrestis et duri reor:* sie Pith. et Huds. satis bene. *Orestis et durreor* ed. Ven. *hoc esse durum reor* cod. V. Ortel. qnod a eorrectione corruptæ scripturæ esse videtur. *Nemini hoc durum reor* Scriv. qnod contrarium menti auetoris existimo. *Agrestis id viri reor* volebat Heins. eui adsentit Burm. et versum 29 adscribit: « quippe uon parci viri est ». Vulgatam probat Barthius, atque addit: *Durum genus* stolidos homines apud poetam sonat; et hoc loco *durus* ineivilem, horridum sine gratiis hominem notat. ,

14. *His adde* pro *addo* legit Heins. *liberum temet locum Mihi esset amor sanguinisque vinculo :* sic Ven. ex eaque Pith. ed. Ipse Pithœus vero conjicit *liberûm in temet locum Mihi esse, amoris sanguinisque vinculo*, quod expressit Huds. Hie præterea legi posse existimat *liberûm temet loco Mihi esse amoris sanguinisque vinculo*, quæ ipsa emendatio est Heinsii et Scriverii. Nec valde differt lectio codicis V. *liberum temet loco Mihi esse amore, sanguinisque vincûlo*, quam etiam tenet Nie. Autonius, Bibl. Hisp. II, 9, pag. 160, atqne ego eæteris præfero. Sed in alia abit Barthius, Adv. XXVIII, 12, qni existimat, Avienum potius dicere, illi Probo in se jus esse. Probum enim poposcisse hanc narrationem, psruisse poscenti Avienum: itaqne legendum: « Liberum in memet locnm Tibi esse amore sanguinisque vinculo ». Sed *liberum locum* pro *liberum jus esse in aliquem*, nescio an proba latinitate dicatur.

16. *Ni sciam te literas* Pith. et Hudsonus dederunt, ex hoc corrupto Venetæ, *mi cete literas*, vel, ut cod. V. habet, *misitisse literas*. Pro quo Scriverius pouere voluit *me tenere literas*, et in seq. *Hiantibusque faucibus te harum abdita Hausisse semper*. Quæ non admodum placent.

17. *Hiantibusque faucibus vestarum abdita:* sic Ven. et Pith. *vestrarum* eod. V. quod monstrum lectionis varie adorti sunt critici. Barthius, p. 1331, legendum putat *veterum abdita:* cui superscripsisse fatnum quemdam *vetustorum*, unde origo sit nævo. Scriverium etiam *veterum* volnisse notavit Burm. sec. Mar. Opitius, Var. Lect. eap. 7, p. 28, legit *Vestæ abdita*, id est, literas secretiores ac parum vulgo notas. Quippe *Vestæ penetralia*, et adagium apud Zenobium, « Vestæ saerifieare », vulgata esse. Etiam Heinsio et Holstenio placuisse *Vestæ*, id est, *Terræ*, vel *rerum*, ut infra v. 22 « Secreta rernm », notavit Burm. sec. ad Anthol. tom. I, p. 716, egregieque firmari posse ex Horat. Epist. II, 2, 114: « Et versentur adhuç intra penetralia Vestæ, Obscurata diu populo bonus eruet ». Scriverius collationi eod.

Hausisse semper, esse patuli pectoris,
Sensu capacem; talium jugem sitim
Tuo esse cordi, et esse te præ cæteris
Memorem intimati: cur inefficaciter
Secreta rerum in non tenacem effunderem?
In non sequacem quis profunda obganniat?
Multa ergo, multa compulere me, Probe,
Efflagitatam rem tibi ut persolverem.
Quin et parentis credidi officium fore,

Ortel. adlevit *Phœbi abdita*. Hudsonus edidit *faucibus istarum abdita*, quod lex metri non recipit. Et sane propter copulam in *Hiantibusque* videtur aliqua vox reponenda, quæ rem aliam, ac literas ipsas, significet. Proinde non incommoda lectio Barthii *veterum abdita*. Malim tamen *rerum abdita* scribere, ut scripturæ primæ et corruptæ magis conforme. Librarius literas ultimas in *faucibus* male repetitas conjunxerat cum voce *rerum*; unde *vestarum* vel *vestrarum* ortum est. Et sic sæpius loquitur Avienus; vs. 22: « Secreta rerum »; vs. 276: « sub fide rerum », i. e. historiarum. *Vestæ abdita*, quod Opitius et Heinsius volunt, paullo doctius et reconditius, ut ipsum Vestæ penetrale, est. Cum *hiantibus faucibus* compara versum 261 Periegesis.

18. *Hausisse semper esse patuli.* Barthius distinguere jubet post *Hausisse*, quod non improbo, nec tamen necessarium puto. *Sed patuli pectoris* habet V. *sed patulci pectoris* conjicit Scriv. utrumque sententiæ non aptum agnosco.

19. *Sensu capacem* Ven. et Pith. *Sensum capacem* cod. V. *Sensu capaci* manus viri docti ad librum Gron. *Sensus capacem* edidit Huds. quod minus commode dictum videtur: neque enim *sensus* capitur, sed sensus ipse capit res, vel capax rerum est, quemadmodum accepit hoc vocabulum supra vs. 8. Itaque malo vulgatum servare.

20. *Tuo esse cordi* vulgatæ. Hudsonus subjicit: Forsan *Tibi:* sed hoc ineptum, et alienæ ab hoc loco significationis.

23. *Quis profunda obganniat* vulgatæ: *profando* Heinsius ingeniose. Sed vulgata retinenda videtur, quia, quæ præcedunt, *Secreta rerum* hic respondentem accusativum *profunda* requirunt.

24. *Muta ergo* Madrit. ed. vitiose.

26. *Quin et parent credidi* Ven. et Pith. ed. *Quin et parentis* correxerunt Pith. et Heins. ed. Madrit. et Huds. Forte scribendum: « Quin, ut parentis, credidi officium fore ». Sanguinis vinculo sibi Probum junctum jam dixit. Opit. — Ad filium, vel filii loco carum, sane hactenus alia loquutus esset Poeta, cognatum potius et amore junctum dixit ante, quam filium. Quare aliud quid delitescere credimus. Legam: « Quin et perenne credidi officium fore ». Si chartis a te petita consignarem, idque locupletius, credidi me semper memorem te officii ha-

Desideratum si tibi locupletius
Profusiusque Musa promeret mea.
Dare expetitum quippe non parci viri est;
Augere porro muneris summam novis,
Mentis benignæ satque liberalis est.
Interrogasti, si tenes, Mæotici
Situs quis esset æquoris. Sallustium
Noram id dedisse, dicta et ejus omnibus
Præjudicatæ auctoritatis ducier
Non abnuebam: ad ejus igitur inclytam
Descriptionem, qua locorum formulam
Imagineinque expressor efficax styli

biturum. *Perannare* Veteribus *æternare*. — Simul vero operis ipsius perennitatem loco boni ominis nominare voluit. BARTH. Advers. pag. 1332. — Sed frustra *parentis* nomine offenditur Barthius, quod sequiore ævo latinitatis non semper patrem, sed quemvis cognatum, qualem Barthius hoc loco intelligi vult, significavit. Docuit Casaubon. ad Jul. Capitolini Marcum, cap. 5, et Cangius in Glossario.

27. *Desiderato* maluit Heins. et versu seq. *Musa id*. Sed hac emendatione non opus est.

29. *Dare expetitum*, h. e. tantum, quantum expetitum est.—*Non parci viri est*, h. e. viri tantum non maligni et invidentis. Sic Pith. et Hudsonus ediderunt, recte: *non pare viri est* edit. Venet. *non parentis est* V. sensu inepto et contrario. Forte *non clari viri est* Ortel.

30. *Muneris summam novi*. Pro eo *novis* Heinsius, præclare: sed fortasse melius *novo* scribatur, ut respondeat singulari *muneris*. Non munus, quod augetur, *novum* dici potest, sed illud, quo augetur.

33. *Sallustium*. In libris credo Historiarum, qui interciderunt. Clarum id ex Fragmentis, in quibus frequens insularum maris mentio est. SCHOTT. — Sallustii Descriptionem Ponti Euxini, uti ipse Noster vocat v. 37, vel *Situm Ponticum*, uti a Grammaticis veteribus citatur, hic respici ab Avieno, et singularem eum librum Sallustii fuisse, ab ejus Historiis distinctum, ostendi in Præfat. mea ad Avienum, ubi de ejus Ora maritima disserui.

38. *Expressor efficax styli*. Bene omnino laudat ita Sallustium. Efficax enim cordatum atque magnanimum notat. Ut efficacem Herculem Horatius adpellavit. *Expressor*, ut talia more suo utitur. In principio Arateorum: « Carminis inceptor mihi Jupiter ». Virtutibus styli Sallustiani optime hæc duo verba conveniunt. BARTH. Adv. p. 1332. — Vocabulo *expressor* aptè utitur, quoniam ante imaginem nominavit. Nam de hac proprie hoc verbum. Horat. Art. Poet. v. 33, de statuario: « ungues Exprimet et molles imitabitur ære capillos ». Cic. pro Sexto

Et veritatis pæne in obtutus dedit
Lepore linguæ, multa rerum junximus,
Ex plurimorum sumpta commentariis.
Hecatæus istic quippe erit Milesius,
Hellanicusque Lesbius, Phileas quoque
Atheniensis, Caryandæus Scylax,
Pausimachus inde, prisca quem genuit Samos,

Rosc. cap. 16, « expressam imaginem vitæ quotidianæ » in comœdiis dicit. Cæterum expressorem *styli* simul et *veritatis* nominat, nam hæc conjungenda, quemadmodum Tertull. Apol. cap. 46: « Veritatis integrator et expressor ».

39. *Pæne in obtutus dedit*, h. e. ita ad verum expressit, ut pæne oculis videre liceat. Conferas, quæ Cicero, Tusc. V, 39, de Homero judicat: « Traditum est, Homerum cæcum fuisse. At ejus picturam, non poesin, videmus. Quæ regio, quæ ora, qui locus Græciæ non ita expictus est, ut, quæ ipse non viderit, nos ut videremus, effecerit? »

40. *Leporem linguæ* V. forte *linguæ leporem* Ortel. Utrumque ineptum. Pro *rerum* vir doctus ad oram libri Gronov. notavit f. *veterum*, sed perperam. Vulgatam confirmant, quæ sequuntur: « Ex plurimorum sumpta commentariis ». Pro *junximus* cod. V. *diximus*. Et hoc deterius vulgato, multoque magis *viximus*, quod est in Ven. —*Lepor linguæ* est facundia placens. Ut Lucretius jactat se cuncta dicta Musæo lepore contingere. Barth. Adv. p. 1332.

42. *Hecatæus* et rell. Veteres Geographi et nobiliores historici nominantur. Casaub.—Pro *quippe erit* Huds. forsan *erat*. Sed *istic* postulat *erit*. Nempe *istic*, in opere meo, quod promitto, *erit*, legetur tibi Hecatæus, etc. Et infra v. 51: « Hic porro habebis ».

43. *Phileus quoque* Ven. et Pith. *Philetius* V. et *quoque* deletum erat. Strabo *Philetii* meminit. Ort.—Sed Philetium a Strabone citari non reperio, nisi Philetas intelligendus, cujus Ἑρμηνείαν citat lib. III, pag. 168. Et Philetas historicus, qui Ἀττικὰ tradidit literis, ut memorat Athenæus, lib. II. Unde fortasse Philetium e Phileta formavit scriptor codicis V. quia Avienus Atheniensem vocat. Sed rectius Heinsius et Hudsonus *Phileas quoque* reposuerunt, Philean nobilem et antiquum Geographum indicantes, cujus περίπλοι citantur a Stephano, et cujus librum de Asia laudat Macrob. Saturn. V, 20. *Phileus* tamen defendi videtur versu hujus poematis 685, ubi *Phileas* vix locum habet.

44. *Caryandynus* V. *cariæ ditus* Ven. *Cyryandæus* Pith. *Caryandæus* scribere jussit Heins. et sic edidit Huds.—*Scylax*. Scylacis antiqui rerum scriptoris meminit Strabo in XIV. Hic ex Caryanda insula prope Bargyliam urbem Cariæ fuit. Ort. —Scylacis Periplum Is. Vossius edidit, et Jo. Hudsonus in Geogr. Gr. min.

45. *Pausimachus ille* vulgatæ. Heinsius scribit *inde*, quod probo. Pau-

Quin et Damastes nobili natus Sige,
Rhodoque Bacorus ortus, Euctemon quoque
Popularis urbis Atticæ, Siculus Cleon,
Herodotus ipse Thurius, tum qui decus
Magnum loquendi est, Atticus Thucydides.
Hic porro habebis, pars mei cordis, Probe,
Quidquid per æquor insularum adtollitur:
Per æquor illud scilicet, quod post cava
Hiantis orbis, a freto Tartessio
Atlanticisque fluctibus, procul sitam
In usque glebam proruit nostrum mare;

simachus Samius, præter Avienum, a nemine memoratur.

46. *Damastus* Ven. et Pith. Damasti meminit Strabo. Ort.—Etiam Dionys. Hal. lib. de Thucyd. char. cap. 5; Val. Max. VIII, 13, ext. 6; Plin. VII, 48; Plut. in Camillo; Suidas in Δαμάστης, quibus omnibus Damastes vocatur, quod edidit Huds.

47. *Bacoris* Ven. et Pith. *Pacoris* adscripserat Heins. *Bacorus* edidit Huds. Neque vero hujus vel illius nominis scriptorem aliis memoratum video. *Euctemon*, ut vulgatæ scribunt, forte idem, qui vs. 337 *Ecdemon* dicitur, et *Eudemus* Naxius, quem Clemens Alex. Strom. VI, historiam edidisse ait.

48. *Siculus Cleon* videtur esse Syracusius, qui librum scripsit de portubus, Stephano memoratum in voce *Aspis*.

49. *Thyrius* Ven. et Pith. *Thurius* V. quod edidit Huds.

54. *Post cava Hiantis orbis*, post sinum illum orbis, ubi duæ ejus partes Europa et Africa hiatu quodam, id est, freto interjecto, distant: explicat ipse addito *freto Tartessio*. Sic Noster in Desc. Orb. v. 20, «Terrarum cava» adpellat; v. 201 de Bosporo Thracio: «terraque parci Faucibus oris hiat»; et vs. 223: «dehinc se Thracius arctat Bosporus, et tenui vix panditur oris hiatu».

56. *Procul sitam In usque glebam proruit*, h. e. in extremas usque oras Asiæ et Europæ *proruit*, provolvit, propellit *nostrum mare*, mediterraneum: ut mox v. 83: «Oceano ab usque, ut gurges hic nostri maris Longe explicetur». Loco *proruit* Opitius Var. lect. p. 28, mavult *proluit*, et citat Columellæ verba: «Impetus aquarum proluit terram»: recte hoc sane: terra proluitur, at non mare, de quo Avieno sermo est: Æquor illud, inquit, quod proruit nostrum mare. Hinc *proluit* ineptum est. Et Noster in D. O. v. 594, verbo *irruit* utitur de fluvio et mari: «virides sulcans terras Achelous Irruit Hadriaci tergum maris»; at v. 557 de terra et mari verbo *subluit*: *citus Hadria rursum Subluit hanc fluctu.* Si *proruit* h. l. displicere deberet, mallem tamen *porrigit*, admodum simile ver-

Sinusque curvos, atque prominentia:
Ut se supino porrigat litus situ,
Ut longe in undas inserant sese juga,
Celsæque ut urbes adluantur æquore:
Quis ortus amnes maximos effuderit,
Ut prona ponti gurgitem intrent flumina,
Ut ipsa rursum sæpe cingant insulas,
Sinuentque late ut tuta portus brachia,
Ut explicentur stagna, et ut jaceant lacus,
Scruposum ut alti verticem montes levent,

bum, substituere, quod de mari et flumine adhibet Desc. Orb. v. 90 et 965. Cæterum Heinsius adhuc corrigit *nostrum in mare*, vel *nostri maris*, qua re non opus esse videtur.

57. *Sinusque curvos* repete hic ex v. 51: «Hic porro habebis». — *Prominentia* dicit promontoria, quæ in mare prominent, et opponuntur *sinibus curvis*. Sic v. 90: «Et prominentis hic jogi surgit caput»; et v. 343: «saxa prominentia». Sinus curvos versu sequente, et prominentia vs. 59 amplius declarat.

58. *Supino litus situ. Sinu* V. recte, adscripsit alius. Ovid. Epist. II, 131. «Est sinus adductos modice falcatus in arcus». Probavit idem Burm. Ego vero retinendum puto *situ*, quia *situ supino litoris* ipsum sinum describere vult poeta, et *sinus* ex versu præcedente male repetitur. Cæterum tribus sequentibus versibus varia locorum genera, quæ mare mediterraneum adluat, eodem plane modo atque ordine describit, ut in Descr. Orb. v. 95 seqq. fecit.

63. *Ut ipsa rursum.* Hudsonus legi jubet *Ut ipse rursum sæpe cingat insulas*, nempe *pontus*. Sed ego nolim mutare. Nam insulas maris jam nominavit v. 52, et flumina, de quibus proxime loquutus est auctor, in mare labentia, constat sæpe insulas supra litus efficere. Vid. v. 283 et 698.

64. *Sinuentque late.* Heinsius *lati* mavult: *tute Pontus* V. Sed infra v. 521 similiter: «Nam pandit illic tuta portus brachia». Barthius, Advers. p. 1549, adducto hoc loco, Brachia, inquit, sunt curvaturæ et flexiones portuum. Corippus, lib. I, vs. 104: «Portum, quem geminæ complexant brachia ripæ Mœnibus adpositis». Pluribus locis hujus vocis usum illustravi in not. ad Rutil. Itin. I, 535.

65. *Ceu jaceant lacus* Pith. *seu jaceant* Huds. *et ut jaceant* conjicit Heius. quod placet.

66. *Scruposi vertices montium* sunt asperi cautibus; quemadmodum Noster in Descr. Orb. v. 869: «Inter Cauricrepas et scruposas convalles»; et infra vs. 625: «scrupeam molem imminentis montis» vocat. Lucanus, V, 675: «Scruposis angusta vacant ubi litora saxis». Et vox *scrupus* ea significatione frequens Nostro. Vid. Descript. Orb. vs. 503, 785, 810; Or. Mar. 137;

Stringatque nemora ut unda cani gurgitis.
Laboris autem terminus nostri hic erit,
Scythicum ut profundum, et æquor Euxini sali,
Et si quæ in illo marmore insulæ tument,
Edisserantur : reliqua porro scripta sunt
Nobis in illo plenius volumine,
Quod de orbis oris partibusque fecimus.
Ut aperta vero tibimet intimatio
Sudoris hujus et laboris sit mei,
Narrationem opusculi paullo altius
Exordiemur: tu per intimum jecur
Prolata conde; namque fulcit hæc fides
Petita longe, et eruta ex auctoribus.
Terræ patentis orbis effuse jacet,

et vid. Heins. ad Val. Flacc. II, 518.

67. *Stringatque nemora ut unda cani gurgitis.* Verbum *stringere* de aquis adluentibus solenne esse poetis, ut et similia, *radere*, *mordere*, *lambere*, pluribus locis, hoc etiam Nostri adducto, probat Broukh. ad Tibull. IV, 1, 142. Singula fere adhibet Noster, Des. Orb. vs. 94 seqq. et Prisc. vs. 69 seq.

73. *De orbis oris partibusque*, est descriptio alterius carminis geographici, Periegeseos, quod opus hoc loco auctor ante Oram maritimam scriptum esse perhibet.

74. *Intimatio*, lapsæ latinitatis vocabulum, est significatio, declaratio, præceptio, vel etiam promissio. Et sensus versuum sequentium hic est : Quo magis vero adpareat tibi, quæ et quanta sit hæc, quam professus tibi sum, opera, aio me narrationem opusculi paullo altius exorsurum, etc.

76. *Narratione* ed. Ven. et cod. V. sed *Narrationem* jam correxit Pith.

77. *Tu ex intimum jecur* Ven. et Pith. *tu in intimum jecur* V. *tu hæc in intimum* Opitius, p. 28 : *tu sub intimum* Barth. Adv. pag. 1332 : *tu per intimum* edidit Huds. *tu autem in intimum* maluit Oddius. Mihi *tu hæc* Opitii minus placet, quia superfluum videtur, et abesse potius debet, ad exemplum Virgilii, Æneid. III, 388: « Signa tibi dicam, tu condita mente teneto ». Barthii *sub intimum* congruit quidem consuetudini Avieni, qui vs. 413 « Hoc agili sub mente tene », sed tamen cum corruptæ scripturæ, quæ *ex* habet, vestigiis parum convenit. Itaque malim fere, quod Hudsonus exhibuit, « tu per intimum jecur, etc. »

80. *Terræ patentis effusæ jacent :* sic vulgatæ. *Orbis effuse jacet* Scriv. Hoc præfero, quia sic melior oppositio sequentis *Orbique rursus* rel. Et sic Noster alibi, ut versu 390 : « Oceanus iste est, orbis effusi pro-

Orbique rursus unda circumfunditur.
Sed qua profundum semet insinuat salum
Oceano ab usque, ut gurges hic nostri maris
Longe explicetur, est Atlanticus sinus.
Hic Gaddir urbs est, dicta Tartessus prius:
Hic sunt Columnæ pertinacis Herculis,
Abyla atque Calpe: (hæc læva dicti cespitis,
Libyæ propinqua est Abyla,) duro perstrepunt
Septemtrione, sed loco certæ tenent.

cul Circumlatrator »; et vs. 538: « Hos inter autem portus effuse jacet ».

82. *Semet insinuat salum Oceano ab usque.* Sic Descript. Orb. v. 19: « Æquore ab Hesperio qua se salis insinuat vis »; et vs. 397: « eadem insinuatio ponti Europam et Libyam disterminat ».

85. *Dicta Tartessus prius.* Paullo aliter in Perieg. vs. 612: « Hæc (Gadir) Cotinussa prius fuerat sub nomine prisco, Tartessumque dehinc Tyrii dixere coloni ». Confer. quæ infra dicuntur vs. 267 seqq. Sed Salmasius, Exerc. Plin. p. 202 monet, male ab Avieno et aliis Tartessum, sive Gaddir, confundi cum Gadibus. Tartessum esse insulam, vel potius urbem circumfluam, duobus Tartessi, hoc est, Bætis, amnis ostiis, et mari conseptam, quam Gadir Tyrii nominarunt: Gades esse insulam in capite Bæticæ, quæ Atlantico Oceano tota cingebatur.

86. *Hic sunt columnæ pertinacis Herculis.* Sic postea v. 163: « Usque in columnas efficacis Herculis ». Quæ epitheta versui iambico melius stabiliendo Avienum adhibuisse, non difficulter olfaciunt, quibus poeticum nasum habere datum est. Oppt. pag. 28. — *Pervicacis* vult Heins. ut Achilles pervicax Horatio. Burm. — Idem adnotavit Vlitius in Add. ad Grat. 219. Sed caussam nullam video, cur *pervicacis* præferendum sit. Vlitius tamen l. c. legit *columnæ pertinaces Herculis*, et explicat e vs. 89: « sed loco certæ tenent », id est, perstant. Remittit tamen, ut etiam *pertinacis* legatur.

88. *Libyæ propinquæ* * *stalia* Ven. et Pith. *Libyæ propinqua, ast aliæ duro perstrepunt* V. *Libyæ propinquæ est alia* notavit Fabricius in marg. edit. Madrit. et sic Oddius voluit. *Libyæ propinquæ spatia* legerunt Scriv. et Heins. idque edidit Huds. Sed nullum hac emendatione facilem sensum inferri video. Itaque multum præfero, quam Vlitius l. c. dat: « hæc læva dicti cespitis, Libyæ propinqua est Abyla ». Certe enim hic utriusque columnæ disparatum situm monstrare debuit, et repetere nomina, ut alio in loco plane simili fecit, vs. 343: « Sunt parva porro saxa prominentia, Abyla atque Calpe: Calpe in Hispano solo, Maurusiorum est Abyla ». Adde Perieg. vs. 111: « Maura Abyla, et dorso consurgit Iberica Calpe ».

89. *Sed loco certæ tenent* Ven. et Pith. *loca certæ tenent* cod. V. Hud-

Et prominentis hic jugi surgit caput,
(OEstrymnin istud dixit ævum antiquius)
Molesque celsa saxei fastigii
Tota in tepentem maxime vergit Notum.
Sub hujus autem prominentis vertice
Sinus dehiscit incolis OEstrymnicus,

sonus emendavit et edidit *sed loco certo tenent*, quo quid effectum sit, non video. Vlitius l. c. vulgatam retinet *sed loco certæ tenent*, et *tenere* absolute significare dicit perstare. Apta videtur hæc interpretatio, quum præcesserit *duro Septemtrione perstrepunt.* Nam sic respexerit forte Avienus tempestates cæli atque maris, quas sustinere hæc promontoria dicunt poetæ. Vid. Lucan. I, 555; Sil. Italic. V, 396 seqq. Verisimilius tamen est, *tenent* hoc loco esse *continuantur*, vel contiguæ stant, *certæ* certa et directa serie, prorsus ex adverso. *Certi* hanc significationem adserui ad Lucil. Ætn. vs. 482, et τοῦ *tenere* significationem magis adstruunt *vasa tenentia longe* apud Grat. l. c. Itaque emendationem Nic. Heinsii, quamvis ingeniosam et doctissimam, nequeo equidem admittere, quæ neque rei et loco satis convenire, neque legi metri opportuna videtur. Integram subjicio. — *Sed loco certæ tenent. Seu loca Etesiæ tenent* Heins. *Etesiæ* Cicero, Epist. lib. XII, ep. 25; lib. XV, ep. 11: « Etesiæ in Africa meridie spirant » Plin. II, 47. Apud Cæs. Bell. Civ. lib. III, cap. 25 : « quod certe sæpe flaverant venti », lege *quod Etesiæ flaverant.* Etesiæ etiam restituendæ Apuleio, Apologia ed. Elmenh. pag. 350, ubi vetusti codices *Syrtis æstus et bestias*, lege *et Etesias.* De Syrtis æstu vario Plin. II, 97. Etesiæ etiam hieme in India spirant. Vid. Plin. lib. VI, cap. 17, quod facit ad locum Cæsaris. Heins. — *Etesiæ*, venti ab occasu flantes, euntibus in Græciam secundi, in Italiam, adversi. Ed.

90. *Prominentis hic jugi*, h. e. promontorii in mare excurrentis, quomodo iterum v. 94.

92. *OEstrymnin*, antiquum promontorii vocabulum, ignorant alii Geographi. In *OEstrymnis* esse ellipsin vocis *arx* vel *summa*, monuit Schrad. ad Avien. Descr. Orb. vs. 740. Puto intelligi promontorium Sacrum, ad quod Dionysius Hesperides insulas collocat, quæ Avieno sunt OEstrymnides. Quamquam qui OEstrymnin pro Artabrorum promontorio habent, ut Bochart. Chan. p. m. 723, eadem ratione ducuntur, nec infelicius judicant, quia Cassiterides a multis ultra hoc promontorium versus Aquilonem collocatæ, in iisque numeratæ insulæ Britannicæ. Quorum sententiam ipse Noster sequi videtur vs. 108 seqq.

92. *Molesque celsa saxei fastigii.* Sic describit excelsum et arduum promontorium. In Periegesi subinde vocare solet *saxa* et *saxosa*, ut vs. 109, « sic intrant saxa profundum »; vs. 129: « Usque in saxosi Pachyni juga »; vs. 958 : « Qua vastum in pelagus vergit saxosa Carambis ».

In quo insulæ sese exserunt OEstrymnides,
Laxe jacentes, et metallo divites
Stanni atque plumbi: multa vis hic gentis est.
Superbus animus, efficax solertia,
Negotiandi cura jugis omnibus:
Notisque cymbis turbidum late fretum.

96. *Insulæ sese exserunt OEstrymnides.* Cassiterides insulæ a Festo Avieno OEstrymnides vocantur, ut etiam suspicatur Ortel. quas stanni plumbique divites facit his versibus : « In quo insulæ sese exserunt OEstrymnides, etc. » Sed unde dictæ OEstrymnides hæ insulæ, mihi æque ignotum, ac pleraque alia nomina, quæ solus hic poeta usurpat. L. Nonius, Hispan. cap. 93, p. 297.—Idem sentit Bochartus in Chan. lib. I, cap. 39, p. m. 723. Dionysius Perieget. has insulas vocat *Hesperidas*, et non procul a promontorio Sacro statuit. Nam ex eo Prisc. vs. 574 : « Sed summam contra, Sacram cognomine, dicunt Quam caput Europæ, sunt stanni pondere plenæ Hesperides, populus tenuit quas fortis Iberi ». Avienus, Descr. Orb. v. 739 has Hesperides Dionysii perperam accepisse de iis insulis videtur, quæ Æthiopiæ ad oram Africæ adjacent.—*Exserunt.* Sic Descr. Orb. vs. 440 : « qua se procul insula Pence Exserit »; et v. 701 : « Cererique Thasos dilecta profundo Proserit albenti se vertice ». En.

97. *Laxe jacentes*, vel longe lateque sparsas has insulas Avienus propterea dicere videtur, quod Geographi numerosas esse Cassiterides, situmque earum admodum diversum tradunt, quum alii in occiduo Oceano, alii ex adverso Celtiberiæ, vel ad Artabrum promontorium, alii inter Hispaniam et Britanniam collocent. Unde facile existimari potuit, per omnem eum tractum Oceani sparsas esse insulas, quæ Cassiteridum nomine veniant.

98. *Multa vis hic gentis est.* Accipio de multitudine et potentia populi, quemadmodum de Gaditanis infra v. 275.

99. *Superbus animus.* Si de incolis Cassiteridum loquitur, videtur contrarium Straboni dicere, qui lib. III, p. 175, refert, P. Crassum adversus incolas missum, sed miti illos ingenio, pacique deditos reperisse. — *Efficax solertia.* Hoc ipsum indicat Noster, Descr. Orb. v. 743, ubi de his insulis : « genitrix hæc ora metalli, Albentis stanni venas vomit : acer Iberus Hic freta veloci percurrit sæpe faselo ».

100. *Nolusque cumbis.* Sic vitiose Ven. et Pith. * *Nam usque cymbis* V. *Non usque cymbis* emendat Pithœus. *Nullisque cymbis* Nonnius, pag. 298, qui et Guilielmi Camdeni lectionem *Non usque navibus* adfert, sed et rejicit. *Novisque cymbis* edidit Hudson. qui et alios *Notisque cymbis* legere dicit. *Soliti usque*, vel *Solitisque*, vel *levibusque cymbis*, ut infra v. 369 : « Levique cymba vix superferri salo ». Heins. et Burm. Mihi placet *Notisque cymbis*, quod proxime ad scripturam veterem accedit, h. e. cymbis ejusmodi, quæ illis sigillatim cognitæ, usitatæ,

Et belluosi gurgitem Oceani secant.
Non hi carinas quippe pinu texere,
Acereve norunt: nou abiete, ut usus est,
Curvant faselos; sed rei ad miraculum,
Navigia junctis semper aptant pellibus,
Corioque vastum sæpe percurrunt salum.
Ast hinc duobus in Sacram (sic insulam

consuetæ sunt, singularibus alias et insolitis, qnod mox declarat v. 103. Vnlgatus est ille vocis *notus* usus, ut probare exemplis supersedeam.

192. *Belluosi Oceani*, i. e. Atlantici, vel Occidentalis, quem belluis marinis et balænis scatere dicunt, ut notavimns ad Halieut. alterum, quod est Nemesiani vs. 65 (hujus uostr. op. t. I, part. I, p. 234. Ed.) Et Noster infra vs. 129 et 410, *belluas* omne hoc pelagus *internatare*. Britaunicum Oceauum, qui haud alius, *belluosum* vocat Horat. Carm. IV, 14, 48. *Cetosum* mare pro belluoso dicit Noster, Descript. Orb. v. 1357. — Et iterum infra vs. 204 *Oceanum belluosum* dicit. Ed.

103. *Carinas pinu texere*. Sic Noster in Descr. Orb. vs. 1192: « Vel salis in fluctns qui cymbam navita texit ». *Non hi carinas* Ven. et Pith. et Huds. *Non hic* ed. Madr. et cod. V. perperam: *quippe e pinu* Heins.

104. *Facere morem* Ven. et Pith. sed idem Pith. emendavit *Fecere morem*; quomodo et Heins. qui post *morem* pouit punctum. Sed felicins Nonius, p. 298: « pinn texere Acereve uorunt », quem sequntus est Hnds. Nonius etiam Cambdeni lectionem producit: « Fecere remos, non abiete ut usus est »; sed non probat; siquidem *pinu texere* et *fecere remos* incongruum seusum efficere, cuivis erudito patere putat.— *Non abiete hic, ut usus est*, voluit Scriverius.

105. *Curvant fasello* Ven. et Pith. vitiosc: *faselos* V. et sic ipse Pith. emendat et Heins.

106. *Junctis aptant pellibus*. Pro *junctis* Heius. ad Sil. Ital. IX, 641, aliquando volebat *sutis*, nec tamen pertendit. Sane etiam verbo *jungere* de ædificanda nave utitur Claud. Bell. Get. v. 17: « Nec nemoris tantum junxisse carentia sensu Robora ».

107. *Corioque percurrunt salum*. Idem memorat Noster in Perieg. v. 744: « ...Iberus Hic freta veloci percurrit sæpe faselo ». Coriacia navigia intelligit Casaub. Idemque memorat Plinius, lib. VII, cap. 56: « Etiam nunc in Britannico Oceano vitiles (uaves) corio circumsutæ fiunt ». De Lusitanis memorat Strabo, III, p. 155: eos coriaceis navigiis nsos esse usque ad Brutum, ob exundationes et paludes; nunc uti lintribus μονοξύλοις. Pro *sæpe* Heinsius volebat *nempe*, perperam omnino: nam sic plane de iisdem loquitur Noster, Descr. Orb. v. 744, et *sæpe* pro assidue, vel continuo, proprium Avieno est. Vid. Perieg. v. 542, 665.

108. *Ast hinc*, nempe a sinu OEstrymnico, v. 95, et ab insulis OEstrymnicis, de quibus hactenus egit. Quam porro *Sacram insulam*

Dixere prisci) solibus cursus rati est.
Hæc inter undas multa cespitem jacet,
Eamque late gens Hibernorum colit.
Propinqua rursus insula Albionum patet.
Tartessiisque in terminos Œstrymnidum
Negotiandi mos erat: Carthaginis

nominat, eam, ut e vs. 111 colligere licet, videtur pro Hibernia, vel Ierne Veterum habere, eumque errorem inde concepisse, quod forte apud Geographum antiquum legerat, a Sacro promontorio per Oceanum Occiduum versus Arctos pergentibus insulas Cassitcrides vel Œstrymnides, et in his magnam insulam Hiberniam occurrere. Unde hanc ipsam insulam, quasi proximam Sacro promont. Sacram adpellari putavit. Similiter auctor Orphic. Argon. Sacri promontorii meminit, et ultra hoc in Oceano Occidentali insulam Iernidem, vel Iernides collocat, Argon. vs. 1164 seq. et 1179. Neque dubium est, veteres Græcos harum insularum nomina et situm ad incertam famam per Phœnices nautas sparsam temere animo concepisse, ut observat doctissimus Schœnemannus, Geogr. Argon. p. 39.

110. *Hæc inter undas multum cespitem jacit* ed. Pith. et *multam cespitem jacet* Ven. Opitius, p. 29, non turbare Avienum iamborum sedem dicit. Itaque legit: « Hæc inter undas cespitem multum facit » (ubi *facit* ex errore positum pro *jacit* videtur). Pariter cod. V. habet *cespitem multum*, quod ipsum emendantis librarii manum prodit. Hudsonus metrum non respiciens scribit *multum cespitis jacit*, et sic nihil emendat. Sed nec necesse est, turbatos pedes hic odorari. Antiqua scriptura Venetæ ed. *multam cespitem* prodit Avienum scripsisse *multa cespitem jacet*. Sic conjecisse jam video Schraderum in schedis, quæ penes me sunt, quamquam idem Opitii sententiam probat in præf. ad Emend. p. 29. Sic etiam Heinsius emendavit: *multa cespitem jacet*. Hoc tantum dubium est, *jacit*, an *jacet* verum sit. Nam utrumque stylo Avieni convenit. Pro *jacet multa cespitem* facit v. 674 in Desc. Orb. « Nutrix hic Creta Tonantis Multa latus glebamque ferax... Erigitur pelago ». Pro *jacit* est v. 496 ejusdem Perieg. « Hinc Campanus ager glebam jacit ». Sed *jacet* auctoritate primæ edit. prævalere videtur. Igitur hoc malo.

111. *Eumque*, ut ad cespitem referatur, Heins. *Hiernorum* V. non male: nam et *Ierne* antiquis hæc insula dicta est. — Et hodie etiam Anglico sermone, sed poetis plerumque, *Erin* dicitur, quod videtur transpositione literarum fieri. Ed.

112. *Insula Albionum* est Britannicarum insularum major, quæ Romanis scriptoribus quidem sola Britannia dicitur, sed antiquitus *Albion* nomen habuit. Plin. IV, 16: « Albion ipsi nomen fuit, quum Britanniæ vocarentur omnes ».

113. *Tartesiis interminos* V. *Pestrumnidum* Opit. fortasse errore typorum.

Etiam coloni, et vulgus, inter Herculis
Agitans columnas, hæc adibant æquora :
Quæ Himilco Pœnus mensibus vix quatuor,
Ut ipse semet re probasse retulit
Enavigantem, posse transmitti adserit :
Sic nulla late flabra propellunt ratem,
Sic segnis humor æquoris pigri stupet.

115. *Mos erat, Carthaginis Etiam colonis, et vulgus*, etc. Sic ediderunt Pith. et Huds. Sed rectius Opitius. p. 29, legit et distinguit « Negotiandi mos erat : Carthaginis etiam coloni, etc. » ut vs. 311. Sic etiam legunt Heins. et Oddius, Bochart. in Chan. p. m. 723, et Vossius pater de Philol. cap. 11, p. 64 : idque melius convenit sequenti *adibant*.

117. *Quæ Himilco Pœnus*. Pœnus ille Himilco, quem citat, eo missus a Senatu Carthaginiensi, ut occidua Europæ litora exploraret, hoc officio defunctus iter suum in commentaria retulit. Itaque eumdem in occidui descriptione Festus profitetur se sequi v. 412 : « Hæc olim Himilco Pœnus, etc. » Boch. Chan. lib. I, cap. 39, p. 724.—Quæ Avienus hoc loco de Carthaginiensium in mare Atlanticum navigatione, de ejusque natura ex Himilcone refert, ex iis Vossius pater l. c. colligit, cognitas fuisse Pœnis terras ultra Oceanum, aliis ignotas, et continentem eam, quæ hodie America dicitur.

118. *Ut ipse semet rem probasse*, vulgatæ. Pithœus emendat *re probasse*, idemque melius putat Huds. *Re*, sc. de visu, non libris, aut auditu.

119. *Enavigantem* habent vulgatæ, quod servari potest, si referatur ad *semet*, commate adposito, ut Hudsonus fecit. Maluit tamen Heinsius cum Burmanno *A navigante*. vel *Enavigando*, ut et infra v. 167 conjiciebat : « Ut si quis hanc enavigando accesserit ». Hudsonus præterea conjicit *Enaviganti posse*. Hæc quidem commodiora videntur legenti ad intelligendum, nescio tamen, quomodo disertior sit sententia e lectione vulgata : τὸ *transmitti* per se satis intelligitur, etiamsi non addatur *a navigante*, vel *enavigando*, at *semet enavigantem re probasse* si construatur, validius fit argumentum, et Himilco dicitur *re probasse*, quod hæc æquora non adierit tantum, sed *enavigaverit*.

120. *Sic nulla* vulg. *Hic nulla* conj. Huds. perperam. Nam per *sic* aperitur ratio, cur æquora illa vix mensibus quatuor transmitti possint. Quemadmodum in Descript. Orb. v. 204 : « hic pecoris cursu æternacis in æquor Inachis illata est ; sic pectus canduit ira Pellicis, etc. »

121. *Sic segnis humor*, vulg. Pro *segnis* conjecit *remis* vel *tenuis* Scriv. infeliciter. Similiter Orph. Argon. v. 1100 de Oceano Septemtrionali s. Cronio, qui non alius : « Nulla aura flatibus mugientium ventorum illud mare concitabat : tacite ibi jacet pontus, ubi Helice est, et ultima Tethyos unda ». De eodem Avienus, Descript. Orb. vs. 57 : « Hic densata sali stant marmora, pigraque ponti Se natura tenet ». Et

Adjicit et illud, plurimum inter gurgites
Exstare fucum, et sæpe virgulti vice
Retinere puppim : dicit hic nihilominus,
Non in profundum terga demitti maris,
Parvoque aquarum vix supertexi solum :
Obire semper huc et huc ponti feras,
Navigia lenta et languide repentia
Internatare belluas : si quis dehinc

infra vs. 543 : « pelagus inclusum stupet ».

122. *Adjicit et illud* vulgatæ. *Adicit* legendum esse monet Opitius, et citat Martialis hoc, IV, 54 : « Nil adicit penso Lachesis, fusosque sororum, etc. » *Adjiciens illud* habet V. sed hoc minus placet.

123. *Plurimum inter gurgites Exstare fucum*. Festus Avienus *fucum* recte vertit τὸ φῦκος Græcorum, quod in mari nascitur. Theophrastus φῦκος absolute vocat algas omne genus, quæ non longe a terra in mari nascuntur. Et speciem quamdam marini fuci πόντιον φῦκος cognominat, quia in alto nascitur, et longe a litoribus. Aliud enim Græcis θαλάσσιον est, aliud πόντιον vel πελάγιον. SALMAS. Exercit. Plinian. p. 806.—Infra v. 408 : « Exsuperat autem gurgitem fucus frequens ».

124. *Virgulti vice Retinere puppim*. Conf. locus similis Rutilii, I, 537 seqq. *dicit hunc nihilominus* legit Heins. cujus rationem non video, nisi hoc referendum putarit ad *fucum*, quo pacto alienum a mente auctoris dixerit.

125. *In profunda* vel *profundi* voluit Heins. quod antea *hunc* posuit : *terga dimitti* Ven. et Pith. *demitti* V. idque edidit Huds. Et aptum quidem usitatumque est *demitti*, sed tamen Avienus formam *dimitti* amare videtur. Vid. Descript. Orb. v. 96, ubi antiquiores edd. habent *dimissa*. Cæterum verborum : « Non in profundum terga demitti maris » sensus est : A superficie aquarum non magna profunditas est ad fundum usque maris. Similiter Priscian. Perieg. v. 423 : « in immensum quæ mergitur unda profundum ».

126. *Parvaque aquarum vice* habet V. et Hudsonus conjicit *Parvaque aquarum vi supertexi*. Neutrum mihi tam aptum videtur, ut propterea deserere vulgatam velim. *Parvo sale* dicit Noster, Descript. Orb. vs. 693. Sæpe hac forma utitur poeta, ut v. 52, « Quidquid insularum »; v. 160, « tenue locorum »; vs. 703, « novella nominum ». Pro *supertexi* Oddius legit *supertegi*. Favet huic lectioni v. 407 : « tenue tenditur salum, Ut vix arenas subjacentes occulat »; sed alterum firmari potest vs. 163 Perieg. « Parcior (unda) et tenui prætexens ima fluento ». Pro *solum* Heins. scripsit *solo*, quod quo pertineat non video : nam *solum aquarum* dici nequit.

127. *Semper huc et huc*. Oddius vult *huc illuc*, quod ut adversum metro reprehendit Schrad. in præf. ad libr. Emend. p. 32.

129. *Internatare belluas*. Infra

Ab insulis OEstrymnicis lembum audeat
Urgere in undas, axe qua Lycaonis
Rigescit æthra, cespitem Ligurum subit
Cassum incolarum: namque Celtarum manu,
Crebrisque dudum præliis vacuata sunt:
Liguresque pulsi, ut sæpe fors aliquos agit,
Venere in ista, quæ per horrentes tenent
Plerumque dumos: creber his scrupus locis,
Rigidæque rupes, atque montium minæ
Cælo inseruntur: et fugax gens hæc quidem
Diu inter arcta cautium duxit diem,
Secrẹta ab undis; nam sali metuens erat

vs. 410: « Vis belluarum pelagus omne internatat ». Cato, Dir. v. 55: « Pigro multa mari dicunt portenta natare ».

132. *Cespitem Ligurum subit.* Hos Ligures equidem nesciam quærere, nisi in ora Galliæ Septemtrionali. De iisdem loqui videtur infra versu 196, a nobis emendato.

133. *Cassum incolarum.* In Descr. Orb. v. 72: « cassæque solo torrentur arenæ ». Infra vs. 491: « Ad usque cassæ Chersonesi terminos ». Burm. Similiter infra vs. 478 « Vacuum incolarum ».

134. *Præliis vacuata sunt*, sc. loca, inquit Hudsonus: sed tamen tale quid non præcessit. Igitur forte scribendum *vacua arva sunt.* Pariter v. 246: « præliorum absumpta tempestatibus ».

135. *Ut sæpe fors aliquos agit.* Pari formula utebatur Noster, Perieg. v. 885: « ceu vaga sæpe Sors rapit exactos patria ».

136. *Quæ perhorrentes*, vulgatæ: *qui perhorrentes* volebat Heins. sed quamvis *qui* referri potest ad *Ligures*, tamen *ista* sc. loca requirere videtur *quæ*. Nempe Ligures, suo solo pulsi, coacti sunt venire in ista loca, quæ obsita sunt dumis. Hudsonus conjicit *per horrentes*, quod amplexandum arbitror, siquidem Pithœanæ duæ distincte ponunt *per horrentes*, et *tenent* idem est, ac continuantur, ut vs. 89: ut sensus sit: Quæ loca per continentes dumos ita porriguntur, ut plerumque (pluribus in partibus) iis obsita horreant. Sic Noster, Descr. Orb. v. 505: « Bruttius hinc dumos acer colit inter. — *Horrentes dumi*, ut Descript. Orb. v. 622, « inhorrens Corsica silvis »; et v. 1038: « Horrescitque comis nemorum ». Neque igitur admitto, quod Oddius suadet, *Plerumque dumi.*

137. *Creber hic scrupus locis.* Plane similia his Descript. Orb. v. 810: « Et scaber in multis scrupus riget, undique iniquus Subrigitur vertex, etc. », ubi vid. not.

139. *At fugax* malit Oddius; sed vulgatum tenendum arbitror.

140. Schraderus in schedis tentavit *inter alta cautium*, nullo emolumento sententiæ.

Priscum ob periclum : post quies et otium,
Securitate roborante audaciam,
Persuasit altis devehi cubilibus,
Atque in marinos jam locos descendere.
Post illa rursum, quæ supra fati sumus,
Magnus patescit æquoris fusi sinus
Ophiusam ad usque : rursum ab hujus litore

142. *Ob periculum* exhibent Ven., et duæ Pith. sed nemo non videt, ob metrum scribendum esse *periclum*, sicut Huds. expressit. Porro *post quietis otium* legit Scriv. Mihi vero vulgata magis placet.

146. *Quæ super fati sumus* edd. Pith. cum Ven. recte autem Opitius, p. 29, «Quæ supra fati sumus». Quoniam autem poeta hic se ad superiora refert, et hactenus dicta abrumpit, hinc intelligitur, nunc eum aliam regionem, aliud æquor ingredi. Et hactenus quidem de insulis OEstrymnicis, sive Cassiteridibus, et de mari Occiduo, in quo illæ jacent, ad usque oram Celtarum, quasi excursione facta, egit, eamque profectionem exorsus est v. 90 a *prominente jugo* sive promontorio, quod OEstrymnin dicebat, et ubi sinum OEstrymnicum ponebat. Ad hoc promontorium, nec aliud, respiciat auctor necesse est verbis *Post illa rursum, quæ supra fati sumus*, quia reliqua ad hunc versum continuato sermone narravit. Atque igitur OEstrymnin promontorium repetens, ad alterum ejus latus, et in mare *internum*, ut v. 149 loquitur, hoc est, mediterraneum, pergit.

148. *Ophiusa madus, que rursum.* Sic corrupte edd. Ven. et Pith. Sed *Ophiusam ad usque* facili conjectura emendarunt Opit. l. c. Heins. et Schrad. ad Descript. Orb. v. 612, dudumque expressit edit. Madrit. et Huds. *Ophiusam* insulam, quam hic Avienus dicit, cave ne cum Strabone, lib. III, p. 167, pro Pityusarum altera et Ebuso insulæ vicina habeas. Nam quum eam paullo post cum Peloponneso comparet, adeoque magnam peninsulam faciat, unde et v. 491 Chersonesum vocare videtur; hinc adparet, eam continenti adhæsisse, sitamque fuisse a Pityusis Septemtrionem versus, in Sucronensi sinu, ubi hodie regnum Valentiæ, et urbs Peniscola, antiquæ Peninsulæ nomen servans, et mari proximo *Mons Colubrarius*. Mela II, 7, 21, et Plinius, III, 5, Colubrariam vocant et recte a Pityusis distinguunt. Latius hoc demonstravi in Antiqq. Balear. cap. 1, § 5, p. 18. Quando igitur Avienus *magnum æquoris fusi sinum patescere* ait *usque ad Ophiusam*, videtur sinum Virgitanum et Sucronensem Hispaniæ intelligere, qui ad *montem Colubrarium* usque pertingit.—*Rursum ab hujus litore.* *Rursum* interpretor *retro*. Si retro vertendo metiamur spatium, quod est a litore Ophiusæ ad fretum Gaditanum, qua se mare insinuat, etc. Quamquam turbare iterum videtur, quod sequitur, *quodque Sardum nuncupant.* Namque vix fieri potuit, ut mare internum statim a freto Sardum nuncuparetur.

Internum ad æquor, qua mare insinuare se
Dixi ante terris, quodque Sardum nuncupant,
Septem dierum tenditur pediti via.
Ophiusa porro tanta panditur latus,
Quantam jacere Pelopis audis insulam
Graiorum in agro: hæc dicta primo OEstrymnis est,
Locos et arva OEstrymnicis habitantibus;
Post multa serpens effugavit incolas,
Vacuamque glebam nominis fecit sui.
Procedit inde in gurgites Veneris jugum,

Sed Avienus fortasse hic, ut alias, locorum nomina antiqua et nova confudit, diversasque scriptorum relationes male combinavit.

150. *Quodque Sardum nuncupant*. Nescio, an *Sordum* scribendum sit ex v. 552. Vel *Sardum* fortasse æquoris pars a quodam scriptore vocata est, quæ esset in regione Portus Magni, quem *Sardam* nominarunt, quemque Strabo, lib. XVII, p. 831, refert inter Cæsaream Mauritaniæ atque Tritum promontorium esse.

151. *Tenditur reditu viæ*. Sic Ven. et Pith. *tenditur reditu via* Huds. forte *pediti via*, vel *pedibus*. Sic paullo post v. 178: « Et rursus inde si petat quisquam pede ». BURM. — Et Schraderus dudum banc conjecturam notavit in sch. quam facilem probabilemque esse nemo non agnoscat. Defendi tamen τὸ *reditu* possit, quod *rursum* v. 148 de ipso reditu, vel retro acto itinere intelligendum diximus. Sed quia poeta v. 178 plane simili in sententia *rursus* et *pede* jungit, malim et hoc loco *pediti* scribere, præsertim quia necesse est, ut iter pedestre, non maritimum, intelligatur. Sic Rutilius pedestre iter describebat, I, 560: « Ipse vehor Pisas, qua solet ire pedes ».

153. *Pelopis insulam*. Peloponnesum intelligit, cui similem et æqualem esse Ophiusam prodit.

154. *Graiorum in agro hæc dicta primo OEstrymnis:* sic edd. Ven. et Pith. Sed distinguendum et legendum: *Graiorum in agro: hæc dicta primo OEstrymnis est*. Ita Scaliger et Heins. quorum conjectura firmatur auctoritate codicis Orteliani. Hudsonus edidit *OEstrymnica*. Sed hujus temeritas sæpe nocuit auctori. SCHRAD. ad Descr. Orb. v. 875. — Heinsius etiam *OEstrymnias* conjecit.

156. *Effugavit incolas* Pith. et Huds. *sed fugavit* conj. Heins. Sed verbum *effugare* apud plures sequioris latinitatis scriptores, præsertim Christianos, exstat. Pithœus distinguit *post multa*, quasi *post multa tempora* velit Avienus.

158. *In gurgitis Veneris jugum:* sic Ven. et Pith. *in gurgitem*, vel *in gurgites* vult Huds. et *in gurgiteis* scribit V. *gurges in Veneris jugum* conj. Heins. Malo ego *gurgites*, quod auctoritatem codicis Ort. habet: *jugum* est promontorium. Et

Circumlatratque pontus insulas duas
Tenue ob locorum inhospitas: arvi jugum
Rursum tumescit prominens in asperum
Septemtrionem : cursus autem hinc classibus
Usque in columnas efficacis Herculis
Quinque est dierum : post pelagia est insula,
Herbarum abundans, atque Saturno sacra:
Sed vis in illa tanta naturalis est,
Ut si quis hanc innavigando accesserit,
Mox excitetur propter insulam mare,
Quatiatur ipsa, et omne subsiliat solum
Alte intremiscens, cætero ad stagni vicem

videtur *Veneris templum* in promontorio ad Pyrenæum, in Hispaniæ et Galliæ fine, intelligere, quod simpliciter *Venus Pyrenæa* dicitur Plinio, III, 3, alii veteres *Aphrodisium* vocant.

159. *Circumlatratque pontus.* Idem de æstu maris dixit Noster, Descr. Orb. v. 48 et 578, et inf. Or. M. 391: « Oceanus... circumlatrator ». Ed.

160. *Tenue ab locarum inhospitas* vulgatæ. Forte *Pæne accolarum* Heins. Vel *sterile* pro *tenue*, ut Descr. Orb. v. 71: « sterilis regio est, et inhospita late Aret humus ». Burm. — Porro *inhospitas. Aryium* corrupte exhibent edd. Pith. corruptius Ven. *inhospita saryium*. Sed *arvi jugum* corrigit Schrad. in sch. quomodo edidit Huds. Et recurrit hoc versu 172.

161. *Rursum tumescit.* Videtur retro cedere, et aliud promontorium in ora Hispaniæ occupare.

162. *Cursus ant hinc* Venet. et Pith. *at* V. *ast* vel *ac* Scriv. *autem* Opitius et Heins. quod etiam expressit Huds.

163. *Efficacis Herculis*, lege *pervicacis*. Burm. Sed quæ caussa est, cur sic melius? *Efficacem* Herculem etiam Horat. vocat Epod. 3, 17.

164. *Post Pelagia est insula* Pith. et Huds. Verum dubito, an nomen proprium hoc sit. Potest pelagia insula vocari, quæ in alto jacet, et remotior a litore est, vel etiam ob caussam mox memorandam, quod moveatur in mari, velut ipsum pelagus. Et videtur idem sensisse Heinsius, qui vocem *pelagia* adscripsit minore litera.

167. *In naviganda* vulgatæ : *innavigando* conjunctim volebat Oddius, bene omnino; et hoc verbum dandum est lexicis. At *enavigando* Heins.

170. *Alte intremiscens.* Plinius, lib. II, cap. 94: « Quædam terræ ad ingressus tremunt, etc. » Eodem loco multa exempla insularum natantium et fluctuantium recenset, de quibus agit etiam Seneca, Nat. Quæst. III, cap. 25. — *Cætero adsteni vicem* corrupte ponunt Ven. et Pith. *cætera ad stagni vicem* cod. V. *cætero ad stagni* emendarunt Pith. et Heins. et sic expressit Huds.

Pelago silente: prominens surgit dehinc
Ophiusæ in oras, atque ab usque arvi jugo
In hæc locorum bidui cursus patet.
At, qui dehiscit inde prolixe sinus,
Non totus uno facile navigabilis
Vento recedit: namque medium accesseris
Zephyro vehente, reliqua deposcunt Notum.
Et rursus inde si petat quisquam pede

172. *Oohiussæ moras* corrupte Ven. *Ophiussa e moras* Pith. *Ophiusæ in oras* V. *abque arvi jugo* Ven. *absque Arvi jugo* Pith. *ab Aryi jugo* cod. Ort. quæ lectio nomen proprium occultare videtur. *Ophiusæ in oras: ab usque* Heins. sed adhuc vacillat versus. Et quod Oddius conjicit, *Ophiusæ in oris; cujus ab arvi jugo*, in legem metri peccare, Schraderus in præf. ad Emend. pag. 33, monet. Hudsonus edidit *Ophiusæ in oras, absque arvi jugo*, manente quodam versus hiatu. Qui ut impleatur, versum sic constituendum arbitror: « prominens surgit dehinc Ophiusæ in oras, atque ab usque arvi jugo In hæc locorum ». Voculæ *atque ab usque* propter similitudinem aberrante calamo coaluerunt in *absque*. Ophiusæ autem rursus meminit, quia supra a Veneris promontorio retrocedens nunc aliquot loca repetit, ut eorum ab illo distantias indicet.

174. *Atqui dehiscit* vulgatæ: sed legendum cum Schradero *At, qui dehiscit*.

175. *Non totus uni* vulg. edd. sed *uno vento* rectius, idque facile sequentia demonstrant, et docuit Schr. Observ. p. 43.

176. *Vento recedit*, h. e. transitur, superatur, quemadmodum *recedere* dicuntur terræ, quæ prætervigando superantur. Virgil. Æn. III, 72: « Provehimur portu, terræque urbesque recedunt. Hudsonus male distinxit *Vento; recedit nunquam* etc. — *Nunquam medium aceris* vulgatæ corruptissime. Forte *namque quum medium enaveris*. Sic in Descr. Orb. de Argo: « innantem stupuerunt æquora cymbam ». Heins. — Ne claudicet, inquit Hudsonus, versus, *nonnunquam* legebam: atque ita Oddius, et in reliquis hoc modo: « in medio aceres Zephyro vehente, reliqua deposcunt Notum. At rursus, etc. » O præclaros medicos, qui claudicanti ex vulnere poetæ majora et mortifera curationibus suis imponunt! Quid enim turpius et imperitius illo *nonnunquam*, ne videlicet versus claudicaret, intruso, quem plane sic corrumpi tirones etiam videre possint? Et tamen vereor, ne vitium fœdius *aceres* contineant. Sed per me lateat, qui non libenter errores aliorum coarguo. Corrigendum vero sine dubio: « namque medium accesseris Zephyro vehente », ut v. 167: « Ut si quis hanc innavigando accesserit ». Schr. libro Observ. cap. 4, p. 43.

178. *Et rursus inde si petat quisquam pede*. Sic plane Noster in De-

Tartessiorum litus, exsuperet viam
Vix luce quarta; si quis ad nostrum mare
Malacæque portum semitam tetenderit,
In quinque soles est iter: tum Cepresicum
Jugum intumescit: subjacet porro insula
Achale vocata ab incolis: ægre est fides
Narrationi præ rei miraculo;
Sed quam frequens auctoritas sat fulciat.
Aiunt in hujus insulæ confiniis
Nunquam esse formam gurgiti reliquo parem:
(Splendorem ubique quippe inesse fluctibus
Vitri ad nitorem, et per profundum marmoris

script. Orb. v. 1210: « At rursum Armeniæ si quis pede pergat ab arce Rupis ».

180. *Vix luce quarta*, etc. Quomodo ad Tartessiorum litus iter quatuor dierum, ad portum autem, qui sequitur, Malacæ quinque dierum esse possit, et quæ principia, quosque terminos iterum hic statuat Avienus, ego quidem non expiscor, et videtur auctor terminos a diversis auctoribus positos non satis distinxisse.

181. *Malacæque portum*. Malacam Strabo, III, p. 156, primam in ora maritima a Calpe ad Carthaginem Novam ponit, et emporium habere, et multa salsamenta exercere scribit. Plinius, III, 1, *Malacham cum fluvio fœderatorum* nominat. Et fluvius in mare exiens haud dubie portum effecit, quem Avienus dicit. *Malachæ flumen* etiam memorat Noster, v. 426. De ea urbe pluribus agit Nonius, Hisp. cap. 24.

183. *Cepresicum jugum*, ignotum Geographis, qui exstant, neque minus *Achale* insula, quæ sequitur. Pro *Cepresicum*, quod metrum vix admittit, fortasse *Cempsicum*, aut simile quid, legendum est.

184. *Agresti fides Narrationis* mendose scribit Ven. et Pith. sed emendatius *ægre est fides narrationi* legit cod. Ort. quocum facit Heins. Minore mutatione *ægra est fides narrationis* Barth. Adv. XXVIII, 14, et Ablegm. IV, 6, et Opit. var. lect. p. 29.

186. *Sat fulciat*: pro eo *suffulciat* habet V. sed *sat* pro *satis* defendit Barthius l. c. versu 31, *satque liberalis est*.

189. *Splendorem*, etc. Ut sensus constet, tres versus parenthesi inclusos dedi. Huds.

190. *Vitri ad nitorem*. Barthius, Advers. p. 1031, præpositionem *ad* aliquando valere *usque ad*, hoc loco Avieni multisque aliis probat. Ego potius similitudinem alterius rei significare, et pro *instar* poni, adfirmaverim. Tale est Solini, cap. 22: « Honore et pretio ad smaragdos viret »; Ausonii, Prof. XV: « Disputator ad Cleanthem Stoicum ». Conf. et Barth. ad Grat. Cyn. 211, ubi *ad vestram* pro *at vestrum* defendit.

Cyaneam in undis esse certum imaginem est.)
Confundi at illic æquor immundo a luto,
Memorant vetusti; semper atque sordibus
Ut fæculentos gurgites hærescere.
Cempsi atque Sæfes arduos colles habent
Ophiusæ in agro: propter hos pernix Ligus
Draganûmque proles sub nivoso maxime

191. *Cœanæam in undis* vitiose legitur in Ven. et Pith. *Cyaneam* V. et sic corrigit Heins. In Descr. Orb. « Pars quæ cyaneo discedit ab æquore ». Burm. — Sic etiam citat Barth. Adv. pag. 1334. In reliquis verbis hujus versus Schraderum olim tentasse, ex ejus schedis cognosco : « in undis usque tetram imaginem » : quæ conjectura parum opportuna videtur.

192. *Confodiat illic* Ven. et Pith. vitiose. *Quum fœteat illic* cod. V. Sed certior emendatio est *Confundi at illic æquor immundo luto*, quomodo Barthius, Adv. l. c. et Heins. ad Cat. Dir. 40, in Burm. Anthol. II, p. 658. Porro *immunda luto* præfert ed. Ven. et Pith. unde forte conficiatur *immundo a luto*, quomodo legit Barth. pag. 1334, et expressit Hudsonus.

194. Pro *hærescere* Heinsius *horrescere*. Sed illud melius convenit *luto* et *fæculentis sordibus*. Sic paullo post v. 211 : « Crassum liquorem lenta trudunt agmina ».

195. *Cempsi* apud alios Geographos vix leguntur, præter Dionysium, qui eos ad radices Pyrenæi habitare dicit. Vid. Avien. Perieg. v. 480, et Priscian. v. 336. Sed hic Avienus plane alium locum Cempsis adsignare videtur, ac duce Dionysio fecerat. *Sæfes* plane ignoti sunt aliis. Videtur nunc auctor a locis maritimis, quæ hactenus memoravit, ad vicinos et adcolentes in mediterraneis populos nonnullos transire.

196. *Ophiusæ in agro.* Hæc verba pertinent ad præcedentem versum, cui male punctum adponunt edd. Pith. et Huds. Ophiusam enim Chersonesum continenti adhærentem fuisse, supra vidimus. — *Propter hos pernix lucis* corrupte Ven. et Pith. *propter hos pernix locos* cod. V. *his pernix jugis* Heins. His lectionibus necesse fuit sequentia *Draganûm proles* accommodare, quum ed. Ven. habeat *Draganûmque proles.* Hinc adparet sub voce *lucis* nomen proprium alius gentis latere. Quod felicissime invenit Schraderus in præf. ad lib. Emend. p. 29. Legendum, inquit, *pernix Ligus ;* quod olim multis argumentis adfirmabo; nunc uno Silii, sed adposito, versu 607, lib. VIII : « Tum pernix Ligus, et sparsi per saxa Vagenni ». Schr. — Ad loca, quæ forte producturus erat Schraderus, primario pertinet ille Stephani v. Λιγυστίνη, ubi Ligustinam, Ligurum urbem, in occidentali Iberia prope Tartessum esse dicit, et addit : Οἱ οἰκοῦντες Λίγυες καλοῦνται.

197. *Draganûmque proles.* Sic Ven. et Pith. *Draganûm proles* Hudsonus dedit, ut adnecteret versui priori, sed recusante metro : *sub*

Septemtrione collocaverant larem.
Pætanion autem est insula ad Zephyrum latens,
Patulusque portus: inde Cempsis adjacent
Populi Cynetum: tum Cyneticum jugum,

nivosa Ven. et Pith. sed *nivoso* V. recte, idque probavit Heins.

198. *Conlocaverant* Pith. *conlocaverunt* voluit Heins. ac Burm. Sed istud præfero, et Avienus significat eo antiquiora tempora.—*Larem*. Usitatissimum Nostro in pari re vocabulum. Sic Descr. Orb. v. 870: « Achæi ..... Transvexere larem ». Ibid. vs. 281: « certi laris iuscia gens est ». Ed.

199. *Insula ad se fumum latet* corrupte Ven. et Pith. Prodigiosa corruptio ex ignoratione orthographiæ veteris Latinæ. Scribe *ad Sefurum*, id est, ad Zephyrum, seu occasum, unde spirat is ventus. Scribe porro *Pætanion autem est insula ad Zephyrum latens*. Vel ne quid citra rem mutes, distinguere poteris: « Pætanion autem est insula; ad Zephyrum latet, etc. » Barth. Adv. lib. XXVIII, cap. 14, item Ablegm. IV, 7: *ad Zephyrum latet* forte scribendum. Scriv.—*Insula ad Zephyrum jacet, Patulusque portus*. Ita Nic. Heinsius ad Ovid. Fast. IV, 478. Sed puto Heinsium, ut ex nota inspecta patebit, voluisse *ad Zephyrum patet*, præsertim quum seq. versu *adjacet* sequatur. Et sic clare codici suo adscripserat. Burm. — Opitius, p. 30, scribit *insula ad Zephyrum patens*, quia paullo inferius: Canusque cespes in meridiem patet ». Ego vero *latet* non mutandum censeo: nam *patet* offendit ad sequens *patulus portus*, et *jacet* ad sequens *adjacent*. *Latens* autem dici potest insula, quæ propinqua litori, et portum efficiens, vix talis adparet. Sic Rutilius, I, 528 scribebat: « Quæ latet expulsis insula pæne fretis ». Ubi fortasse *latet* non mutassem in *jacet*, si tum mihi hic locus Avieni succurrisset. Ingeniose Oddius conjecit *ad famam latens*: nempe quod ad famam adtinet, latet et ignobilis est, etsi patulum portum habet.

201. *Populi Cynetum Cyneticum jugum*. Mancus versus in Ven. et Pith. inserit Hudsonus *prope Cyneticum jugum*; et post *jugum* sententiam claudit. Sed probabilius Opitius, Scriverius et Heinsius *tum Cyneticum jugum*; quod *tum* facile excidere potuit ob eamdem syllabam in voce præcedente. *Cynetum* Herodotus meminit lib. IV, c. 49, eosque extremos ad occasum solis dicit; idem Justinus, lib. XLIV, 4, 1, qui eos Tartessiorum saltus incoluisse memorat, ubi male vulgo *Curetes*. Vossius ad Melam, III, 1, pag. 227, judicat, fuisse eos *Cunei* agri accolas, ejusque nomen ex græco Κύνης corruptum Cynetibus nomen dedisse. — *Tum Cyneticum jugum*. Promontorium illud, quod Latini dixere *Cuneum*, hodieque *Sanctæ Mariæ* nuncupatur, idem est, quod Græci Κυνητικὸν dixere. Docet hoc Rufus Festus, qui hic *jugum Cyneticum* collocat. Stephanus: Κυνητικὸν Ἰβερίας τόπος πλησίον Ὠκεανοῦ. Οἱ οἰκοῦντες Κύνητες καὶ Κυνήσιοι. Voss. ad Mel. l. c. Ortelius Cyneticum promontorium non procul a Sacro collocat.

Qua sideralis lucis inclinatio est,
Alte tumescens ditis Europæ extimum,
In belluosi vergit Oceani salum.
Ana amnis illic per Cynetas effluit,
Sulcatque glebam : panditur rursus sinus,
Cavusque cespes in meridiem patet.
Memorato ab Ana gemina sese flumina
Scindunt repente, perque prædicti sinus
Crassum liquorem (quippe pinguescit luto
Omne hic profundum) lenta trudunt agmina.

202. *Qua sideralis lucis inclinatio.* Sideralis lux sol est; et Cynetas ferme extremos ad occasum Solis esse narrat Herodot. lib. IV. Opit. Var. Lect. p. 30. — Sic infra v. 655 de sole : « Quum lumen axi Atlantico inclinaverit »; et in Desc. Orb. v. 984 : « qua cælum rursus in umbras Inclinat vertex ».

204. *In belluosi vergit Oceani salum.* Sic plane in Perieg. v. 1357 : « Colis et ipsa dehinc cetosi vergit in æquor Oceani ». — Et plane similiter supra vs. 102 : « Et belluosi gurgitem Oceani secant ». Ed.

205. *Ana amnis*, hod. *Guadiana.* Si Ortelo fides aliqua, hallucinatur egregie Avienus (quod Anam per Cynetas effluere dicit), nam quum Cynetæ circa promontorium Sacrum sint, multis millibus passuum inferius fluere Anam in comperto est. Nonius, Hisp. p. 314.

207. *Canusque cespes* Pith. et Huds. *Cavusque* cod. V. et ed. Ven. quod rectum est, firmaturque vs. 530 : « Dehiscit illic maximo portus sinu, Cavumque late cespitem irrepit salum ».

208. *Memoratus Ana in gemina.* Ita lego, quod fluvium hunc διττομον vocet Strabo. Vulg. *Memorato aliam*, et mox *scindunt.* Huds. — Nempe Ven. et Pith. habent *Memorato aliam in gemina*, deinde *Scindunt:* æque corrupte cod. V. *Memoratque Aliamin.* Sed *Memoratus Ana*, et in seq. *Scindit* dudum correxit Opit. cap. 11, p. 36. *Memorati at amnes* Heins. quod quidem bene convenit sequenti *Scindunt*, sed tamen plures amnes ante non memorati. Ego vero legendum censeo : *Memorato ab Ana gemina sese flumina*, vel *Memorato ab amne*, quia duo plurales sequuntur, *Scindunt*, et v. 211 *trudunt agmina.* De amne Ana Plinius, lib. III, cap. 1 : « Ortus hic Laminitano agro citerioris Hispaniæ, et modo se in stagna fundens, modo in angustias resorbens, aut in totum cuniculis condens, et sæpius nasci gaudens, in Atlanticum Oceanum effunditur ».

209. *Per quæ prædicti* Pith. et Huds. sed *perque* V. et Ven. habent, idemque vidit Opit. l. c. et Heins.

211. *Lenta trudunt agmina*, scil. aquarum vel fluctuum. Sic in Desc. Orb. v. 341, de Nilo : « procul illinc agmina cogit In Boream ».

Hic insularum semet alte subrigit
Vertex duarum : nominis minor indiga est,
Aliam vocavit mos tenax Agonida.
Inhorret inde rupibus cautes Sacra,
Saturni et ipsa : fervet illisum mare,
Litusque late saxeum distenditur.
Hirtæ hic capellæ, et multus incolis caper
Dumosa semper intererrant cespitum :
Castrorum in usum et nauticis velamina,

213. *Indiga est.* Pro eo *indigna est* ed. Madrit. vitiose.

215. *Inhorret rupibus*, ut Descr. Orb. vs. 622, « inhorrens Corsica silvis ». Porro pro *cautes sacra* Burm. conjecit *scabra*, sed perperam. Nam Sacrum promontorium intelligitur Cynetico jugo propinquum, quod *Sacrum montem* vocat Noster, Descr. Orb. vs. 740, et Columella, Re Rust. VI, 27, 7. Hodie *Cabo de St. Vincente.* Igitur hoc loco *Sacra* majore litera scribendum.

216. *Saturni et ipsa.* Cod. V. habet *Saturno*, quod fortasse ex vs. 165 petitum. Saturno forte sacrum habebatur promontorium, quod extremum orbis habitati ad Occidentem esset, et omnia extrema Saturni esse et dici solebant, ut mare Saturnium, extremnm ad Septemtrionem. Vid. Descript. Orb. vs. 56. Et Herculis columnæ etiam *Saturni* dictæ, teste Eustathio.

217. *Litusque latus* Ven. et Pith. *late* correxit Opit. et Heins. et edidit Huds. Anonymus in Obs. Miscell. vol. I, tom. III, p. 385 legendum censet *Litusque late saxeum undis tunditur.* Sed Burm. contra adducit v. 382 : « Late patere pelagus, extendi salum ».

218. Pro *incolis* cod. V. *incolit*, quod tamen respuit sequens *intererrant.*

220. *Castrorum in usum et nauticis velamina.* Hæc sunt Virgiliana, Georg. III, 313 : « setasque comantes, Usum in castrorum, et miseris velamina nautis ». Et sic Columella : *navitis* conjecerat Heins. sed non opus. Infra vs. 357 : « Inhospitasque semper esse nauticis » : ubi etiam *navitis* adscripsit. Sic *gentici* v. 608 et 640. Burm.—*Nautici* etiam apud Livium. Heins.—E Virgilio etiam hæc repetiit Asconius in III Verr. « Cilicia texta de pilis in usum castrorum atque nautarum ». Et Solin. cap. 33 : « Ipsa tentoria cilicia sunt : ita nuncupant velamenta caprarum pilis texta ». Sed quem in usum castrorum *cilicia*? Servius dicit, « quia de ciliciis poliuntur loricæ, et teguntur tabulata turrium, ne jactis facibus ignis possit adhærere ». Confundit *cilicia* cum *centonibus*, magno errore. Nec enim de pilis caprarum coactilia, aut centones fieri possunt, nec fiebant. *Polire* verbum fullonum. Ex lana coactili et centonibus tunicas, ac tegmenta sibi parabant milites ad tela vitanda. — Cilicia ad facienda tentoria adhibebantur. Salm. ad

Productiores et graves setas alunt.
Hinc dictum ad amnem solis unius via est,
Genti et Cynetum hic terminus. Tartessius
Ager his adhæret, adluitque cespitem
Tartessus amnis : inde tenditur jugum
Zephyro sacratum : denique arcis summitas
Zephyris vocata : celsa sed fastigia
Jugo eriguntur verticis; multus tumor
Conscendit auras, et supersidens quasi

Sol. p. 347.—Lectio codicis V. *Castrorum in usus in et nautica velamina* videtur a manu infeliciter corrigentis esse, qui dativum *nauticis* non apte respondere credidit. Neque melius conjicit Huds. potius *nautis in velamina*. Nempe non dubium est, Avienum exprimere dictionem Virgilii. Et similiter construxit Rutilius, I, 407 : « Castellum geminos hominum fundavit in usus, Præsidium terris, indiciumque fretis ».

222. *Dictum ad amnem*, nempe ad Anam. Igitur a Sacro monte retro vertitur ad Anam fl. Fortasse legendum est *dictum ad Anam*, quia ed. Ven. habet *adane*. Cynetes habitabant inter Sacrum promontorium et Anam flumen, quem terminum Cynetum facit Rufus Festus : *Hinc dictum ad amnem*, etc. Alibi tamen ait : « Ana amnis illic per Cynetas effluit », tamquam si etiam Cynetes essent ultra Anam. Quod sane verum arbitror. Ex loco Justini, lib. XLIV, 4, 1, adparet, Cynetas etiam ultra Anam habitasse, quum in saltibus Tartessidis eos collocet. Tartessiorum vero et Cynetum terminus erat Anas, teste Avieno. Voss. ad Mel. p. 227.

224. *Adluitque cespitem Tartessus.* Fuit etiam (Bætis) Tartessus antiquis dictus, ut ex Stesichoro ostendit Strabo, quomodo etiam Aristoteli dicitur : quibus Stephanus suffragatur, qui Tartessi amnis prope urbem Tartessum meminit, unde et Festus Avienus in Iambis suis : « Tartessus Ager his adhæret, etc. » Nonius, Hisp. p. 317.

225. *Inde extenditur jugum* scribit V.

226. *Denique arcis summitas.* Avieno *denique* est certe, saltem, omnino. Sic in Descript. Orb. v. 136 : « Denique sic olli nomen prior indidit ætas ».

228. *Vertici multus timor* Ven. et Pith. sed rectius *tumor* Huds. qui præterea conjicit *Verticis multus tumor Conscendit auras*. Quod sane probo. Velim tamen præterea *verticis* ad superiora *fastigia* referre; quemadmodum in Descript. Orb. v. 251 : « In juga consurgit, cælumque cacumine fulcit Verticis ».

229. *Super syderis quasi* Ven. et Pith. *super sydera* V. quod contra metrum est : *sideris* Heins. forte *siderit* voluit. — At liquidum videtur scribendum : *Conscendit auras, sideris super et vias*. Duplici trajectiuncula vocum et literarum in medio et ultimo res expedita est. Sidus

Caligo semper nubilum condit caput.
Regio omnis inde maxime herboso solo est,
Nebulosa juge his incolis convexa sunt,
Coactus aer atque crassior dies,
Noctisque more ros frequens: nulla, ut solet,
Flabra inferuntur, nullus æthram discutit
Venti superne spiritus; pigra incubat
Caligo terras, et solum làte madet.
Zephyridos arcem si quis excedat rate,
Et inferatur gurgiti nostri maris,
Flabris vehetur protinus Favonii.
Jugum inde rursus, et sacrum Infernæ Deæ

designat solem, quippe principem omnium astrorum. Petronius: « qua sidus currit utrumque », hoc est Oriens atque Occidens. Barth. Adv. XXVIII, cap. 14, p. 1334, et in Ahlegm. IV, 9.—Sed mihi cæteris præferenda videtur conjectura Schraderi in sch. qui legit, *et supersidens quasi Caligo.* Sic Statius, Theb. II, 35, de altissimo Maleæ promontorio: « Stat sublimis apex, ventosque imbresque serenus Despicit, et tantum fessis insiditur astris ». Tale est, quod sequitur v. 236: « pigra incubat Caligo terras »; et Virgilii Æn. I, 89: « ponto nox incubat atra ».

232. *Nebulosa juge* vulgatæ. Heinsius adnotavit *juga*, levi conjectura, quæ successum habere non potuit: nam *nebulosa* manifeste ad *convexa* pertinet, et *juge* pro adverbio *jugiter* accipiendum.

235. *Superne venti spiritus:* sic vulgatæ. Scribes *Venti superne.* Licet τὸ *superne* ultima correpta reperiatur etiam apud Lucretium et Symmachum. Barth. Adv. p. 1334.—Idem notavit Heins. Porro pro *pigra* f. *rigua:* sed nihil muta. Vid. ad Prudent. Heins.

237. *Incubat caligo terras*, ut infra vs. 291: « mons paludem incumbit ».

240. *Flabris vehetur*, ut supra v. 177: « Zephyro vehente ». *Favoni* edd. Ven. et Pith. *Favonii* correxit Heins. expressit Huds. et hoc poscit metrum.

241. *Infernæ Deæ*, Proserpinæ aut Hecates, quod ab aliis memorari non invenio; nisi forte Dianium promontorium cum Dianæ templo intelligendum est, quod describit Strabo, et vicinum habere lacum marinum refert, III, pag. 159, ut hic Avienus paludem propinquam. Ille quidem Dianæ Ephesiæ dicit hoc fanum sacrum esse, sed fortasse Strabo pro Ephesia habuit, quæ potius Hecate sive Inferna Diana esset; aut Avienus saltem *Infernam Deam* interpretatus est, siquidem idem Ephesiam Dianam *tetricam* adpellat Descript. Orb. v. 992. Cf. notata ad v. 476. Convenit adpellationi Avieni, quod promontorium illud a Ptolemæo

Divesque fanum, penetral abstrusi cavi,
Adytumque cæcum: multa propter est palus
Erebea dicta: quin et Herbi civitas
Stetisse fertur his locis prisca die;
Quæ, præliorum absumpta tempestatibus,
Famam atque nomen sola liquit cespiti.
At Iberus inde manat amnis, et locos
Fecundat unda: plurimi ex ipso ferunt
Dictos Iberos; non ab illo flumine,

Tenebrium vocatur, ut Abr. Ortelius in veteris Hispaniæ descriptione monet.

242. *Penetral abstrusi cavi* habent Ven. et Pithœana prima, s. Paris. *penetrat* fortasse errore typographico mutavit altera Pith. Lugd. revocavit *penetral* Hnds. quod rectum est; et recurrit v. 316: *penetrat* tamen et cod. V. habere dicitur. Singularem *penetral* frequentarunt labentis latinitatis scriptores.

243. *Aditumque cæcum* Venet. et Pithœanæ: *cæci* edidit Huds. cujus mutationis nullam caussam video: immo rectum est *cæcum*, et scribendum est *Adytum*. Nam oraculum hic celebratum esse Avienus indicat, quomodo v. 317. Sed templa, in quibus oracula edebantur, habebant *adyta*, antra vel penetralia *cæca*, i. e. obscura.

244. *Etrephæa dicta:* sic omnes vulgatæ. *Erebæa* et *Erebi* scribere jubet Barth. Ablegm. IV, 9: forte *Etrephe* Heins. quod non intelligo. *Erebæa* aut *Orphnæa* Schrad. in sch. Quæsiverunt docti viri nomen ejusmodi paludis, quod responderet *Infernæ Deæ*, quia forte talem habere lacum illum volebant, qualia olim lacus Avernus in Campania fuisset, quem Plutoni dicatum, et limen inferorum esse existimarunt. Porro pro *et Herbi* alii legerunt *et Ibera civitas*.

246. *Præliorum absumpta tempestatibus*. Sic vs. 134: « Crebrisque dudum præliis vacuata sunt ».

247. *Sola liquit* vulgatæ: *solum liquit* V.

248. *Anhyberus* Venet. et Pith. Inde Opitius l. c. pag. 37 conficit *At Hiberus*. Nonius, Hisp. p. 322, et Bochart. Chan. I, 35, pag. 693, citant *Hiberus inde manat*. Et sic edidit Huds.

249. *Plrimi ab ipso* cod. V.

250. *Dictos Iberos*. Notandum Iberorum nomen ab Avieno plane aliter, quam a Polybio sumi. Iberi enim Polybii sunt ad mare internum. At in Avieno Iberi prope Oceanum degunt ad alterius Iberi occasum, qui Bæticæ fluviolus est medius inter Bætim et Anam (hod. *Rio Tinto* vel *de Azeche*, ut volunt). De eo Ibero sic Avienus in Or. mar. *Hiberus inde manat*, etc. BOCHART. Chan. l. c. — Cluver. Intr. Geogr. lib. II, cap. 2, Hispanos adserit a flumine Ibero Iberos dictos; sed aliter Varro eos sic adpellatos putat ab Iberis Asiæ populis quos in Hispaniam pervenisse tradidit. EN.

Quod inquietos Vasconas prælabitur.
Nam quidquid amni gentis hujus adjacet
Occiduum ad axem, Iberiam cognominant.
Pars porro Eoa continet Tartessios
Et Cilbicenos. Cartare post insula est,
Eamque pridem, influxa et est satis fides,
Tenuere Cempsi: proximorum postea

251. *Vasconas prælabitur.* Vascones populus citerioris Hispaniæ, qua in Gallicum et Britannicum Oceanum vergit, ad Pyrenæos montes: *prælabitur* habent vulgatæ: *perlabitur* ab aliis scribi notat Hudson. sic etiam conj. Schrad. in sch. sed forma *prælabitur* fere usitatior scriptoribus, ipsique Avieno est, etiamsi amnis per mediam terram fluat. Horat. Carm. IV, 14, 26: « Aufidus, qui regna Dauni præfluit Apuli », ubi et nonnulli legunt *perfluit.* Tacit. Ann. II, 6: « Rhenus servat nomen et violentiam cursus, qua Germaniam prævehitur ». Solin. cap. 37: « Euphrates prælabens plurimas gentes »; et Noster, Desc. Orb. v. 495, de Tibri: « Romanosque lares lapsu prælambit alumno ».

255. *Cilbicenos* solus Avienus nominat, eosque maritima possidere ait v. 303. Sic et *Cartare* insula aliis ignota. Sed parum abest, quin credam *Carteiam* urbem maritimam ad Herculis columnas versus Orientem intelligi: quam Pomp. Mela, II, 6, 75, in illo sinu, quem Calpe efficit, sitam, et Nonius, cap. 11, hodie *Algerizam* vocari ait. Hæc urbs quum antiquitus varia nomina sortita, et a Græcis subinde Tartessus, ab aliis Carpessus vocata sit, monente Bocharto, I, 34, pag. 682, in iis nominibus etiam *Cartare* fuisse suspicor. Neque impedit, quod insula dicitur. Nam si Tartessum sic nominatam alicubi invenit Avienus, insulam etiam dicere potuit. Et in insulas sæpe converti a Geographis, quæ sunt urbes maritimæ, promontoria, vel portus, qualis Carteia fuit, multis exemplis constat.

256. *Eamque pridem influxe, satis est fides:* sic Ven. et Pith. Legendum puto *vatibus est fides.* Vatum enim plane plurimi ejus rei meminerunt. Possis vero etiam *fatis*, exemplo Maronis, Deum voluntate, κατὰ πρόνοιαν θεῶν, ut loquitur Plutarchus. BARTH. Adv. pag. 1334. — Inepta et fatua conjectura Barthii. *Ni fluxa satis est fides* edidit Huds. Sed hoc sensu *satis* inepte adponi τῷ *fluxa* videtur. Heinsius simpliciter correxit *influxa*, et sic *influxam fidem* dici ab Avieno, quæ certa est, credidit, quomodo contra *fluxa.* Vid. Descript. Orb. vs. 278. Hoc si recipimus, versus ita fulciendus videtur: *Eamque pridem, influxa et est satis fides*, vel *influxa si satis est fides*. Quia *et* exciderat, hinc corrupta scriptura *influxe satis* emersit. Sic supra Noster, v. 184: « ægra est fides Narrationis ».

257. *Tenuere Cempsi.* Cempsos nemo Veterum nominavit præter Dionysium, Perieg. qui eos ad radices Pyrenæi habitare dicit; unde Noster, Descr. Orb. v. 480: « in-

Pulsi duello, varia quæsitum loca
Se protulere. Cassius inde mons tumet:
Et Graia ab ipso lingua cassiterum prius
Stannum vocavit: inde fani est prominens,
Et, quæ vetustum Græciæ nomen tenet,
Gerontis arx est eminus: namque ex ea

deque Cempsi gens agit in rupis vestigia Pyrenææ Protendens populos ». Sed quæ hic de Cempsis memorat Avienus, non ex Dionysio, sed alio antiquo scriptore sunt, et antiquiorem statum Cempsorum adtingunt. Nimirum dicit, Cempsos olim Cartaren insulam Tartessiis proximam tenuisse, sed bello pulsos in alia profectos loca esse. Inde est igitur, quod Dionysius recentiorem situm Cempsorum spectans, eos memorat supra Tartessum versus Pyrenæos habitare. De cætero vid. quæ de Cempsis ad Priscian. Perieg. v. 336 notavimus.

258. *Varia quæsitum loca.* Recte hæc Pithœus effinxit ex his corruptis primæ edit. *varia qua est tum loca;* a quibus parum discrepat cod. V. *varia qua et tum loca.*

259. *Cassius inde mons. Casius* scribit Heins. et hoc magis accommodatum metro. — Sed est et alius mons Casius excelsissimus, quem Syriæ et Arabiæ Petrææ tribuunt Geographi. Nihil igitur mutandum. Ed.

260. *Cass. prius Stannum vocavit.* Absurda sine dubio ratio Græcum κασσίτερος a monte quodam Cassio derivandi. Græci potius, qui κασσίτερον sciebant a Tartessiis et Iberis venire, inde ansam sumpserunt e vocabulo suo Cassium montem apud Iberos fingendi. Constat enim, Græcos veteres, quibus omnis terrarum pars ad Occidentem ignotissima erat, multa magnaque de his regionibus mentitos esse, ut testatur ipse Strabo.

261. *Inde fani est prominens. Fanum* V. male : *fani prominens* est promontorium fani. Ortel. — Sic recurrit v. 304, et hunc sensum *prominentis* jam accepimus e v. 90, 94, 171. Hudsonus, nescio quam ob caussam, edidit *inde est fani prominens*, in eoque metri legem neglectam queritur Schrad. præf. ad Emend. pag. 32. Intelligere vero Avienus *fanum* videtur, quod supra v. 241 « Infernæ Deæ » vocavit.

263. *Gerontis arx est eminus.* Sic Ven. et duæ Pith. Schr. in sch. conj. *Geryonis:* sic etiam legit et citat Vossius ad Mel. p. 223 : atque ex hoc loco correctores depravasse putat locum Melæ, III, 1 : « In ipso mari monumentum Geryonis, scopulo magis, quam insulæ impositum ». Prius, inquit, legebatur *Cepionis*, non *Geryonis.* Pro *monimentum* vero *munimentum*, nisi fallor, rectius legeris. Certum est, veram hanc esse lectionem, et a Cæpione turrim hic fuisse exstructam, non a Geryone. Colligo hoc ex Strabone, cujus verba hæc sunt lib. III : Καὶ ὁ τοῦ Καιπίωνος πύργος ἵδρυται ἐπὶ πέτρας ἀμφικλύστου. Hæc Voss. Sed Nunnesius in epist. ad Schottum de patria Melæ, lectionem *monumentum Geryonis* defendit, eamque dicit præter unum MS, quod *Sci-*

Geryona quondam nuncupatum accepimus.
Hic ora late sunt sinus Tartessii;
Dictoque ab amni in hæc locorum puppibus
Via est diei: Gaddir hic est oppidum:
Nam Punicorum lingua conseptum locum
Gaddir vocabat: ipsa Tartessus prius
Cognominata est; multa et opulens civitas

pionis habeat, cætera præferre sine ulla dubitatione *Geryonis*, etiam Salmanticense aliquod perantiquum. Tum contendit, emendandum videri Strabonem, qui *Capionis turrim* habeat, proclivi, ut fit, migratione τοῦ G in τὸ C, et propter similitudinem literarum, qua notantur P Romanum et R Græcorum. Hæc Nunnes. Si *Geryonis* legamus, versus aliquot excidisse suspicor. Huds. — Ego vero nec in nostro Avieni loco lectionem *Geryonis* locum habere putaverim. Nam dicit, arcem eam tenere vetustum nomen Græciæ. Tale nomen *Gerontis* est, non *Geryonis*, quod est proprium regis minime Græci. Et recurrens vs. 304 *Gerontis arx* certam esse scripturam indicat. Videtur nihilo minus Gerontis nomine intelligi antiquus rex et princeps gentis, qualis ipse Geryon fuit, aut *Gargoris*, quem Tartessiorum regem nuncupat Justin. XLIV, 4, aut, quod magis velim, Arganthonius, Tartessi rex, qui centum et viginti annos, vel trecentos adeo vixisse fertur, adeoque *Gerontis* nomen κατ' ἐξοχὴν meruisse videtur.

264. *Geryona nuncupatum* ex arce Gerontis, æque absonum est existimare. Et sine dubio confusio facta e similitudine duorum nominum.

266. *Dictoque ab amni.* Pith. *ab uni* Venet. et V. *ab amne* Hudson.

267. *Gaddir hic est oppidum.* Gadir quid significet, vide Voss. de Anal. I, 12, p. 425. Burm.—*Gaddir* urbs Hispaniæ intra duo Bætis amnis ostia, et mare, undique aquis circumdata, a Phœnicio גדר, quod sepem, et περίφραγμα, vel locum circumspectum significat. *Gades* quoque insula ab eadem origine: Salm. in Sol. p. 492.—Vossius l. c. sic Gades dixisse Pœnos existimat, quia esset iis sepimenti loco adversus Hispanos.

268. *Conseptum locum Gaddir vocabat.* Sic Noster ex Dionysio, Perieg. v. 615: « Pœnus quippe locum Gaddir vocat undique septum Aggere præducto ». Neque aliter Plinius: « Pœni Gadir, ita Punica lingua septum significante »; et Solinus: « Pœni lingua sua Gadir, id est, sepem nominarunt ». Et Isidorus: « Quam Tyrii a Rubro mari profecti occupantes, in lingua sua Gades (lege Gadir), id est, septum nominarunt ». Et Hesychius: Γάδειρα, τὰ περιφράγματα, Φοίνικες. Boch. Chan. p. 673.

270. *Multa et opulens civitas:* sic Ven. et Pith. recte: *multa ac opulens* edidit Huds. et peccavit in metro, judice Schrad. præf. in Em. p. 32. Pro *multa* Schrad. in sch. mavult *magna*. Sed eodem sensu *multus*

Ævo vetusto, nunc egena, nunc brevis,
Nunc destituta, nunc ruinarum agger est.
Nos hoc locorum, præter Herculaneam
Solennitatem, vidimus miri nihil.
At vis in illis tanta, vel tantum decus

adhibere Avienus solet, ut v. 110: «Hæc inter undas multa cespitem jacet»; et v. 243: «multa propter est palus».

272. *Nunc ruinarum ager est* Ven. et Pith. Facilis correctio *ruinarum agger est*. Agger, quidquid aggeritur, seu studio, seu casu. Sic Noster infra: «Vacuos per agros et ruinarum aggeres». Barth. Adv. pag. 1334, et Abl. IV, 11.—Opit. Var. Lect. p. 37, prius reposuerat *nunc ruinarum est ager*, mox præferendam Barthianam lectionem judicat. Sic etiam legit cod. V. et sic citant Bochart. l. c. p. 673, et Salmas. ad Sol. p. 202: sic Heinsium verissime emendasse notavit Burm. Similiter Rutilius, I, 412, de Populonia: «Agnosci nequeunt ævi monumenta prioris: Ruderibus late tecta sepulta jacent».

273. *Nos hoc locorum* Ven. Pith. et Huds. *Nos hic locorum* maluit Oddius, idemque adnotavit Burm. Sed vulgatum firmatur altero loco Nostri, v. 421: «Nam sunt feroces hoc loci Libyphœnices».

274. *Præter Herculaneam Solennitatem*. Produxit fecit vocabulum *Herculaneam* propter metrum, quum infra vs. 341 *Herculanas columnas* dicat: quamquam et alia subesse caussa, neque eadem *Herculani* et *Herculanei* vis esse videtur. Illud enim rem designat, quæ est ab ipso Hercule, vel ex Hercule cognominata, ut Herculanum templum, Herculanæ columnæ; hoc autem, quod ad Herculanum pertinet. Igitur *Herculaneam solennitatem* interpretor, quæ sit ad templum Herculanum, quod est Gadibus. Hoc templum tetigit Noster, Descr. Orb. v. 618: «dant hi (Tyrii) quoque maxima templa Amphitryoniadæ, numenque verentur alumnum». Et præter Silium Ital. III, 30 seq. describit Pomp. Mela, III, 6: «Templum Ægyptii Herculis, conditoribus, religione, vetustate, opibus illustre Tyrii constituere: cur sanctum sit, ossa ejus ibi sita efficiunt».—*Vidimus miri nihil.* His verbis significat Avienus, se aliquando commoratum fuisse Gadibus; quomodo idem de Delphis et Phocide in Descript. Orb. v. 604: «Inter turicremas hic Phœbum vidimus aras».

275. *At vis in illis tanta*. Eo incrementi paullatim, Romanorum amicitia urbs, hæc (Gades) pervenit, ut inter quatuor Bæticæ conventus adnumeraretur. Tiberii vero Cæsaris tempore ad tantæ potentiæ culmen evaserat, ut Strabo scribat lib. III, uno suæ ætatis censu, equestris ordinis Gaditanos viros quingentos esse censos; quot in nulla Italicarum urbium, præterquam Patavii, reperti sunt. L. Nonius Hisp. cap. 9, p. 35. — *Vel tantum decus*. Pro eo *vel tamen decus* Ven. mendose: *vel* pro *et* positum esse videtur, more scriptorum sequioris latinitatis. Vid. Pervig. Ven. v. 53.

Ætate prisca sub fide rerum fuit,
Rex ut superbus, omniumque præpotens,
Quos gens habebat forte tum Maurusia,
Octaviano principi acceptissimus,
Et literarum semper in studio Juba,
Interfluoque separatus æquore,
Illustriorem semet urbis istius
Duumviratu crederet : sed insulam
Tartessus amnis, ex Ligustico lacu

276. *Sub fide rerum* vulgatæ : idque rectum existimo, et *rerum* est historiarum, rerum iu orbe gestarum a scriptoribus fide dignis memoratarum. Vid. notata ad v. 17. Heinsius tamen pro *rerum* conjecit *veterum* vel *veri*, et Hudsonus *regum*, male.

278. *Gens habebat forte tum Maurusia*. A Græcis Maurusii, Mauri a Romanis vocati, inquit Strabo, lib. XVII, p. 826.

280. *Juba*. Cujus pater bello Africano victus, ipse a J. Cæsare in triumphum ductus admodum puer, et post studiis deditus historicus insignis evasit. Plutarch. in Cæs. citat sæpe Plinius. Schottus. —Nos totum hunc locum de Juba rege plenius exponimus Excursu I.

284. *Tartessus amnis*, qui alias Bætis, hodie *Guadalquivir*, id est, *fluvius magnus :* olim vero ab incolis *Cirtium*, sive ut Lipsius emendavit, *Certim* adpellatum, auctor est T. Livius, lib. XXVIII, c. 22. Nonius, p. 316. — *Ex Ligustino lacu* Ven. *Ligustico* reliquæ. Sed Bochartus, I, 35, p. 670 : Avienus, inquit, *Libystinum* vocat deflexa voce ex Phœnicio *Lebitsin*, quasi *Ad paludes* dixeris : cujus nominis locum in Ægypto memorat Strabo, et alterum prope Romam Festus in *Caprilia*. Ad Libystinum lacum cognominis urbs fuit, quam pro *Lebitsin*, *Ad paludes*, Λιγυστίνην *Ligustinam* Græci adpellarunt, tamquam a Liguribus in Bætica scilicet. Stephanus ex MS Palatino a magno Salmasio emendatus : Λιγυστίνη, πόλις Λιγύων, τῆς δυτικῆς Ἰβηρίας ἐγγὺς καὶ τῆς Ταρτησσοῦ πλησίον· *Ligustina*, *Ligurum urbs in Occidentali Iberia prope Tartessum*. Sic in Avieno pro *Libystino lacu* quidam legunt *Ligustino*, alii etiam *Libystico :* sed vera lectio est, quam diximus. Boch. —Cur illum lacum *Ligusticum* aut *Libusticum* vocet Avienus, uescio. Forte legendum : *qui exilit vasto lacu*. Grandem lacum esse dicit Mela. Salm. ad Sol. 202. —Nempe Mela, lib. III, c. 1, 38 : «Post, inquit, ubi non longe a mari (Bætis) grandem lacum facit, quasi ex uno fonte geminus exoritur, quantusque simplici alveo venerat, tantus singulis effluit». Quum eum lacum Avieni scripti et impressi codices constanter dicant *Ligustinum* vel *Ligusticum*, et Stephanus Ligurum, vel potius Ligyum, urbem in occidentali Iberia prope Tartessum collocet, *Ligurum* etiam tractus illius supra meminerit Noster

Per aperta fusus, undique adlapsu ligat.
Neque iste tractu simplici provolvitur,
Unusve sulcat subjacentem cespitem:
Tria ora quippe parte Eoi luminis
Infert in agros; ore bis gemino quoque
Meridianas civitates adluit.
At mons paludem incumbit Argentarius,
Sic a vetustis dictus ex specie sui:
Stanno iste namque latera plurimo nitet,

v. 196, nescio, quæ caussa satis gravis nos moveat, ut *Libystinum*, fictum a Boeharto nomen, præferamus. *Libusticum* qui legerit, nondum inveni.

285. *Per operta lapsus* citat Boch. I, 34, p. 669, quod ex errore haud dubie positum, valere posset, si de Ana amne sermo esset. Vid. not. ad v. 208: *undique ab lapsu ligat* Ven. Pith. et Huds. *uvido lapsu* Scriv. *adlapsu* voluit Heins. et Oddius: et sic citat Nonius, p. 316. Noster in Perieg. v. 495: « Tibris pater explicat undas, Romanosque lares lapsu prælambit alumno ». *Ligat*, i. e. circumdat, cingit. Noster in Perieg. v. 49: « totum hoc circumlatrat æstus, Et maris infesti moles ligat ».

287. *Unusve sulcat*, i. e. uno vel simplici alveo.

288. *Tria ora quippe*. Non ostia Bætis intelligit, sed dicit, a parte orientali tribus fluviis distinctum pergere, et a parte meridiali quatuor. Confirmat hæc, vel illustrat quodammodo Plin. lib. III, c. 1: « Bætis in Tarraconensis provinciæ Tugiensi exoriens saltu ... versusque in occasum, Oceanum Atlanticum provinciam adoptans petit, modicus primo, sed multorum fluminum capax, quibus ipse famam aquasque aufert ».

290. *Meridiana civitatis:* sic vulgatæ omnes. *Meridianas civitates* cod. V. quod rectius videtur, et juvari verbis Plinii l. c. « Bætis primum Bæticæ ab Ossigitania infusus, amœno blandus alveo crebris dextra lævaque accolitur oppidis ».

291. *At mons paludem incumbit*. Sic in Descript. Orb. v. 457: « Hæ gentes Istrum, qua se plaga dura Bootis Porrigit, incumbunt »; et vs. 839: « Ast Asiam incumbit vasto mons aggere Taurus »; supra v. 237: « incubat Caligo terras ». — *Mons Argentarius*. Montem Argenteum, ὄρος Ἀργυροῦν, vocant alii, ex quo Bætim, qui et Tartessus, fluere produnt Strabo, lib. III, p. 148, et Steph. Byzant. in Ταρτησσός. Alio loco Strabo, p. 162, dicit, Bætim ex monte oriri, cui nomen Ὀρόσπεδα. Hoc nomen Arabice idem esse, quod ὄρος Ἀργυροῦν, observat Boch. I, 35, p. 665.

293. *Stanno iste namque latera plurimo nitet*. *Stagno* Ven. perperam: *ipse* pro *iste* citat Schraderus ad Descr. Orb. v. 742. Rationem nominis Argentarii inde deducit, quod latera exteriora montis stanno obducta sint, eoque argenti speciem

Magisque in auras eminus lucem evomit,
Quum sol ab igni celsa perculerit juga.
Idem amnis autem fluctibus stanni gravis
Ramenta volvit, invehitque mœnibus
Dives metallum: qua dehinc ab æquore
Salsi fluenti vasta per medium soli
Regio recedit, gens Etmaneum accolit.

habeant. At Strabo Argenteum vocari scribit, διὰ τὰ ἀργυρεῖα τὰ ἐν αὐτῷ, propter argenti fodinas, quæ in eo sunt.

295. *Quum sol ab igni celsa perculerit juga*. Sic Venet. et Pith. *Quum solis ignis* Huds. *Quum sol reclinis* conjicit Heins. *sol habenis* Schrad. in sch. Hudsoni lectionem juvat Perieg. v. 411: « Qua matutinis sol istas ignibus adflat ». Neque tamen propterea rejicienda lectio primarum edd. *ab igni*, quia præpositio *ab*, nominibus adposita, nonnunquam abundat, atque caussam vel instrumentum rei æque, ac nudus ablativus, significat. Simillimus locus est Ciceronis pro Mil. cap. 21: « Adde incertos exitus pugnarum Martemque communem, qui sæpe spoliantem jam et exsultantem evertit et perculit ab abjecto ». Et supra v. 192: « confundi æquor immundo a luto » scripsit Avienus. Idem in Prognost. v. 435: « Si matutino fringilla resultat ab ore ».

296. *Amnis aut fluctibus* Venet. et Pith. *autem fluctibus* correxit Huds. *auri* scribere jubet Pith. sed hoc locum habere nequit, quia sequitur *stanni gravis*. Barthius, Adv. pag. 1334, et Abl. IV, 11, vult *auctus fluctibus*, additque, banc verissimam scripturam esse. Favet huic emendationi locus Nostri in Perieg. vs. 1278, de Choaspe fl. « Nam quum brumali ceciderunt sidere nimbi, Imbribus et cælo fusis furit anctior amnis, Hos lapides late flumen trahit ». Sed simplicissima sine dubio correctio Hudsoni *Idem amnis autem*, quæ tot aliis hujus poematis locis confirmatur, ubi *aut* contractum pro *autem* offendimus.

297. *Invehitque mœnibus Dives metallum*. Id pariter Stephanus l. c. adfirmat, Ταρτησσὸς, πόλις Ἰβηρίας, ἀπὸ ποταμοῦ τοῦ ἀπὸ τοῦ Ἀργυροῦ ὄρους ῥέοντος, ὃς τις ποταμὸς καὶ κασσίτερον ἐν Ταρτησσῷ καταφέρει. Vid. Bochart. I, 34, pag. 672. Verba Stephani significare videntur, id quod verum est, stanni metalla per amnem Tartessum deportata esse, scil. navibus, in ipsam urbem, unde mercatores exportabant. Avienus quod dicit, poeticum est, ipsas fluvii aquas ramenta stanni volvere. De magna stanni argentique copia, quam Phœnices Tartesso acceperunt, vid. Aristot. de mirabil. cap. 147, et notata ad eum locum, p. 304 edit. Beckmann.

300. *Regio redit* Ven. et Pith. quod recte Huds. mutavit in *recedit*. Sic plane in Descript. Orb. v. 325: « at quantum terrarum interna recedunt, Ut procul Oceano tellus vicina madescat ». Hic auctor gentes quasdam mediterraneas obit, mox autem redit ad mare. — *Gens Etmaneum* edidit Huds. *et maneum*

Atque inde rursus usque Cempsorum sata
Ileates agro se feraci porrigunt:
Maritima vero Cilbiceni possident.
Gerontis arcem et prominens fani, ut supra
Sumus eloquuti, distinet medium salum;
Interque celsa cautium cedit sinus.
Jugum ad secundum flumen amplum evolvitur:
Tartessiorum mons dehinc adtollitur
Silvis opacus: hinc Erythea est insula
Diffusa glebam, et juris olim Punici:
Habuere primo quippe eam Carthaginis

Ven. *Et Mancum* V. Schraderus in sch. hic tentavit aliquid, quod non successit. Et irrita sine dubio quævis opera in nomine ignoto pariter et corrupto.

302. *Ileates agro se feraci porrigunt.* Hæc Hudsonus effecit e corruptis Venetæ *agros efferaci. Eleates agros efferaces porrigunt* V. Lege: *Eleates agri se feraces porrigunt.* Schriv. — Hudsonus quærit *An Iscates?* Sed unde hoc habeat, aut quo pertineat, nescio. Ego tueor vulgatum *Ileates* vel *Iliates*. Plinio, lib. III, 1, 3, inter oppida Hispalensis conventus Bæticæ memoratur « Ilipa cognomine Ilia, Italica », quomodo mendosam priscarum editionum lectionem emendavit Harduinus, monitus veteri inscriptione apud Gruter. p. 351, n. 5: IMMVNES ILIENSES ILIPONENSES (ubi Reines. legere jubet *Ilipolenses*: nam *Ilipula* nomen urbis), qui sine cognomine, pag. 246, n. 7, sunt MVNICIPIVM ILIPENSE. Hujus civitatis vel regionis incolæ sunt, qui Avieno dicuntur *Iliates*. Locorum ratio plane convenit.

303. *Cibiceni possident* Venet. et Pith. *Cilbiceni* expressit Huds. qui jam adfuerunt v. 255, et a *Cilbo* fluvio, quem vs. 320 memorat, haud dubie nomen acceperunt.

305. *Ut supra Sumus eloquuti:* nempe versu 261 seq.

306. *Cedit sinus.* Heinsius volebat *sidit*, vel *sedet*, quod non opportunum videtur: *cedit* idem est, ac quod supra v. 300 *recedit*.

307. *Jugum ad secundum flumen amplum evolvit.* Sic Ven. et Pith. *jugum ac secundum* V. *flumen amplum evolvit* idem: *evolvitur* correxit Pith. quem sequitur Huds. *Jugo at secundo flumen amplum evolvitur* legit Heins. Sed vulgata præstare videtur. — Et sic infra Noster, vs. 677, de Rhodano: « Et occidentem contuens, evolvitur. Ed.

309. *Erythea* scribendum esse, ostendimus ad Descript. Orbis, v. 739.

310. *Juris olim Punici*, h. e. in quam olim Pœni, qui conditores fuerant, jus imperii exercuerunt. Sic infra vs. 428: « Tartessiorum juris illic insula Autistal urbem ». *Juris olim Punicis* legebatur in codice V.

Priscæ coloni: interfluoque scinditur
Ad continentem quinque per stadia modo
Erythea ab arce: qua diei occasus est,
Veneri marinæ consecrata est insula,
Templumque in illa Veneris et penetral cavum,
Oraculumque: monte ab illo, quem tibi
Horrere silvis dixeram, in Veneris jugum
Litus recline et molle arenarum jacet,
In quas Besilus atque Cilbus flumina

312. *Carthaginis priscæ coloni.* Plin. lib. IV, cap. 22: « Erythia dicta est insula, quoniam Tyrii Aborigines eorum orti ab Erythræo mari ferebantur ». Hinc Bochartus, lib. I, 34, p. 677, contra Avienum adserit, Phœniciam fuisse insulam, non Punicam, et conditores habuisse e Tyro, non e Carthagine.— *Interfluoque*, scil. æquore. Sic simpliciter *interfluum* dicit vs. 325, ut prominens v. 52, 94 et 261.

314. *Ab arce*, puto Gerontis, quam ante dixit vs. 304: *qua diei occasus* absque vocula *est* habent Pith. edd. quam tamen Veneta exhibet, et reponi jubent Barthius, Adv. pag. 1334, ipseque Pithœus, Huds. Heins. et Schrad. ad Descr. Orb. v. 875.

315. *Veneri marinæ. Veneris* V. Pelagia Venus dicta est ab Artemidoro, in lib. II Ὀνειροκριτικῶν, quæ est ἐπιποντία Hesychio. Schott. — Nescio an hæc insula Veneris pro ipsa Erythea, de qua ante, habenda sit, et Avienus forte ex alio scriptore, qui sic nominavit, id repetens, ex una insula fecerit duas. Nam Plinius, Hist. Nat. IV, c. 22, de Erythia: « Vocatur ab Ephoro et Philistide Erythia: a Timæo et Sileno Aphrodisias: ab indigenis Junonis ». Et Stephanus: Ἀφροδισιάς νῆσος, πρότερον Ἐρύθεια, μεταξὺ Ἰβηρίας καὶ Γαδείρων.

316. *Et penetral cavum.* Sic recte expressit Pith. ex vitioso primæ ed. *et pæne sal cavum*, quomodo et V.

317. *Oraclumque monte ab illo.* Hæc male conjungit ed. Pith. Recte distinxit Huds. *Oraculumque, monte ab illo, quem tibi*, etc.

318. *In Veneris.* Sic cum hiatu Pith. *inveneris* Ven. Opitius, p. 37. explet *in Veneris jugo*, quomodo et Heins. *in Veneris sinu* maluit Oddius: sed Hudsonus edidit *in Veneris jugum*, quod rectius videtur, quia præcessit *monte ab illo*: et *jugum* vel promontorium hic adpellare videtur, quod paullo ante dixit insulam. Firmat enim locus Nostri plane geminus v. 437: « Fanumque ad usque Veneris ac Veneris jugum Litus recumbit »: adde vs. 443.

319. *Litus reclive* habet V. *recline* Ven. et pro *molle arenarum* Heinsius conjiciebat *mole*, quod vix aptum reperio.

320. *Besilus atque Cilbus flumina.* Vossius ad Mel. II, cap. 6 extr. ubi urbes hujus regionis *Mellaria, Belo et Besippo* nominantur, adnotat: Flumen huic (Besippo)

Urgent fluentum : post in occiduum diem
Sacrum superbas erigit cautes jugum.
Locum hunc vocavit Herma quondam Græcia.
Est Herma porro cespitum munitio,

vicinum Besipus dicebatur, qui idem videtur esse, atque Belu fluvius. Meminit hujus Avienus in Ora mar. licet apud eum *Besilus* perperam legatur pro *Besipus*, utique quoque apud Ptolemæum male Βαίλων pro Βέλον. Voss. ad Mel. p. 199.—Perperam autem Huds. *Bisilus* edidit, quum priores Pithœanæ habeant *Besilus*.

321. *Vergent fluentum*. Sic antiquæ et vulgatæ omnes. Lego *Urgent fluentum*. *Urgent*, adigunt, propellunt. Glossarium H. Stephani : *Urget*, ἐπείγει, κατασπεύδει, ἐπίκειται. Opit. var. lect. p. 37.—Hudsonus legit *urgent* aut *mergunt*. Meo judicio *vergunt* elegantius est, et dignius auctore. Lucretius : « ipsi sibi sæpe venenum Vergebant ». Statius, Theb. VI, 211 : « Spumantesque mero pateræ verguntur ». Avienus, Phænom. « declivi si visum tramite vergas ». Auct. Observ. Misc. t. I, p. 385.—Etiam Heinsius emendavit *Vergunt*. Sed cur illud elegantius et dignius auctore habendum sit, caussam nullam video ; certe non aptius est, quam *urgent*. Imma dignum esse hoc auctore nostro, alia ejus loca docent. Descr. Orb. v. 430 : « Porro inter cautes et saxa sonantia Rhenus... Urget aquas » ; ib. v. 1178 : « Hoc elapsus item vim proni gurgitis urget ». Idem verbum alii loco v. 959 vindicavit Schraderus, quem vide. Cæterum *flumina urgent fluentum* ingrata repetitio est, sed ab Avieno non aliena.

322. *Sacrum... jugum*. Promontorium Sacrum iterum adit auctor, quum bis terve supra jam adtigerit. Quo adparet, auctorem sæpe redire ad eosdem fines, eademque spatia subinde, secundum diversos auctores, per alia loca et locorum nomina persequi.—*Superbas erigit cautes*, pro altis et arduis dixit. Sic infra vs. 504 : « Juxta superbum mons Sacer caput exserit ». Gratius, Cyn. v. 63 : « illi aggeribus tentare superbis, Ætheraque et matres ausi tractare Deorum ». Heins. Adv. II, 2, p. 211.

323. *Locum hunc vocavit Herma quondam Græcia*. Quæ de Hermate hic memorat Avienus, sumpsisse a Scylace Caryand. videtur, qui in Periplo edit. et vers. Vossii Amst. 1639, p. 50 : « Ultra promontorium Hermæum vasta extenduntur hermata a Libya usque in Europam, nusquam exstantia fluctibus, sed undique ab iis obruta. Tenditur id Herma ad aliud Europæ promontorium ei adversum. Vocatur autem id promontorium Sacrum ».

324. *Est Herma porro cespitum munitio*. Quidam locum hunc ἕρμα adpellari arbitrati sunt, quod sepes esset interni et externi maris. Nam ἕρμα est περίφραγμα Græcis, vel, ut Rufus vertit, *cespitum munitio*. Quod hic Festus Herma collocat ad promontorium Sacrum, Hispaniæ maxime occidentale, in eo nihil abscedit a Scylace. Extenditur enim Herma ab promontorio Hermæo, usque prædictum Sacrum promontorium, quod Scylax proxime te-

Interfluum quæ altrinsecus munit lacum:
Aliique rursus Herculis dicunt Viam:
Stravisse quippe maria fertur Hercules,

statur, qnnm inquit : Τέταται δὲ τὸ ἕρμα ἐπὶ ἑτέραν ἄκραν τῆς Εὐρώπης τὴν καταντικρύ. Τῇ δὲ ἄκρᾳ ταύτῃ ὄνομα ἱερὸν ἀκρωτήριον. Voss. ad Scyl. p. 23. *Hermata* plerique ex Suida exponunt λίθους μεγάλους, *magnos lapides*, aut ex Hesychio ὑφάλους πέτρας, *saxa sub mari latentia*, et τὸν πετρώδη καὶ ἐπικυματιζόμενον, ὥς τε μὴ βλέπειν, τόπον τῆς θαλάσσης, *locum ad mare saxosum et fluctibus obrutum, ita ut non adpareat*. Qnomodo sumpsit Lucianus, libro de scrib. hist. qunm Ægypti Parætonium tradit esse παγχάλεπον καὶ ἄφευκτον, εἴ τις ἐμπέσοι εἰς τὰ ἕρματα, *perdifficilem et inextricabilem, si quis in hermata incidat*, id est, in scopulos latentes. Strabo χοιράδας adpellat. Sic a Scylace sumi ἕρματα satis constat, qnum addit : οὐχ ὑπερέχοντα τῆς θαλάσσης. Ἐπικλύζει δὲ ἐπ' αὐτὰ ἐνιαχῆ, *supra mare exstantia non sunt, sed a fluctibus undique obruta*. Herculem his saxis in mare injectis freti fauces ex parte obstruxisse, nonnulli volunt, ut Oceani cete arceret ab aditu maris interni. Vetus auctor apud Suidam : Ὁ δὲ Ἡρακλῆς ἕρματα μεγάλα ἔβαλεν εἰς τὸ στόμα τοῦ Ὠκεανοῦ, ὡς ἂν ἐμπόδια εἴη τοῖς ἐπιφοιτῶσι θηρίοις. *Hercules magna hermata in Oceani ostium conjecit, ut belluis accedentibus essent impedimento*. Boch. Chan. lib. I, cap. 37, p. 715, edit. Francof. 1681, in-4.

325. *Interfluumque altrinsecus munit locus :* sic antiquæ Ven. et Pith. *locum* citat Voss. ad Scyl. l. c. Bochartus l. c. *Interfluum quæ altrinsecus*, quem sequutus est Hudson. *munit latus* conjecit Heins. cujus rationem non satis capio. Ego commodissimum putavi scribere *Interfluum quæ altrinsecus munit lacum*, idque auctoritate Scylacis, p. 50, et Plinii, lib. XXXVII, 2, qui memorant, ad promontorium Hermæum, ubi Herma, et juxta mare Atlanticum esse lacum magnum, Cephesiada, quem adeo tangi putant ab isto Hermate. Et hic lacus forte obversatus est animo Avieni, qunm hæc de Hermate scriberet.

326. *Herculis dicunt viam.* Veteres nonnullos fabulatos esse, Herculem saxis in mare conjectis viam stravisse, per quam Geryonis armenta ex Erythea abduceret, indeque *Viam Herculis* vocatum esse locum, ex hoc testimonio Avieni adparet, quamvis non aliud prisci scriptoris, præter hoc ipsum, adducant Bochartus et Vossius ll. cc. Res tamen ipsa ex similitudine quadam fabularum de expeditione Bacchi in Oriente colligitur. Quemadmodum enim ab hoc columnas quasdam ad Oceanum Indicum statutas fuisse, ad similitudinem columnarum Herculis, in fine maris Occidui perhibuerunt mythologi; ita qunm in extremis Orientis locum quemdam *Viam Bacchi*, vel Viam Nysæam nominaverint, ut ex Dionysii vs. 1159, et Prisc. v. 1057 intelligitur, hinc et talem Herculis viam ad fines Occidentis celebratam esse facile adparet. — Vide tamen notata ad Descr. Orb. v. 1375. Ed.

327. *Fertur Hercules.* Pro eo cod. V. scribit *ferunt Herculem*, quod indicium est parum feliciter corrigentis librarii.

Iter ut pateret facile captivo gregi.
Porro illud Herma jure sub Libyci soli
Fuisse pridem, plurimi auctores ferunt.
Nec respuendus testis est Dionysius,
Libyæ esse finem qui docet Tartessium.
Europæ in agro, quod vocari ab incolis
Sacrum indicavi, prominens subducitur.
Locos utrosque interfluit tenue fretum.
Quod Herma porro et Herculis dictum est Via,
Amphipolis urbis incola Euctemon ait,

329. *Porro illud Herma jure sub Libyci soli.* Scylax Iberos primam Europæ partem obtinere ait, eosque a freto urditur. Quod ultra columnas igitur, minime Iberia esse potest. Europæ tamen adscripsisse, ex eo patet, quod Sacrum promuntorium in Europa collocet. Plurimi enim antiquorum, quod crebræ essent Carthaginiensium coloniæ hoc in loco, Libyæ tribuerunt universum illum tractum. Auctor est Festus, ubi agit de Hermate ad Sacrum prom. *Porro illud Herma*, etc. Quidquid igitur est a Sacro promontorio, usque Tartessios, Libyæ adscribebatur. Voss. ad Scyl. p. 1.

332. *Qui docet Tartessium.* Videtur respicere Dionysii vs. 176, ubi tamen non Tartessum, sed Gades nominat. Vel v. 10: Ἀλλ' ἤτοι Λιβύη μὲν ἀπ' Εὐρώπης ἔχει οὖρον, κ. τ. λ.

333. *Europæ in agro.* Ab Hermate redit auctor ad Sacrum promontorium, Europæ extremum, quod legerat apud Geographum, Herma illud ultra promontorium Hermæum a Libya ad prom. Sacrum extendi. Hoc dicit Scylax, cujus verba ad v. 323 et 324 protulimus.

334. *Prominens*, i. e. promontorium; vid. v. 94. — *Subducitur*, i. e. adtollitur, quomodo Noster sæpius. Descr. Orb. vs. 379: « Nec minus hic speculæ vertex subducitur ». Ibid. vs. 589: « tumet arduus Hæmus, Threiciumque caput subducitur ». Vid. infra v. 508.

335. *Subducitur Locus.* Hæc conjungunt antiquæ edd. Ven. et Pith. quas sequitur Hudsonus, male omnino, qui *Locus* pertinere ad *prominens* falso existimaverat. Jam Opitius, p. 38, recte distinguens legit: *prominens subducitur. Locos utrosque interfluit* rel. Probat hoc quam maxime Schrad. Præf. ad Emend. pag. 30, idemque codice Ambr. confirmari ait. Codex V. e collatione Ortelii revera exhibet *locos utrosque*, qui an idem cum Ambrosiano, cujus est Descriptio Orbis, esset, adhuc dubitavi. Etiam Heins. scripsit *Locos.*

336. *Quod Herma porro aut Herculis.* Sic Venet. et Pith. Emendavit Hudsonus *et Herculis.*

337. *Incola hoc dæmon ait.* Sic antiquæ Pith. *Cleon* conjecerat Casaub. ut supra vs. 48, « Siculus Cleon »; sed Heins. *incola Euctemon ait.* Vid. supra vs. 47. Et sic Scriverius. Paullo post v. 350: « Atheniensis dicit Euctemon item ».

Non plus habere longitudinis modo,
Quam porriguntur centum et octo millia,
Et distineri [*utrosque*] millibus tribus.
Hic Herculanæ stant columnæ, quas modum
Utriusque haberi continentis legimus.
Sunt paria porro saxa prominentia

Burm. — Nihili est *Dæmon* ille insititius. Lege *incola Euctemon ait.* Nam *Euctemonem* in catalogo auctorum suorum principio hujus libelli nominavit, et post pauca iterum ejus utitur auctoritate. Bart. Adv. pag. 1335, et Ablegm. IV, 11. — *Hoc demon* habet edit. Ven. *Ecdemon* corrigit Pith. in Emendd. quem sequitur Hudsonus. Sed sine dubio rectum est *Euctemon*, quod et clare legitur in V. Fuit autem Euctemon celeber Astronomus, qui Athenis quidem ortus (quippe *popularis urbis Atticæ* vocatur supra v. 48), sed qui præterea in Cycladibus, in Macedonia et Thracia, astris considerandis operam dedit, ut e Ptolemæo notavit Fabricius, Bibl. Gr. vol. II, pag. 84. Quando igitur hic *Amphipolis urbis incola* dicitur, hoc de diuturna ejus commoratione in ea urbe intelligendum est. Nam Amphipolis est urbs Macedoniæ et Thraciæ contermina, ad Strymonem fluvium. Meminit etiam Euctemonis præter Plinium Vitruvius, IX, 7.

338. *Longitudinis modo* dicitur pro simplici *longitudine*. Nam *modus* Avieno est quævis quantitas, vel extensio. Vid. Descr. Orb. v. 40, 402, 829, 1352.

339. *Et octo millia*, intelligo passuum, quod nomen fere semper omitti solere, notavi ad Rut. II, 21.

340. Cum lacuna hunc versum exhibeant Ven. et Pithœanæ: *Et distineri ... milibus tribus.* Hudsonus supplevit *millibus* [*terras*] *tribus*: sed quia lacuna inter *distineri* et *millibus* est, hinc fortasse rectius expleas: *Et distineri utrosque millibus tribus.* Nempe *utrosque locos*, quos supra v. 335, sub quibus intelligit Hermæum promont. et Sacrum quæ inter Herma vel Herculis via esse dicitur. Cujus vero mensuræ tria millia hic dicantur, mihi obscurum est.

341. *Hic Herculanæ stant columnæ.* Repetit denuo columnas Herculis, quas toties jam adtigerat. Quod non alia de caussa fieri existimo, quam quod nunc Avienus ad alium scriptorem veterem defertur, et, quæ apud eum de situ et natura harum columnarum memorabilia et singularia legerat, huc revocare cupit. Docent hoc statim sequentia. — *Quas modum Utriusque haberi*, etc. *Modus* pro termino. Sic modus fluminum, modus limitum apud Siculum Flaccum. Vid. V. C. Nic. Rigaltii Glossas agrimensorias. Opit. pag. 38. — Sic Noster, Descr. Orb. v. 100: «Hic modus est orbis, Gadir locus».

343. *Sunt parva porro saxa.* Sic vulgatæ. Sed miror *parva saxa* vocari, quæ *ardua* et *procera*, et *nubes subeuntia* dixerat in Periegesi, v. 106 seq. nisi forte et hic *alta* reponendum sit, vel *pervia*, aut tale

Abyla atque Calpe. Calpe in Hispano solo,
Maurusiorum est Abyla : namque Abylam vocant
Gens Punicorum, mons quod altus barbaro est,
Id est, Latino; dici ut auctor Plautus est :
Calpeque rursum in Græcia species cavi

quid. Vlit. ad Nemes. Cyn. 251. Malim in Avieni loco *Sunt paria porro saxa :* nam ita produnt Geographi, olim cohæsisse, sed vi undarum divulsos montes, et inter se fere pares esse. Burm.—Probabiliter poeta scripsit *ardua :* nam Descr. Orb. v. 106 de eodem loco mentionem faciens, sic se exprimit : *scopuli stant ardui utrimque* rel. Auct. Obs. Misc. Vol. I, p. 386.—*Ardua* a lege metri et a literis priscæ scripturæ dissidet : melius respondet *paria* Burmanni, quod recipio.

345. *Maurisiorum* Ven. *Maurusiorum* duæ Pith. editiones. *Maurosiorum* ed. Madrit. quæ sunt nihili : *namque ab illa vocant* Ven. *namque Abila vocat* Pithœanæ. *Abilam* citat Salmas. ad Sol p. 203, a. Bochart. p. m. 812, et sic dedit Huds.

346. *Mons quod altus barbaro est.* Burmannus delet *est :* barbari nomen aliter accepit in Descript. Orb. v. 614 : « Barbara quin etiam Gades hanc lingua frequentat ».

347. *Dici ut auctor Plautus est. Dicti* habet V. Locus Plauti omnibus notus. Tamen hunc versum ultimum Avieni esse ut credam, induci non possum. Grammatica enim illa vocis explicatio cum testimonio, indigna videtur tam alti spiritus vate. Alios enim auctores quum citat, rerum gratia, non verborum citat. Ut glossema istud persuasum habeam ab recente aliqua manu esse. Barth. Ablegm. IV, 13. Paria dicit Advers. p. 1335.—*Plautus est.* In Asinaria (et in Trinummo) : *Marcus vortit barbare*, et in Mil. Glor. (Act. II, sc. 2) *Poetæ barbaro*, id est, Latino, de Nævio, ut Festus in *Barbarus*, et in *Vapula Papiria.* In Captiv. (III, sc. 1) *Barbarica lege ;* in Mostell. (III, 2) *Barbarus pultifagus ;* in Curcul. (I, 2) *ludii barbari.* Nam Græci omnes nationes barbaras vocabant, et hæ palliatæ Comœdiæ. Schott.—Ex usu Plauti etiam intelligendus imitator ejus, auctor Queroli, in Prologo : *Qui Græcorum disciplinas ore narrat barbaro*, i. e. Latino.

348. Pithœanæ antiquæ hæc scriptura est: *Calpeque rursum in Græcia, species cavæ* (*cava* Ven.) *Teretesque visu nuncupatur, et jugi.* In hac emendanda varie laborant docti. Nonius, Hisp. p. 42 ita legendum putat : *species cavi Teretisque vasis nuncupatur, et jugi.* Notum enim esse, hydriam, urnam, et quod cavum protuberat, Græcis κάλπην dici. Vlitius ad Nemes. Cyneg. v. 251 sic : « species cavi Teresque visu nuncupatur os jugi » ; in qua emendatione noto, Græcam vocem Calpen, perhiberi, ipsum montis jugum cavum et teres significare, quod falsum est. Nam quod alii scriptores docent, urnæ vel hydriæ significatum hic exprimere debuit. Melius hunc exprimit lectio, quam Salm. ad Sol. p. 203, a. constituit : « Calpeque rursum in Græcia species cavi

Teretisque usu nuncupatur urcei.
Atheniensis dicit Euctemon item
Non esse saxa, aut vertices adsurgere
Parte ex utraque: cespitem Libyci soli
Europæ et oram memorat insulas duas
Interjacere; nuncupari has Herculis
Ait columnas; stadia triginta refert

Teretisque visu nuncupatur urcei ». Quam lectionem Salmasii amplectitur, et pluribus illustrat Bochart. lib. I, c. 34, p. 681: Κάλπη Græcis est urna, urceus, ut *calpar* in Festo vasis genus. Hesychius: Κάλπη, στάμνος, ὑδρία. Inde *Calpe* mons dictus. Avienus in Ora marit. ex magni viri emendatione: *Calpeque rursum*, etc. quia concavus est in urcei modum. Juvenalis Scholiastes, Sat. XIV: « Calpe urnæ similis mons, unde Calpe in extrema Spania ». Mela: « Is mirum in modum concavus, ab ea parte, qua spectat occasum medium fere latus aperit; atque inde egressis totus admodum pervius, prope quantum patet sinus, et specus ultra est ». Hæc Bochart. —Porro Vossius ad Mel. lib. II, cap. 6, p. 195, scribit: Festus Avienus: « Calpeque rursum in Græcia species cavi, Teretisque vasi nuncupatur et jugi ». Hæc alii aliter legunt, verum ea, quam damus, vera est scriptura. Calpen interpretatur vasum teres et juge, nempe cui numquam aqua deficit, nec unquam fluere cesset; quale est vas illud cæleste, quod aquarius tenet. Sic fontes et putei juges dicuntur et perennes, quod juges et perennes continent aquas. Hæc Voss. — Sed in his mirum est quantum aberret Vossius, vir tam perspicax alias. *Vasi jugi* genitivos ponit inusitatos et vitiosos, quum æque potuisset *vasis jugis*. Et significatio *jugis*, quam urget, pro perennis aquæ, plane aliena ab hoc loco est, et nihil ad rem facit; tum vero ipsa vox metro contraria, ut dudum notavit Schrad. præf. ad Emend. p. 34. Hudsonus denique opinatur, distinguendum esse post *nuncupatur*, reliquaque verba *et jugi* sequentibus versibus adnectenda. Hac conjectura quidem minor fit mutatio priscæ scripturæ; sed tamen contra morem Avieni est, ultimo versus verbo novam periodum, nec eo quidem necessario ad sententiam, ordiri.

354. Antiquæ edd. scribebant *memorat insulas duas Iter acervi*, fœda corruptione. Pro eo *Interjacere* rectissime reposuit Barth. Adv. p. 1335, et Abl. IV, 13, quomodo et Heinsius, quem sequutus est Huds. *Oram interjacent insulæ duæ* tale est, quale in Descript. Orb. v. 840: Asiam incumbit vasto mons aggere Taurus, Interstatque jugo mediam »; et v. 255: « vasti moles pelagi interfunditur oras ».

355. *Nuncupari has Herculis Ait columnas*. Pro insulis habitas a nonnullis columnas Herculis, etiam Hesychius inter alias de iis opiniones refert, in dictione στήλας· Ἔνιοι αὐτὰς νήσους εἶναί φασιν, οἱ δὲ προσχώσματα, οἱ δὲ τῶν ἠπείρων

Has distinere; horrere silvis undique,
Inhospitasque semper esse nauticis.
Inesse quippe dicit ollis Herculis
Et templa et aras: invehi advenas rate,
Deo litare, abire festino pede:
Nefas putatum demorari in insulis.
Circum atque juxta plurimo [*tractu jacens*]
Manare tradit tenue prolixe mare.
Navigia onusta adire non valent locos
Breve ob fluentum, et pingue litoris lutum.
Sed si voluntas forte quem subegerit

ἄκρας, οἱ δὲ πόλεις, καὶ οἱ μὲν δύο, οἱ δὲ τρεῖς, οἱ δὲ μίαν, οἱ δὲ τέσσαρας. Et Strabo, lib. III, p. 168: Πρὸς αὐταῖς δὲ (στήλαις) δύο νησίδια, ὧν θάτερον Ἥρας νῆσον ὀνομάζουσι· καὶ δή τινες καὶ ταύτας στήλας καλοῦσιν.

356. *Has distinere* Ven. et Pith. *distineri* adnotavit Burm. et sic expressit Huds. neque tamen illud rejiciendum arbitror.

357. *Nauticis*. Pro eo *navitis* voluit Heins. Sed vide ad vs. 220.

359. *Advenas rates* vulgatæ: *rate* voluit Heins. quod sane placet: respondet, quod sequitur, *festino pede*.

361. *Nefas putatum demorari in insulis*. Talis superstitio Veterum de pluribus insulis memoratur, quas quia horrere silvis ac rupibus, atque incolis destitui sciebant, hinc Deo alieni sacras putare, et cum reverentia ac horrore adire solebant. Sic Amm. Marcell. lib. XXII, cap. 8, p. 341: « In hac Taurica insula Leuce sine habitatoribus ullis Achilli est dedicata. In quam si fuerint quidam forte delati, visis antiquitatis vestigiis, temploque et donariis eidem heroi consecratis, vesperi repetunt naves: aiunt enim non sine discrimine vitæ illic quemquam pernoctare ». Uberius de Leuce insula egimus ad Descript. Orb. v. 723.

362. *Juxta plurimo* * cum lacuna, Ven. et Pith. *pluri limo* * V. E conjectura lacunam implevit Hudson. verbis forte e v. 512 petitis: « Circum atque juxta plurimo tractu jacens ». Etsi hoc non perplacet, quis tamen audeat certius quid hariolari?

363. *Manere* vulgatæ habent, *Manare* vult Oddius, quod probabile, nisi malis *madere*. *Tenue* notavit Heins. tamquam suspectum, sed sic vocat mare vadosum. Vid. Descr. Orb. v. 163 et 298, et infra v. 406. *Prolixe* est longe, vel in longum, ut supra v. 174: « dehiscit inde prolixe sinus »; et vs. 405: « Producitque prolixe ».

365. *Breve* idem est, quod paullo ante *tenue*, vadosum, sicut infra vs. 379: « tergum brevius maris ». Inde *brevia* et *syrtes*. Pro *litori*, quod est in vulgatis, *litoris* V. quod præfero.

Adire fanum, properat ad Lunæ insulam
Agere carinam, eximere classi pondera,
Levique cymba sic superferri salo.
Sed ad columnas quidquid interfunditur
Undæ æstuantis, stadia septem vix ait
Damastes esse. Caryandæus Scylax
Medium fluentum inter columnas adserit
Tantum patere, quantus æstus Bosporo est.
Ultra has columnas, propter Europæ latus,
Vicos et urbes incolæ Carthaginis
Tenuere quondam: mos at ollis hic erat,
Ut planiore texerent fundo rates,
Quo cymba tergum fusior brevius maris

367. *Propter ad Lunæ insulam* edd. antiquæ. Pithœus in Em. reponit *properet ad*, eumque sequitur Hnds. quod ipse probo: nihil tamen hoc loco subjunctivo *properet* opus est: malo *properat*. *Ac Lunæ* conjecit Burm. cujus usum nullum video.

369. *Levique cymba vix superferri salo*, i. e. cymba levata, quando levior facta cymba est. Male *cymbam* scribit V. nam, quod superest, *levi* nullo sensu conjungetur cum *salo*. Pro *vix*, quod in vulgatis est, malui *sic* scribere, quia hoc melius convenit τῷ *properat*, nisi forte existimes scribendum esse *superfertur*.

372. *Damaseus* habet Ven. *Damastus* Pith. sed vid. vs. 46. Porro *Cariæ dictus Scylax* Ven. vitiose. *Caryandinus* V.

374. *Tantum patere, quantus*. Talis locus, quo fretum inter columnas cum Bosporo comparetur, in Periplo, qui hodie exstat, Scylacis non legitur. Duobus locis dicit columnas inter se distare diei itinere.

375. *Europæ latet;* sed vitiose Ven.

377. *Incolæ Carthaginis Tenuere quondam*. Huic convenit, quod Strabo de Turditanis ad Bætim fl. lib. III: Φοίνιξιν οὕτως ἐγένοντο ὑποχείριοι, ὥστε τὰς πλείους τῶν ἐν τῇ Τουρδιτανίᾳ πόλεων καὶ τῶν πλησίον τόπων ὑπ᾽ ἐκείνων νῦν οἰκεῖσθαι. Et Justinus, lib. XLIV, cap. 5: « Finitimis Hispaniæ populis Gaditanos bello lacessentibus, auxilium consanguineis Carthaginienses miserunt. Ibi felici expeditione, et Gaditanos ab injuria vindicaverunt, et majorem partem provinciæ imperio suo adjecerunt. Postea quoque hortantibus primæ expeditionis auspiciis, Hamilcarem imperatorem cum magna manu ad occupandam provinciam miserunt ».

378. *Planiore fundo*, i. e. carina non profunda nec curva, quam propter alias *curvari faselos* dixit vs. 105. « Patulas puppes » dicit Silius, lib. III, 473.

379. *Quo cymba tergum fusior, brevius mare Prælaberetur:* sic vul-

Prælaberetur: porro in occiduam plagam
Ab his columnis gurgitem esse interminum,
Late patere pelagus, extendi salum,
Himilco tradit: nullus hæc adiit freta;
Nullus carinas æquor illud intulit,
Desint quod alto flabra propellentia,
Nullusque puppim spiritus cæli juvet:
Dehinc quod æthram quodam amictu vestiat

gstæ. Et cymba *fusior* quin eadem sit, ac *planior* versus prioris, vel latior, non est dubium. Sed *tergum* non pertinere ad descriptionem cymbæ potest, nec fundum aut carinam exprimere. Igitur ad *mare* pertinet, quomodo *terga maris* sæpe dicit; vid. v. 125. At *tergum brevius mare* quomodo possis conjungere, nisi aut *tergo brevius mare* legas, aut *tergum brevius maris?* Schraderus jam hæsit ad hunc scopulum, et in schedis, quas mecum habeo, pro *mare* notavit *modo* l. *vado*, quod nimium abit a literis mutatæ vocis. Equidem putaverim scribendum esse *maris*.

380. *Prælaberetur* omnes vulgatæ. Schradero melius visum *perlaberetur*. Sed forma compositorum cum *præ* tam frequens Avieno est, tamque constanti lectione priscarum editionum servatur, ut putem talia usui et stylo Avieni transcribenda, et verecundius mutanda esse. Confer exempla Descr. Orb. v. 678, 685, 688, 1291, et sic supra v. 251: « Quod inquietos Vasconas prælabitur », ubi et alia plura exempla adducuntur in not. Ed.

381. *Gurgitem esse interminum*, uti in Descr. Orb. vs. 74: « Oceanus..... Undique sic unus terras interminus ambit ».

383. *Himilco tradit.* Vid. quæ scripsimus ad v. 117. Eumdem fere locum Himilconis hic exscribere videtur, quem supra versu cit. adtigerat. Himilconem ad extera Europæ noscenda missum, scribit Plin. lib. I, cap. 67.

384. *Æquor illud intulit*, h. e. in æquor illud tulit, ut Symmachus, Epist. II, 22, « pericula maris incidere » dixit, « Asiam incumbit Taurus » Noster, Descr. Orb. v 839. Forte *carinam in æquor illud intulit*, aut *carinis æquor illud impulit*.

385. *Flabra propellentia.* Eadem verba supra usurpavit v. 120.

387. *Quod æthram quod amictu vestiat* Ven. et Pith. *quodam amictu* scribere jubent Pithœus, Barth. Advers. p. 1335, et Abl. IV, 13, et Heinsius. *Pullo amictu* Oddius, *glauco amictu* Anon. in Obs. Misc. vol. I, pag. 387. Præstat Pithœi et Barthii scriptura, ut simplicior, quos etiam sequitur Hudson. Verbo *vestiendi* et *amictus* sæpius eleganter hac in caussa utitur Noster, sibi per omnia multum similis. Descr. Orb. v. 102: « Hic circumfusis vestitur nubibus axis ». Idem, Phæn. vs. 675 in Sagitt. « Tum quoque si piceam spectaris surgere noctem, Informem tetris tellurem ut vestiat alis ». Idem in Prognost. vs. 399:

Caligo, semper nebula condat gurgitem,
Et crassiore nubilum perstet die.
Oceanus iste est, orbis effusi procul
Circumlatrator, iste pontus maximus.
Hic gurges oras ambiens, hic intimi
Salis irrigator, hic parens nostri maris.
Plerosque quippe extrinsecus curvat sinus,
Nostrumque in orbem vis profundi illabitur.

« Sin imum (ita lego) ad montem nebularum crassus amictus Tendatur ».

388. *Caligo se per nubila* Ven. *se per nebula condat* Pith. *sæpe nebula* cod. V. *Caligo per se, nebula condat gurgitem* Barth. in Adv. et Abl. ll. cc. *semper nebula* Heins. et Huds. *semper nubila condant gurgitem* Oddius; sed *nubila* amplecti nolim, quia sequitur *nubilo*. Servo lectionem Hudsoni.

389. *Et crassiorem nubilum perstet die*. Sic Ven. et Pith. *perstet dies* V. *Et crassiore in nubilum perstet die* corrigit Barth. l. c. et in *crassiore* consentit nota Heinsii. *Et crassiorem nubila præstet diem* edidit Huds. *Et crassiorem nubibus præstent diem* voluit Oddius. Ambo longius a prisca scriptura abeunt præter necessitatem, et verbum *præstat* pro re subjecta minus commodum videtur. Ego quam minima mutatione primæ scripturæ lego: *Et crassiore nubilum perstet die*. Ut *adstare supra caput imber* dicitur apud Virg. Æn. III, 194, ita hic *perstat nubilum*, quod perpetuo stat. Et *crassiorem diem* supra v. 233 dixit.

391. *Circumlatratur* Ven. et Pith. *Circumlatrator* Huds. recte, sicut et Heinsius corrigebat. Emendandum puto: *Oceanus iste est, orbis effusi procul Circumlatrator iste, Pontus maximus*. Sic *elatrare* Horatius, *conlatrare* Seneca f. dixit Opit. pag. 38. —Melius distinxit Hudsonus, quem sequor. Noster supra v. 159: « Circumlatratque pontus insulas duas »; et in Descr. Orb. v. 48 eodem verbo utitur de Oceano.

392. *Oras ambigens* Ven. *ambiens* reliquæ.

393. *Intimi Salis*, interni vel mediterranei æquoris, quod dicit v. 149, et *interius mare* v. 554: *irrigator*, qui immittit, inserit terris, vel insinuat mare: vocabulum forte solius Avieni. *Parens nostri maris*, quomodo Noster de Mæotide palude, Descript. Orb. v. 246: « Sola parens Ponto, genetrix hæc sola fluento est ». *Pater Oceanus* vulgatum apud poetas.

394. *Extrinsecus turbat sinus*. Ita omnes edd. sed importunum verbum *turbat*. Voluit certe Avienus dicere, quod Descript. Orb. v. 75: « Oceanus sic cuncta vago complectitur æstu,... Innumerosque sinus cavat illabentibus undis Desuper », h. e. extrinsecus, ut hic, vel ex alto. Igitur exstet hoc loco verbum, quod τῷ *cavat* æquiparetur, hoc est, *curvat*. Atque hoc Schradero jam occurrit, ut lego in ejus schedis.

395. *Vis profundi illabitur*. Sic

Sed nos loquemur maximos tibi quatuor.
Prima hujus ergo in cespitem insinuatio est
Hesperius æstus, atque Atlanticum salum;
Hyrcana rursus unda, Caspium mare;
Salum Indicorum, terga fluctus Persici;
Arabsque gurges sub tepente jam Noto.
Hunc usus olim dixit Oceanum vetus,
Alterque dixit mos Atlanticum mare.
Longo explicatur gurges hujus ambitu,
Producíturque latere prolixe vago.
Plerumque porro tenue tenditur salum,
Ut vix arenas subjacentes occulat.

loquebatur Perieg. v. 20: »Æquore ab Hesperio qua se salis insinuat vis, Terrarumque cavis illabitur».

396. *Maximo tibi* Ven. ex quo recte Pithœus fecit *maximos*: cod. V. *maxime*, nullo usu. Illud adeo firmatur Descript. Orb. vs. 76: »E multis (sinibus) celebri sub nomine tantum Quatuor infuso late sale terga dehiscunt». Hic digreditur auctor a proposito, et in Oceanum externum orbis, atque enarrandos quatuor ejus sinus magnos excurrit.

397. *In cespitem insinuatio*. Eadem supra vs. 82 seq. et Descript. Orb. vs. 397: »eadem insinuatio ponti».

400. *Solo Indicorum terga fluctum Persici*. Sic antiquæ Ven. et Pith. *Salum Indicorum* legebat Heins. et *fluctus Persici* pro *fluctum* reposuit Huds. Utrumque probo. Nam *salum Indicorum* est descriptio *fluctus*, sinus Persici, quemadmodum priore versu *Hyrcanam undam* dixit *Caspium mare*. Et sinum Persicum putabant ad mare Indicum pertinere. Noster, Descript. Orb. v. 67: »Eoum pelagus, freta dicunt Indica pandi, Propter Erythræi tenduntur dorsa profundi, etc.»

405. *Latere prolixe vago*, h. e. Longe producitur et excurrit, ita ut se in multa variaque latera huc illuc flectens, vagari videatur. Fortasse *litore vago* melius legas: quamquam infra v. 455 *latera* similiter usurpavit.

406. *Plerumque porro*. Quæ hic ad versum usque 413 de vadoso limosoque et virgultis impedito salo maris Atlantici, item de belluis innatantibus, narrat auctor, omnia ea supra vs. 117 seqq. iisdem fere verbis et ex eodem, quem hic citat, Himilcone Pœno, memoravit. Quæ sane inanis rerum, aliis quoque in locis observanda, repetitio, molesta lectori, speciem male seduli parumque accurati scriptoris præbet, et vix excusari posset, nisi ejusdem diligentia aliis in rebus utilis et laudanda adpareret.

407. *Arenas subjacentes occulat*. Heinsius ad hunc versum citavit Columellam. Puto eum respexisse ad usum verbi *subjacentes*, et hæc verba Columellæ, lib. IV, 1, 2,

Exsuperat autem gurgitem fucus frequens,
Atque impeditur æstus hic uligine:
Vis belluarum pelagus omne internatat,
Multusque terror ex feris habitat freta.
Hæc olim Himilco Pœnus Oceano super
Spectasse semet et probasse retulit:
Hæc nos, ab imis Punicorum annalibus
Prolata longo tempore, edidimus tibi.
Nunc jam recursus ad priora sit stylo.
Igitur columnæ, ut dixeram, Libystidi
Europæ in agro adversa surgit altera.
Hic Chrysus amnis intrat altum gurgitem:
Ultra citraque quatuor gentes colunt.
Nam sunt feroces hoc Libyphœnices loco;

comparasse: « ut sit inferior tenera subjacens terra ». Sic Noster supra vs. 287 fluvii *subjacentem cespitem* vocat.

408. *Fusus frequens* antiquæ edd. Pro eo recte Hudsonus dedit *fucus frequens*. Vid. v. 123. Minus adridet emendatio Heinsii ad Cat. Dir. v. 55: « Exsuperat autem gurgiti infusus frequens, Atque impeditur æstus hic uligine ». Æstus, qui exsuperet, quique simul impediatur, hæc videntur parum convenire.

409. *Impeditur æstus hic uligine.* Tale est, quod Rutilius scribit, I, 539: « Sed procera suo prætexitur alga profundo... insanas cedendo interligat undas, Nec sinit ex alto grande volumen agi ».

410. *Vis vel varium pelagus.* Sic antiquæ edd. et V. *Vis belluarum* verissime emendat Barth. Adv. p. 1335, et Abl. IV, 13. Adsentit ei Opitius, p. 38, quamvis ipse prius emendaverat *Pecus marinum*, item Heins. ad Cat. Dir. Burmann. ad epigr. de elephante, vol. II Anthol. Lat. p. 438. Quod Hudsonus edidit, *Vis vel ferarum*, hoc vel ideo probari vix potest, quod statim sequitur *feris*. Ad *internatat* conf. v. 129.

414. *Ab imis Punicorum annalibus*, i. e. ultimis et antiquissimis.

417. *Columnæ... Libystidis*, i. e. ejus, quæ in Libya est. Malim autem legere *Libystidi*, quod requirit *adversa*. Altera, inquit, columnæ Libystidi adversa surgit Europæ in agro. Jam tertium, vel quartum adeo, auctor redit ad columnas Herculis.

419. *Chrysus amnis* ignotus aliis scriptoribus, fictus fortasse ex fama, qua Tagus et plures fluvii auriferi extrema in Hispania esse ferebantur, et gentes earum regionum ditissimæ, ut ipse Noster mox adfirmat.

420. *Hoc loci Libyphœnices* vulgatæ: *hoc Libophœnices loci*, *bo* pro *by*. Ven. et Schraderus in sch. conjicit *hoc Libyphœnices loco*.

Sunt Massieni; regna Cilbicena sunt
Feracis agri, et divites Tartessii,
Qui porriguntur in Calacticum sinum.
Hos propter autem mox jugum Barbetium est,
Malachæque flumen, urbe cum cognomine,
Menace priore quæ vocata est sæculo.
Tartessiorum juris illic insula

422. *Regna Selbyssina, sunt* Ven. et Pith. *Cilbicena* emendavit Huds. vid. v. 255 et 303. *Cilbiæna* legit Schrad.

423. *Sunt Feraeis agri et divitis Tartessi* vulgatæ. *Divites* legit Schr. et cætera rectius distinguit ad Descript. Orb. v. 446: «Sunt Massieni, regna Cilbiæna sunt Feracis agri, et divites Tartessii». — *Divites*. Idem epitheton urbi Tartesso tribuit Priscian. Perieg. vs. 335: «quam supra dives et alta Tartessus Cempsique, sedent qui collibus imis Pyrrhenes». En.

425. *Mox jugum Barbetium est.* Est hoc fortasse promontorium Barbarium, quod Strabo, lib. III, p. 151, a promontorio Sacro in altera ora maritima versus Tagum ponit.

426. *Malachæque flumen*. Alios legere *Malaceque flumen* scribit Huds. in quibus est Nonius, qui sic de Malaca, cap. 24, p. 85: Qua mediterraneum mare prospectat Bætica, fecunda urbs est Malaca, hodie vix mutato nomine *Malaga* adpellatur. Primarium fuisse oppidum auctor est Strabo, qui nonnullos credidisse refert, olim *Mænacem* dictam, quibus fidem habuit Avienus. Fluvius vero hic *Malaca*, de quo Poeta, idem est cum Ptolemæi *Saduca*, qui hodierno ævo ab accolis *Guadalquevireio* indigetatur, teste Floriano, lib. I, c. 2.

427. *Mænace priare quæ vocata:* sic Pith. et Huds. *Mæneace prior... vocata est sæculo* Ven. et cod. V. Lego *Minace priori quæ vocata est sæculo.* Oatel. — *Minace* etiam voluit Heins. sed *Menace* scriptum ab Avieno esse, ostendit v. 431, et *Menace* citat Bochartus, qui de utraque urbe sic scribit lib. I. c. 34, p. 683: Sequuntur apud Strabonem *Malaca* et *Mænaca* Phocæorum urbs, quæ Μάκεβα corrupte in Ptolemæo. Has urbes nonnulli confundunt, et promiscue usurpant. In quibus Avienus: *Malacha flumen* rel. Sed hos erroris arguit Strabo, lib. III, p. 156, quia Mænaca longius a Calpe distat, et ejus rudera Græcæ urbis vestigia retinent, ἡ δὲ Μάλακα καὶ πλησίον μᾶλλον, Φοινικικὴ τε τῷ σχήματι, *Malaca autem et propior est, et ad Punicæ formam.* Idem a Calpe Malacam tantum distare adserit, quantum Gades, id est, stadiis DCCL, aut ad summum DCCC. Ut a Strabone Μάλακα, ita Μαλάκη scribitur ab Artemidoro, Marciano et Stephano. Sed a Plinio et Avieno *Malacha* cum spiritu rectius. A Pœnis enim *Malacha* propter salsamenta dicta est, quia *malach* est ταριχεύειν, sale condire. Strabo: ταριχείας δὲ ἔχει μεγάλας, *salsamenta seu cetaria habet plurima.* Hæc Boch. Vid. v. 181.

Antistat urbem, Noctilucæ ab incolis
Sacrata pridem: in insula stagnum quoque
Tutusque portus: oppidum Menace super.
Qua sese ab undis regio dicta subtrahit,
Sisurus alto mons tumet cacumine.
Adsurgit inde vasta cautes, et mare
Intrat profundum: pinus hanc quondam frequens
Ex se vocari sub sono Graio dedit:
Fanumque ad usque Veneris et Veneris jugum
Litus recumbit: porro in isto litore
Stetere crebræ civitates antea,
Phœnixque multus habuit hos pridem locos.

429. *Insula Antistat urbem*, h. e. ante urbem stat; ut in Perieg. v. 840: «Interstatque jugo mediam» (Asiam mons Taurus). Hanc insulam Vossius ad Mel. p. 194, putat a Strabone significari, lib. III, p. 156, ubi de Malaca agens: Ἐμπορεῖον δ' ἐστὶν ἐν τοῖς ἐν τῇ περαίᾳ σκάμμασι, ταριχείας δ' ἔχει μεγάλας. Male vulgo σχίμασι. Ἐμπορεῖον hic est non ipsa Malaca, sed locus mercatus, ut sæpe. Ait itaque emporium Malacitanorum non fuisse in ipsa urbe, sed in opposita insula, in qua portum et navium receptacula sibi effoderant. Insulæ hujus meminit Festus Avienus: *Tartessiorum juris* rel. Hodie insula illa fluctibus obruta est, vestigia tamen supersunt molium in profundo jactarum, quas nautæ summo studio evitant. Hæc Voss.—*Noctilucæ*, i. e. Lunæ. *Crescentem face Noctilucam* dicit Horat. Carm. IV, 6, 38. An ipsam illam Lunæ insulam indicat, cujus supra v. 367 mentionem fecit?

431. *Totusque*. *Tutusque* Heins. sic v. 521: «Nam pandit illic tuta portus brachia». Supra vs. 64: «Sinuentque late ut tuta portus brachia». BURM. Pithœanæ antiquæ cum Ven. perperam legunt et distinguunt *Totusque portus oppidum, Minace super*. — *Tutus* et *totus* sic sæpe confundi docent notæ Brouckusii ad Propert. III, 9, 72, et Drakenb. ad Sil. X, 312. Et Valer. Flacc. VI, 159 *tutum* restituit Gronovius: «tuto veniens Latonia cælo», pro *toto*. Idem alio loco *tutum æquor, tutum mare* binis in locis eidem Valerio reddidit. Heins. ad Ovid. Ep. IX, vs. 15: «tibi se tuta æquora debent», non *tota*. ED.

433. *Sisurus* Pith. et Huds. *Silurus* Ven. et V. Videtur mons ille intelligendus, quem supra v. 308 *Tartessiorum montem* vocavit.

436. *Vocari sub sono Graio dedit*. Fortasse Πιτυοῦς, vel Πιτυών dictus est mons ille.

437. *Ac Ven. j.* Cf. v. 318, ubi de eadem regione sermo esse videtur.

440. *Phœnixque multòs habuit* edidit Huds. sed rectius Ven. et Pithœanæ *Phœnixque multus*, quod servandum est.

Inhospitales nunc arenas porrigit
Deserta tellus, orba cultorum sola
Squalent jacentque. Veneris ab dicto jugo
Spectatur Herma cespitis Libyci procul,
Quod ante dixi: litus hic rursum patet,
Vacuum incolarum nunc, et abjecti soli.
Porro ante et urbes hic stetere plurimæ,
Populique multi concelebrarunt locos.
Nam patulus inde portus [*oppidum prope*]
Se Massienum curvat alto ab æquore,
Sinuque in imo surgit altis mœnibus
Urbs Massiena: post jugum Traete eminet,
Brevisque juxta Strongyle stat insula.
Dehinc in hujus insulæ confiniis
Immensa tergum latera diffundit palus.
Theodorus illic (nec stupori sit tibi,
Quod in feroci barbaroque sat loco

442. *Orba cultorum sola Squalent*, ut in Perieg. vs. 306: « nunc lati jugera campi Et grege nuda jacent, et sunt cultoribus orba ».

443. *Veneris abdito jugo* Ven. et reliquæ. Hudsonus conjicit: An *edito*, vel *ab dicto?* Posterius verum est. Sic enim sæpius Noster, ut vs. 209: « perque prædicti sinus Crassum liquorem, etc. » v. 222: « hinc dictum ad amnem »; v. 266: « Dicloque ab amne ».

446. *Abjecti soli*, i. e. neglecti, derelicti, quod, ut ante v. 443 dixerat, « orbum cultorum squalet jacetque ». Sic Perieg. v. 1388; « terga pererrant Cespitis abjecti ».

449. *Nam natius inde portus * op* pe:* sic Ven. et Pith. corrupte. *Natius* V. *Nam natus* in edit. Madr. verum in hisce verbis nomen portus latere suspicor; et deinde legendum esse *oppidum perit*. Huds. —Sed hæc verba respuit connexio versus sequentis, neque ipsa sententia pati videtur. Equidem probabili ratione sic excitandum e ruinis versum arbitror: « Nam patulus inde (vel, si mavis, navium inde) portus oppidum prope Se Massienum curvat alto ab æquore ». *Patulum portum* habes v. 200.

452. *Surgit altis mœnibus Urbs Massiena: post jugum*, etc. Sic recte distinxit Hudsonus. Ante legebatur « surgit altis mœnibus. Urbs Massiena post jugum, etc. » Confer vs. 422.

455. *Latera diffundit palus. Theodorus illic:* sic recte Hudsonus. Perperam distinguunt antiquæ: « latera diffundit palus Theodorus illic: nec stupori sit, etc. »

457. *Stat loco* Ven. et Pith. re-

Cognomen hujus Græciæ accipis sono)
Prorepit amnis: ista Phœnices prius
Loca incolebant: rursus hinc se litoris
Fundunt arenæ, et litus hoc tres insulæ
Cinxere late: hic terminus quondam stetit
Tartessiorum; hic Herna civitas fuit.
Gymnetes istos gens locos insederant;
Nunc destitutus, et diu incolis carens
Sibi sonorus Alebus amnis effluit.
  Post hæc per undas insula est Gymnesia,
Populo incolarum quæ vetus nomen dedit,
Usque ad Sicani præfluentis alveum.

ctius Hudsonus *barbaroque sat loco.* Ego fere malim *solo.*

463. *Hic Herna civitas fuit.* An ea, quæ supra *Herbi civitas* v. 244.

464. *Gymnetes istos gens.* Non puto singularem gentem Gymnetum in continenti Hispaniæ degisse, sed quia Græci nonnulli scriptores gymnetas dici scripserunt funditores ex insulis Balearicis, Hispaniæ adjacentibus, qui Phœnicio vocabulo Baleares sunt, ut tradit Strabo, lib. XIV, p. 654, hinc alii ex eo nomine gentem singularem fecerunt: quos legit, nec recte intellexit Avienus.

466. *Sibi sonorus Alebus.* Etiam hic fluvius non memoratus aliis. Sed eleganter admodum *sibi sonorus* dicitur, qui per deserta et vacua incolarum decurrens incassum strepit, et nulli auditur; quemadmodum proverbio *sibi intus canere* (Cic. orat. in Rull. cap. 26), qui suis tantum delectantur bonis, nihil aliis commodant; quasi qui cithara canentes soli hac voluptate frui volunt, et ne ab aliis audiantur, tecte atque intus manu sinistra chordas tangunt; quomodo canentem exhibuit statua Aspendii citharistæ, de qua Cic. in Verrem, I, cap. 20. — Forte non tantæ elegantiæ laus Avieno tribuenda, et hic pro *Sibi* legendum *Ibi.* Ed.

467. *Insula est Gymnesia.* Hanc insulam, a Gymnesiis sive Balearicis distinctam solus memorat Avienus; et puto nunquam eam exstitisse, frustraque me fuisse, qui olim ejus situm explorare voluerim in Antiq. Balear. pag. 14. Avieno hic evenisse, quod in aliis multis, suspicor, ut Gymnesias legens, a Græcis Balearides nominari, diversarum insularum hæc nomina crederet. Idem quidem in Descr. Orbis, v. 620, Gymnesiam singulari numero nominat, fortasse metri caussa, quod pluralem respuebat, non tamen, ut hic, distinguit a Balearicis.

469. *Ad usque cani præfluentis.* *Usque ad Sicani* patruus meus ad Valer. Flacc. II, 620, p. 227, b. Burm. — Sic Burmanno videtur legi posse ex situ insularum Balearidum, ut fluvius *Sicanus*, qui et

Pityusæ et inde proferunt sese insulæ,
Balearium ac late insularum dorsa sunt.
Et contra Iberi in usque Pyrenæ jugum
Jus protulere, propter interius mare
Late locati: prima eorum civitas
Idera surgit: litus extendit dehinc

Sicoris dicitur, intelligatur. Sed mihi Balearidum situs non is esse videtur, ut ex eo fluvius Sicaous colligi possit, qui in Ceretanis non procul a Pyrenæis oritur. Et quum post Gymnesiam Pityusæ, post has demum Baleares nomioentur, adparet, *populum incolarum*, de quibus loquitur Avieous, in ulteriore Hispania potius, quam in regione Sicoris fluvii, locandum esse. Vossios tamen ad Mel. p. 190, Sicanum fluvium non Sicorim, sed Sucronem vult esse, quæ sententia lectionem Burmanoianam magis defeoderit. Quippe Mela, II, 7, Ebusum, vel Pityusam, quæ hic mox recensetur, e regione promontorii, quod in Sucronensi siou Ferrariam vocaot, esse dicit, adeoque eumdem situm, qui Sicani, vel Sucronis fluvii est, notat. *Profluentis* legi voluit Oddius. Sed æque obscurum est, qoodnam hic *profluens* dicatur.

470. *Proferunt sese insulæ.* Possis *proserunt.* Schrad. ad Descr. Orb. v. 691. Firmari et hoc potest versu ejusdem 702: « Cererique Thasos dilecta profundo Proserit albenti se vertice ».

471. *Balearicarum late:* sic aotiquæ. *Balearium ac late* Huds. recte. Opitius, pag. 38, *Balearidum* legit, quod idem est. Oddius tamen sic corrigendnm duxit: « Pityusæ et inde proferunt sese insolæ, Balearium late insularum dorsa suut ».

472. *Et contra. E contra Iberi* Is. Vossius ad Mel. pag. 189, non est Latinum: forte *Quæ contra.* Harls. — Ego malim vulgatum retinere.

474. *Propter interius mare Late locati. Locuti* Ven. Sciendum est, Poetam hunc in descriptione Oræ marit. seqoi tantum vetustiores Græcos, ut ipse fatetur; illi auteoi Iberos et Iberiam non pro tota Hispania accipiebaot, sed pro parte ejus litorali, qoæ a columnis Herculis usque ad Iberum flomeu exteoditur. Voss. ad Mel. p. 189.

475. *Prima eorum eivitas Ilerda surgit:* sic aotiquæ. *Idera* vult Vossius. Iberorum, inquit, duss ad Sucronem recenset orbes poeta, quæ vetustis Græculis notæ foerint, Hemeroscopium et Ideram. Idera est, quam Deram vocat Stephanus: Δηρὰ γῆς Ἰβηρίας, ἧς ὁ Σικανὸς ποταμός. In iounumeris enim vocabulis, in hac præsertim Hispania, modo additur, modo demitor tertia illis vocalis, quod jam sæpe alibi monuimus. Ipse Stephanus alibi Ἴνδαραν vocat ex Theopompo, inserta, ut sæpe, liquida. Ilerda, qoemadmodom vulgo legitnr, locum bic habere non potest. Nam prætérquam quod ea urbs priscis illis Græcis, quos solos sequitur Avienus, fuerit ignota; etiam hoc accedit, quod ea remotissima sit ab ora maritima, et a tractu illo, quem hic describit. Voss. ad Mel. p. 189.

Steriles arenas: Hemeroscopium quoque
Habitata pridem hic civitas: nunc jam solum
Vacuum incolarum languido stagno madet.
Adtollit inde se Sicana civitas,
Propinquo ab amni sic vocata Ibericis.
Neque longe ab hujus fluminis divortio
Præstringit amnis Tyrius oppidum Tyrin.

476. *Hemeroscopium quoque*, etc. Oppidum est *Denia*, priscis temporibus Dianæ fano celeberrimum, a quo *Dianium* vocatum: ad Balearicum mare situm, inter Carthaginem Novam et Sucronem amnem. Strabo, lib. III, ἡμεροσκοπεῖον, id est, *diurnam speculam* dicit vocari. In extremitate habebat Dianæ Ephesiæ templum, frequenti religione cultum, unde et *Artemisium* dictum.— Festus Avienus suo ævo dirutam urbem dicit: « Hemeroscopium quoque, etc. » Nonius Hisp. c. 67, pag. 210. Vid. not. ad vs. 241. Nonii sententiam de Hemeroscopio paullum corrigit Petr. *de Marca*, Marcæ Hisp. II, cap. 5, pag. 117. Sed hæc persequi jam non licet.

479. *Se Sitana civitas*. Ita Ven. et Pith. forte *Sedetana civitas*. Scriv. *Sicana* dedit Hnds. e Vossii sententia, qui sic: A Dianio oram legentibus septentrionem versus occurrit urbs *Sicana* et Sicanus fluvius apud Festum, qui non potest alius esse a Sucrone. Fluminis autem Sicani meminit Stephanus loco superius adlato. Urbis vero Sicanæ alibi facit mentionem. — Qui *Seditana* hic reposuerunt, eos multum fugit ratio. Quæ est enim illa Seditana civitas, quæ dicta sit ab amne Seditano? Nostra autem lectio non solo nititur Stephano, sed et antiquissimis Græcis, Thucydide, Philisto apud Diodorum Sic. aliisque, qui Sicanum fluvium in Iberia recensent, quique inde Sicanos in Siciliam pervenisse contendunt. — Ut vero Sucro et Sicanus ejusdem fluvii est nomen, ita etiam Sucro et Sicana eadem est urbs. Meminit Sucronis oppidi Strabo et Plinius. Creditur ea esse, quæ vulgo *Sueca* adpellatur. Sed omnino est ea, quæ vulgo *Alzira* dicitur. Voss. ad Mel. p. 190. — In eadem sententia est Petrus *de Marca*. Avienus, inquit, ut est verborum obsoletorum et antiquatorum captator, Sucronis civitatis, eique cognominis fluvii, mentionem facit sub nomine Sitanæ civitatis, quemadmodum et Valentiæ, ad Tyrium seu Turium amnem sitæ, sub nomine Tyris oppidi, quod gerebat ante quam illuc colonia deduceretur a Romanis. P. De Marca, lib. II, cap. 7, p. 121.

480. *Ab amni* vulg. *amne* V.

482. *Amnis Tyrius oppidum Tyrin*. Ait Avienus, non longe a divortio Sucronis vel Sicani fluminis esse amnem Tyrium, eumque præstringere oppidum Tyrin. Atque hoc quidem verissimum esse arbitror. Tyrius enim vel Turius fluvius is est, qui vulgo dicitur *Rio de Carlete*. Intrat vero ille Sucronem non longe ab Alzira oppido, de quo mox diximus, ubi divortium facit Sucro. Jam vero quod conjecturam no-

At qua recedit ab salo tellus procul,
Dumosa late terga regio porrigit.
Bebryces illic, gens agrestis et ferox,
Pecorum frequentes inter errabant greges.
Hi lacte semet atque pingui caseo
Prædure alentes proferebant spiritum
Vicem ad ferarum: post Caprasiæ jugum
Procedit alte, ac nuda litorum jacent

stram firmat, est quod hodie quoque oppidulum Tyris, cujus hic meminit Avienus, nomen suum servat, vocaturque *Turis*, estque quasi in ripa situm ejus fluminis, quem *Rio de Carlete* vocari monuimus. Verum est interim, aliud flumen vicinum dictum fuisse Turin vel Turiam, illud nempe, quod Valentiam præterfluit. Hoc *Guadalayar* vulgo nominatur, etc. Voss. l. c. p. 190.

483. *At qua recedit ab salo tellus procul*. Rutil. Numatian. lib. I, 223: « Alsia prælegitur tellus, Pyrgique recedunt ». Opitz. pag. 38. — Non similis et ad illustrandum aptus locus est Rutilii, ab Opitio adlegatus. Rectius hæc compares Nostri, Descr. Orb. vs. 314: « At qua navigero tellus discedit ab æstu »; vs. 325: « at[illegible]uantum terrarum interna recedunt »; v. 370: « Pars quæ cyaneo discedit ab æquore »; item supra Or. Mar. v. 432: « Qua sese ab undis regio dicta subtrahit ».

485. *Berybraces illic* Ven. et Pith. *Bebryces* mutavit Huds. nescio qua auctoritate. Bebryces etsi a nonnullis Hispaniæ adtribuuntur et Iberis, certius tamen a Gallico latere Pyrenæi in Narbonensi ponuntur. Unde et alio loco ab Avieno infra vs. 584 Bebryces memorari putat Cellarius, Orb. Ant. vol. I, p. 221.

486. *Intererrabat* vulgatæ: *intererrabant* mavult Schrad. ad Descript. Orb. v. 513, cui adsentio.

487. *Hic lacte* Ven. melius Pith. et Huds. *Hi*.

488. *Prædure alentes* Ven. Pith. Huds. *Prædura ac lente* V. corruptius. *Prædurum* Heins. vel *Prædave*, quod ultimum præfero. Burm. —Ingeniosum hoc, sed minus rei aptum. Non enim præda vel venatus ad eos pertinere videtur, qui frequentes inter errare greges dicuntur.—*Proferebant spiritum*, i. e. vitam ducebant. Sic Perieg. v. 920, de Massagetis: « Bacchi Semper inexpertes animam traxere ferinam »; et v. 1244: « neque per compendia diras Producunt animas ».—Et vid. Juven. Sat. XV, 93. Ed.

489. *Cabrasiæ jugum* Ven. et V. *Craprasiæ* Pith. et Huds. An forte *Caprariæ* legendum, et intelligenda Capraria insula, quam Plinius, III, 5, a Baleari majori XII M. pass. in altum abesse scribit; aut saltem promontorium ejus regionis sic nominavit, quia accolæ multos caprarum greges alebant, illi ipsi forte, quos supra v. 218 descripsit.

490. *Nuda litorum*. Sic. vs. 160: « Tenue locorum » dixit. Ed.

Ad usque cassæ Chersonesi terminos.
Palus per illa Naccararum extenditur ;
Hoc nomen isti nam paludi mos dedit :
Stagnique medio parva surgit insula
Ferax olivi, et hinc Minervæ stat sacra.
Fuere propter civitates plurimæ:
Quippe hic Hylactes, Hystra, Sarna, et nobiles
Tyrichæ stetere: nomen oppido vetus,

491. *Cassæ Chersonesi terminos. Herronesi* Ven. et V. *cascæ* conjecit Heins. quemadmodum et v. 589 legendum. Sed hoc loco *cassæ* rectum videtur. Et Chersonesum hic dicit, quam supra v. 153, Ophiusam Peloponeso similem, adeoque peninsulam. Quam quia supra memoravit *vacuam glebam* esse, quod *multa serpens effugaverit incolas*, hinc intelligitur, cur hic *cassam* vocaverit. Nam eodem sensu in Perieg. v. 72, *sterilis regionis cassas arenas* dixit. Strabo quoque lib. III, p. 159, in eadem ora maritima Hispaniæ, a Sagunto versus Iberum, urbem Chersonesum collocat. Latius hæc deduxi olim in Antiqq. Balear. c. I, § 5, p. 18.

492. *Palus per illa Naccararum:* sic priscæ edd. nomen ignotum.

493. Veneta ed. hiatum habet: *Hoc nomen isti nam pal — osdedit.* Quem satis bene expleverunt Pith. et Huds. *nam paludi mos dedit: bos dedit* V. inepte, cujus scriba fortasse in voce *Naccararum* inveniebat *vaccarum*.

495. *Et hinc Minervæ sat sacra.* Sic omnes edd. Quamquam vero solennis Avieno usus est particulæ *sat* vel *satis* adjectivis additæ (vid. v. 31 et 457), hoc tamen loco ea minus commoda videtur; et adsensu digna est emendatio, quam Opit. p. 38, cum eoque Heinsius, adferunt, *stat sacra.* Burmannus hoc amplius confirmat versibus 513 et 560. Add. Descript. Orb. v. 1017: « stat Corycus alta, Stat Perge propter ». Et sic apud Melam, I, 8, 14, Vossius legit: « Proximis nullæ quidem urbes stant ». Item simillime Noster infra v. 579: « Tres namque in illo maximæ stant insulæ ».

497. *Quippe hic Hylactes*, etc. Indicta aliis Geographis nomina, de quorum genuina scriptura dubitare possis.

498. *Nobiles Tyrichæ stetere.* Forsan sic: *Tyrichæ: dedere nomen oppido vetus;* ni malis *Tarichæ: dedere*, etc. Huds.—Sed *stetere* non delendum, nec eripiendum Avieno est, qui eo verbo semper utitur, ubi de urbibus olim deletis loquitur. Vid. vs. 439, 447, 513, 527, 560. Et *dedere* ad sequentia verba tractum alienum sensum inducit. Cæterum *Tyrichæ* fortasse ex male intellecto, vel indocto scriptore huc translatæ, et per errorem sic scriptæ pro *Tarichiæ*, quæ sunt insulæ contra Carthaginis sinum, ad oram Africæ, apud Mel. II, 7, 45, Strabonem, XVII, p. 834, et Scylacem. Avieno hoc loco sermo est de eo tractu litorali Hispaniæ, ubi Car-

Gazæ incolarum maxime memorabiles
Per orbis oras : namque præter cespitis
Fecunditatem, qua pecus, qua palmitem,
Qua dona flavæ Cereris educat solum,
Peregrina Ibero subvehuntur flumine.
Juxta superbum mons Sacer caput exserit,

thago Nova. Et qui forte Tarichiam ad Carthaginem Africæ legerat, hic male referebat ad Carthaginem Hispaniæ. Certe *Tarichæ* sive urbs, sive insula, nomen Græcum a Ταριχείας, salinis vel cetariis, habere potuit, quæ Romanis *Salaria*, qualis a Ptolemæo in Oretanis inter Tagum et Anam, supra Castulonem ponitur, a Plinio, lib. III, cap. 3, in Carthaginiensi conventu.

499. Veneta prima hic scribit *Gaiæ incolarum*. Pithœus inde expressit *Graiæ incolarum*. Hudsonus *Graii incolarum*. Hinc Oddius refinxit *Graii incolæ; atque hi maxime memorabiles*. Sed parum vidisse et male usi prisca scriptura videntur editores, qui e primæ edit. voce *Graiæ* Graios effecerunt. Aliud docere poterant verba sequentia. Nam si *Graii incolæ* maxime memorabiles per orbis oras dicuntur, quid ad rem eam probandam pertinet, quod in sequentibus fecunditas ejus terræ omnigena pariter, ac subvectio peregrinarum mercium laudatur? Ergo scribendum erat duce Veneta « Gazæ incolarum maxime memorabiles ». Nam hæ sunt, quæ partim propriis terræ opibus, partim peregrinis extra adfluentibus et Ibero flumine subvectis, constant. Sed quo minus hac de emendatione dubites, vide sis Avienum eodem vocabulo Persarum opulentiam exprimere, Descript. Orb. v. 1256 : « Vita opulens genti, gazas quoque terra ministrat Omnibus, et largum populis producitur ævum ».

503. *Ibero subvehuntur flumine*. Veneta *subeuntur*, mendose. Navigabilem Iberum et commerciis frequentatum testatur Plinius, III, 3 : « Iberus amnis, inquit, navigabili commercio dives, ortus in Cantabris haud procul oppido Juliobrica 450 millia passuum fluens, navium per 260 millia passuum a Varia oppido capax ». Hoc commercium per Iberum maxime ad Dertosam urbem, illi adjacentem, pertinuisse docet Petrus *de Marca*, Marc. Hisp. II, 8 : unde in ejus nummis expressa navis cum remis. Ilercaonum regio, cujus Dertosa caput, ea maxime est, cujus opes hoc loco laudat Avienus. Cujus etiam aliæ urbes opulentissimæ prædicantur a scriptoribus, ut Tarraco a Pomp. Mela, lib. II, cap. 6, 40, et Ibera urbs a propinquo flumine adpellata, apud Liv. XXIII, 28, et infra v. 520 : « Barcinorum amœna sedes ditium ».

504. *Mons acer caput exserit* Ven. et Pith. *mons Sacer* Hudsonus exhibet probabiliter, quamquam de Sacro promontorio hic non cogitandum, de quo similibus verbis utebatur Noster vs. 322 : « Sacrum superbas erigit cautes jugum ». Fortasse hoc loco *mons Jovis* intelligendus, quem describit Mela, et post

Oleumque flumen proxuma agrorum secans
Geminos jugorum vertices interfluit.
Mox quippe Sellus (nomen hoc monti est vetus)
Ad usque celsa nubium subducitur.
Adstabat istum civitas Lebedontia
Priore sæclo, nunc ager vacuus lare
Lustra et ferarum sustinet cubilia.
  Post hæc arenæ plurimo tractu jacent,
Per quas Salauris oppidum quondam stetit,
In queis et olim prisca Callipolis fuit,
Callipolis illa [*quæ per altam*] mœnium
Proceritatem et celsa per fastigia
Subibat auras, quæ laris vasti ambitu

Rhodam et Emporias urbes memorat, lib. II, 6, 34: « Tum mons Jovis, cujus partem occidenti adversam eminentia cantium, quæ inter exigua spatia ut gradus subinde consurgunt, Scalas Hannibalis adpellant ».

505. *Oleumque flumen*, indictum et ignotum aliis. Mela post verba ante prolata parva flumina nominat, *Bætulonem* juxta Jovis montem, et *Tolobin* sive *Telobin*, ad Barcinonem, ex quorum alterutro nomine fortasse illud corruptum.

506. *Geminos jugorum vertices*, nempe montis Sacri et Selli, quem statim nominat. Et Sellus hic inter ignotos.

507. *Nomen huic monti* voluit Oddius.

508. *Ad usque celsa nubium subducitur.* Hic versus recurrit infra v. 640.

509. *Adstabat istum*, ut vs. 527: « Hic adstitisse civitatem » rel. et Descript. Orb. v. 376: « Templa Sinopæi Jovis adstant ». *Adstabat isthic* posuit Oddius.

513. *Per quas Salauri oppidum* Ven. et Pith. *Salauris* Hudsonus posuit, ne claudicet versus. Ita et Burmannus legendum censuit.

514. *Prisca Callipolis.* Forsan eadem urbs, quæ aliis Agathopolis. Huds. — Hanc Agathopolin, nescio unde habeat Huds.

515. In prima edit. hic versus ingenti lacuna laborat: *Callipolis ill —— menium. Callipolis illa* V. Opitius, p. 38 reponendum putat: « Callipo...illa, quæ per altam mœnium Proceritatem ». Ortelius supplebat: « Callipolis illa nobilis per mœnium Proceritatem ». Heinsius: « Callipolis illic adtollebat mœnium ». Hudsonus: « Callipolis illustris quæ olim per mœnium », quem peccare contra metrum putat Schr. Præf. ad Emend. p. 32. Mihi placet Opitii emendatio. Conf. Descr. Orb. vs. 1025 seq.

516. *Per fastigia* Ven. et Pith. *vestigia* per errorem scripsit Huds.

517. *Quæ laris vasti ambitu.* Opitius, p. 39, legi vult *maris vasti*, sed errat. Nam Aviennus vult urbem

Latere ex utroque piscium semper ferax
Stagnum premebat: inde Tarraco oppidum
Et Barcinonum amœna sedes ditium.
Nam pandit illic tuta portus brachia,
Uvetque semper dulcibus tellus aquis.
Post Indigetes asperi se proferunt:
Gens ista dura, gens ferox venatibus,
Lustrisque inhærens: tum jugum Celebandicum

Callipolin ædificiis suis stagnum inclusum ambiisse. Et usitatum est Avieno *larem*, singulari adeo numero, domos et tecta urbium, quin totas urbes vocare. Infra vs. 700: « Stagnum ambit urbem, et unda lambit oppidum Laremque fusa ». Descript. Orb. v. 368: « Thebæ quæ mœnibus altis Præcinxere larem ». Ibid. v. 495, de Tibri: « Romanosque lares lapsu prælambit alumno »; et vs. 1072: « Byblos, Sidoniique lares ». Pro *vasti ambitu* Oddius mavult *vasto*, quod tamen recipere nolim, quia Noster et *angusti laris* civitatem dicit v. 610.

519. *Stagnum imprimebat* Ven. et Pith. quod vix admitti posse videtur, licet Noster et verbo *incubare* sic usus sit, Descr. Orb. vs. 529: « Tergestumque debinc curvi salis incubat oram ». Heinsius tentabat *imminebat*. Sed hoc admisso scribendum auctori erat *piscium feraci stagno imminebat*, quod metrum respuit. Igitur salubrior lectio est, quam dedit Huds. *Stagnum premebat.* Premere dicuntur, quæ imminent, instant, incumbunt, urgent. Rutil. I, 315: « Tenditur in medias mons Argentarius undas, Ancipitique jugo cærula curva premit ».

520. *Et Barcilonum* vulgatæ. *Barcinonum* volebat Heins. Et sic scribitur in libris et monumentis antiquis. Petrus *de Marca*, II, 14, 5, Barcinonem hoc loco commendari ait a situs amœnitate, a divitiis, a fontium scaturiginibus, et a portu. Paullino in Epistol. ad Ausonium, vs. 131, pariter dicitur « Barcinus amœna ».

521. *Tuta portus brachia.* Barthius, Adv. p. 1549, adnotat *brachia* esse flexiones et curvaturas portuum. Nos de ejus vocis usu egimus ad Rutil. I, v. 535.

522. *Uvetque semper* est in vulgatis. *Viretque semper* citat Petr. *de Marca* l. c. fortasse memoria lapsus. Cbr. Daumius de caus. am. Ling. Lat. rad. c. 18: *Uvere* ap. Festum Avienum in Ora mar. v. 522 solum exstat. Apud Sil. Ital. lib. VII, 650, est participium: « Uventi ferrum admovit tepefacta palato »; ut et apud Avien. Arat. v. 1782. *Jugibus aquis* tentabat Heins. pro *dulcibus*, sed vulgata præstat.

523. *Indigetes* Straboni Ἰνδικῆται, populus Hisp. Tarrac. post Laletanos, a Rubricato fl. ad Pyrenæos.

525. *Tum jugum Celebandicum.* Petrus *de Marca*, Marcæ Hisp. II, 15, 11, hoc jugum Celebandicum de promontorio Lunario intelligendum putat, quod Laletanis tribuit Ptolemæus. Quod quum, inquit, a

In usque salsam dorsa porrigit Thetim.
Hic adstitisse civitatem Cypselam,
Jam fama tantum est: nulla nam vestigia
Prioris urbis asperum servat solum.
Dehiscit illic maximo portus sinu,
Cavumque late cespitem inrepit salum;
Post quæ recumbit litus Indigeticum
Pyrenæ ad usque prominentis verticem.
Post litus illud, quod jacere diximus
Tractu supino, se Malodes exserit

figura angescentis lunæ dictum sit, in nullum alium hujus oræ tractum cadere potest, quam in eum, qui interceptus est a Capite *de Tossa*, quod vocant, usque ad Caput *de Palafrugel*. Ibi duobus velnti cornibus promontorium subit in altum, recepto in terras modico sinu, quem clarum faciunt hinc portus sancti Felicis Guixalensis, illinc portus Palamosii, quos partes promontorii prominentes cingunt in modum lunæ curvatæ.—Quod autem Ptolemæus promontorium Lunarium tribuit Laletanis, Avienus vero Indigetibus, nullam habet difficultatem, si locorum et situs ratio habeatur. Alterum quippe cornu promontorii, quod Tossa vocatur, pertinet ad Laletanos, alterum vero, nempe Palafrugellum, ad Indigetes. Hæc Petr. Marcanus.

527. *Civitatem Cypselam*. Conjici facile potest, tum ex situ, tum ex vocum similitudine, Cypselam esse Iecsalim, seu potius ruinis Cypselæ superpositam esse Iecsalim, cui deinde sancti Felicis nomen inditum, quod eo loco passus et in mare dicatur projectus Felix martyr Gerundensis. Unde oppidum, quod ad portus non illandabilis marginem conditum est, hodie, ut ante dixi, vocatur *san Feliu de Guixols*. P. Marc. l. c.

528. *Nulla jam vestigia*; sic edidit Huds. Mihi videtur legendum *nam vestigia*: ut in Arateis: « Seu tu Diva Ceres, sic nam tibi flagrat arista »; et 98: « inscia nervi, Inscia nam domini est ». Auct. anon. in Misc. Obs. vol. I, p. 388. — Sed supersedere hac adnotatione poterat, quisquis est, vir doctus, quia *nam vestigia* jam clare exhibuerunt Veneta et Pithœanæ edd. et Hudsonus, sine dubio inscius et imprudens, *jam vestigia* scripsit.

530. *Dehiscit illic*; ut in Descript. Orb. vs. 77: « Quatuor infuso late sale terga dehiscunt »; et infra v. 583.

531. *Cavum cespitem* dicit, quem mare intrat: contra Descript. Orb. vs. 680: « Pamphylia cavat æstum aquæ ». Ed.

532. *Indigeticum* Pith. et Huds. *indiceticum* V. et Ven.

535. *Se Malodes exserit*. Hoc nomine montem Jovis, cujus ad v. 504 mentionem fecimus, vocare Avienum putat Petr. *de Marca*, II, 18, 5, p. 174.

Mons, inter undas [*qua*] tument sco[*puli duo*]
Geminusque ver[*tex celsa nubium petit.*]
Hos inter autem portus effuse jacet,
Nullisque flabris æquor est obnoxium:
Sic omne late, prælocatis rupibus,
Latus ambiere cautium cacumina,
Interque saxa immobilis gurges latet,
Quiescit æqûor, pelagus inclusum stupet.

536. *Mons, inter undas*, etc. Ita distinxi. Antea *Mons inter*, etc. Huds. — Et puto recte distinxisse Hudsonum. In antiqua Veneta sequentibusque hiatus est dnobns in versibus: *Mons, inter undas..... tument sco* Geminusque ver** ..... Hæc ego sic supplenda arbitror: *Mons, inter undas qua tument scopuli duo, Geminusque vertex celsa nubiun petit.* Petrus *de Marca*, loco paullo ante citato, hic sermonem esse putat de scopulis, qui contra Emporias siti in mari hodie vocantur *las Medas*. Eminent, inquit, e maris fluctibus III M. P. ab Emporiis dnæ horridæ cantes, et tertia his duabus longe minor, in obelisci formam fastigiatæ, ad quarum latera tuta est fidaque navibus et triremibus statio. — Geminos istos scopulos et tntam, quam præbent navibus, stationem ad radices montis Jovis, quem Malodem vocat, descripsit Festus Avienus his versibns, quos alicubi mntilos esse dolemus *Post litus illud*, etc. Hæc Petr. Marc.

538. *Hos inter aut portus* Ven. et Pith. *Hos inter autem* correxit Huds. *effuse jacet*, i. e. extensus est, nt v. 80: sed habet etiam *jacet* hoc loco significationem tranquillitatis, quemadmodum jacere dicuntur æquora, nullis concitata ventis. Val. Flacc. III, 732: «Flamina conticuere, jacet sine fluctibus æquor». Lucan. V, 434: «Æquora lenta jacent: alto torpore ligatæ Pigrius immotis hæsere paludihns undæ».

540. *Sic omne late*. Particula *sic* poeta noster uti, et subseqnentem sententiam inchoare solet, ubi rationes rei memoratæ adfert. Supra v. 120: «Sic nnlla late flabra propellunt ratem, Sic segnis humor, etc.» et Descript. Orb. v. 204: «sic pectus canduit ira Pellicis, et tanto Divam dolor extulit igni». Porro *prælocatis rupibus*, ut Descript. Orb. v. 616: «Aggere præducto» dixit.

542. *Immobilis gurges latet*. Heinsius conjecit *jacet*, quod non improbandnm, sed hoc modo adfuit v. 538, *et latet* non minus aptnm loco, quia gurges rupibus inclusus et quasi occultatus describitur. Cæterum similia suut, quæ Rutilius, I, 245, de Centnmcellis prædicat: «Interior medias sinus invitatus in ædes Instahilem fixis aera nescit aqnis».

543. *Pelagus inclusum stupet*, quasi coercitum undique et viuctum rupibus, ut qniescere et consistere debeat. Conf. notata ad Rntil. I, 247. Similiter supra v. 121: Sic segnis humor æquoris pigri stupet»; et Descr. Orb. v. 60: «Denique

Stagnum inde Tonon montium in radicibus,
Tononiæque adtollitur rupis jugum,
Per quæ sonorus volvit æquor spumeum
Anystus amnis, et salum fluctu secat.
Hæc propter undas atque salsa sunt freta:
At quidquid agri cedit alto a gurgite,
Ceretes omne, et Acroceretes prius

quam lento stupeat plaga salsa profundo». Conf. Lucil. Ætn. 339.

544. *Stagnum inde Toni* Ven. et Pith. *Tononi* conj. Pith. *Tonon* edidit Huds. Petrus *de Marca*, II, 18, 11, p. 178, *Toni* citat, et talem hujus stagni descriptionem tradit: Tichis est fluvius, qui Muga hodie dicitur, Sambuca in veteribus actis, quique industria accolarum deductus ex vetere alveo hodie influit in stagnum Rhodæ proximum, et mox in mare se immittit, alveo suo piscibus e mari in stagnum præbens aditum. Etenim hic est stagnum, quod ab oppido proximo Castilionense vulgo vocant, decem millibus passuum in orbem patens, cygnis seu oloribus ibi perpetuam moram. facientibus insigue, quibus junci palustris copia ad margines secessum et nidificandi occasionem præbet. Stagnum illud Festus Avienus Tonum vocat: *Stagnum inde Toni montium in radicibus*, etc. Rupes Tononita dicitur mons Rhodensis. Anystus vero amnis est ipse Sambuca, sive Tichis. Hæc Petr. Marcanus.

545 *Tononitæque* Ven. et Pith. *Tononiæque* Hudson. et sic voluit Heins.

547. *Anystus amni* Ven. *Anystus amnis* Pith. et Huds. *Amystus* V. Vid. not. ad v. 544.

548. *Hæc propter undas* vulgatæ. *Has propter undas* V. sed vulgatum rectius.

550. *Cæretes omne et Aucoceretes prius* Ven. et Pith. *Ceretes omne et Acroceretes* Huds. Aliis Geographis vocantur Ceretani sive Cerretani. Plinius, lib. III, cap. 3: «Post eos (Laletanos et Indigetes), quo dicetur ordine, intus recedentes radice Pyrenæi, Ausetani, Lacetani, perque Pyrenæum Cerretani: dein Vascones». Ibidem in Tarraconensi conventu, illorum duo genera facit. *Cerretani*, inquit, *qui Juliani cognominantur, et qui Augustani.* Juliani ab ortu *Julia Libyca* (vel potius Livia) quam solam Ptolemæus in suis Cerretanis memoravit. An vero Augustani pariter ab urbe *Augusta* nominantur? Ita censet Harduinus; sed quænam illa fuerit, non exponit. Hæc Cellar. Orb. Ant. vol. I, p. 153.—Amplius de Ceretanorum situ agit Petrus Marc. lib. I, c. 12. E quo hæc subjiciemus ad præsentem locum pertinentia, § V: Festus Avienus a litore Indigetum sive Emporitanorum recedentes in interiora populos vocari ait Ceretes: *At quidquid agri cedit*, etc. Ejus tamen testimonium non adeo urgendum est, cum antiquata gentium nomina usurpare soleat, eaque omittere, quæ tum in usu erant, cum ipse describeret librum suum. Deinde ex Ceretibus istis et Auco-

Habuere duri : nunc pari sub nomine
Gens est Iberûm. Sordus inde denique
Populus agebat inter avios locos;
Ac pertinentes usque ad interius mare
Inter ferarum lustra duceba[*nt diem*]

ceretibus compactam ait gentem unam Iberûm, sive Hispanorum : quorum portionem Ceretanos esse, quibus nomen generale adhæserit, si quis velit contendere, vix poterit illi contrarium suaderi. Para. Marc.

552. *Gens est Iberûm; f. Celtiberûm.* Buam.—*Cordus inde denique.* Sic Ven. et Pith. *Sordus* correxit Huds. Hunc populum spectare videntur verba Melæ, lib. II, cap. 5, 73 : « Inde est ora Sordonum, et parva flumina Telis et Ticbis; ubi adcrevere, persæva ». Ad hæc Vossius: *Sordonum* scripsimus. Sic quoque habent vetera Plinii exemplaria. Isti vero Sordones adpellabantur etiam Sordi. Sic illos vocat Avienus in Ora mar. qui Ceretibus et Acroceretibus subjungit : *Sordus inde denique*, etc. Sed et flumen quoque Sordus dicebatur, quod influebat in paludem Sordiceu, Σορδικὴν, uti testatur idem Avienus: *Stagnum hic palusque*, etc. Huic paludi adsitam regionem, Sordicenam glebam vocat Avienus. Voss. ad Mel. p. 182.

553. *Populus agebat.* Quinque hi sequentes versus ad 557 usque, misere corrupti et depravati, immo partim luxati et loco suo moti in vulgatis exstant. Nos eo ordine concentuque verborum omnes posuimus, prout eos Jo. Schraderus, Obs. lib. I, p. 81 seq. longe doctissima accuratissimaque castigatione emendatos et concinnatos dedit. In singulis quomodo vulgatæ habeant, et quomodo vel Is. Vossius, vel Jo. Hudsonus corrigere tentaverint, adnotabimus, post Schraderi castigationes subjungemus.

554. *Ac pertinentes usque ad interius mare.* Editores hunc versum ob pluralem *pertinentes* ad *avios locos* relatum, cum præcedente versu conjunxerunt, quod quidem sensu non impedito fit; sic tamen constructio, quæ a verbis *Sordus populus agebat* incipit, et ad vs. 557 producenda est, interjectis tribus versibus nimium suspenditur, ac ne sic quidem principium et finis, *populus agebat* et *gurgitem ponti premit* recte conveniunt. Rectius emendatio Schraderi *Ac pertinentes* cum sequentibus conjungit, eosque intelligit de Sordo populo. *Pertinere* autem de gentibus frequentatur. Inscriptio vetus a Plinio servata Hist. Nat. III, 24, p. 177 : « Gentes Alpioæ omnes, quæ a mari supero ad inferum pertinebant ». Pomp. Mela, III, 1, 105 : « Varduli, una gens, hinc ad Pyrenæi jugi promontorium pertinens, claudit Hispanias ». Schr.

555. *Inter ferarum lustra.* Hunc versum in vulgatis præcedit, quem nunc sequi jussimus, versus *Qua piniferto.* Et fœdam amborum permutationem et trajectionem in vulgaribus factam, mirum est Vossium et Hudsonum non animadvertisse. In prima Ven. et Pith. sic legitur cum lacuna: *Inter ferarum lustra duceba**. Vossius ad Mel. p. 182,

Qua piniferto stat Pyrene vertice,
Et arva late et gurgitem ponti premit.
In Sordiceni cespitis confinio
Quondam Pyrene, civitas ditis laris,

corrigere conatur : « Qua pinifertæ stant Pyrenæ vertices, Inter ferarum lustra ducebat greges », nempe ille *populus Sordus*. Hudsonus autem confidenter edidit : *pinifertæ*, et *Inter ferarum lustra decubantium*. Vellem docuisset, *decubantes* feras eo sensu placuisse bonis latinitatis auctoribus. Equidem *pinifertæ* non improbo, sed nullus dubito, quin lacuna sic explenda sit : *Inter ferarum lustra ducebant diem*. Nam correctio firmatur et probatur vs. 139 : « Et fugax gens hæc quidem Diu inter arcta cautium duxit diem ». Cæterum neminem puto fore, cui displiceat illud « Sordus inde populus agebat, et pertinentes usque ad interius mare diem ducebant » ; sic enim loquutus est Virgilius, Æn. VIII, 146 seq. qui videndus, et Avienus, vs. 282 : « certi laris inscia gens ..... erepunt, etc. » vs. 708, « Gens devota choros agitat, gratique sacrato Ludunt festa die » ; denique versu 1275 : « Ergo et Nysæos discit gens rite recessus, Et stata sollicito deducunt orgia ritu ». Schr. — Eadem emendatio *ducebat diem* placuit Heinsio, et Burmannus præterea versum hujus carminis 665 probandi caussa adposuit : « Genus omne nostrum splendidum ducit diem », ubi tamen phrasis ista alium sensum habet.

556. *Qua piniferæ stant Pyrenæ vertices*. Sic edidit Pith. versu claudicante. Sed *Qua pini fertæ stant* Ven. Emenda *pini fetæ*. Quæ feta illis scilicet : et istud elegantius. Barth. Adv. p. 1335, et Abl. IV, 13. — Lege *pinifertæ*. A *fertus* enim, quo vocabulo usus quoque est Cicero, est *pinifertus*. Voss. — Idem probat Schrad. et recepit Hudson. Heinsius audacius mutavit : *Qua stant Pyrenæ vertices piniferæ*. Amplius versum correxit Schraderus : *Qua piniferto stat Pyrene vertice*, quum propter *premit* sequentis versus, quem huic conjungit, tum quod mons vertice maria premere dicitur, non autem vertices. Quod de Pyrene tradit, ipsa res, et antiqui scriptores firmant, ut P. Mela, II, 6, 1, qui legatur, et Plinius, Hist. Nat. III, 4 : « Pyrenæi montes Hispanias Galliasque disterminant, promontoriis in duo diversa maria projectis ». Schr. — Recte viri docti lectionem *pinifertæ* defendunt : nam simplex *fertus*, licet rarius, Avieno tamen in usu est. Vid. Descr. Orb. v. 1205. W.

557. *Et arva late et gurgitem ponti premit*. Hoc multi poetæ probant ; in his Rutilius, I, 315 : « Tenditur in medias mons Argentarius undas, Ancipitique jugo cærula curva premit ». Seneca, Herc. fur. v. 663, et Phœn. v. 22, et quod præcipuum est, Avienus ipse, Descr. Orb. vs. 1061 : « Libanus premit arduus arva » ; et v. 222 : « cautes tenta premit æquora fronte ». Schr. — Add. supra v. 519.

558. *In Sordiceni cespitis confinio*. Agri Sordiceni nomine significari pagum Ruscinonensem, monet Petr. de Marca, I, 7.

559. *Quondam Pyrenæ latera civitas diti flaris* : sic Ven. corrupto et

Stetisse fertur : hicque Massiliæ incolæ
Negotiorum sæpe versabant vices.
Sed in Pyrenen ab columnis Herculis
Atlanticoque gurgite et confinio
Zephyridis oræ cursus est celeri rati
Septem dierum : post Pyrenæum jugum
Jacent arenæ litoris Cynetici,

abundante versu. *Pyrenæ Latera civitas ditis laris* Pith. Dele vocem *Latera*, quæ irrepsit ex nota in margine adscripta, ut et Ruscinonis nomen. PITH. in Emendd. — *Castellum Latera* memorat Mela, II, cap. 5, in Gallia Narbonensi. Ad eum locum Vossius : Mirum, quomodo ejus castelli Lateræ nomen irrepserit in Rufi Festi Oram mar. idque loco adeo alieno. In Sordicenis enim prope Pyrenæum id collocat : *In Sordiceni cespitis*, etc. Manifeste hoc versu delendum est alterutrum, vel *Pyrene*, vel *Latera*. Sed quum Latera longe ab hoc tractu absit, Pyrenes vero civitatis mentionem fecerint antiquissimi Græci, quos plerumque in hoc scripto sequutus est Avienus, non dubito, quin altera ejecta, hæc retinenda sit. Voss. ad Mel. p. 180. — Et Latera ejecta Hudsonus edidit *Quondam Pyrenæ civitas ditis laris* ; sed rectius puto scribendum *Pyrene, civitas ditis laris*. Schraderus in schedis, quæ apud me sunt, haud infeliciter ad hunc versum conjecit *Quondam Illiberri civitas ditis laris*. Quæ civitas est ultra Pyrenæum in Gallia, *Eliberri* Melæ, *Illiberis* Plinio, Straboni Ἰλυβιῤῥις, quæ urbs antiquitus insignis et dives, postea temporis injuria imminuta est. Vid. Cellar. Orb. Antiq. vol. I, pag. 222. Mela, II, 5, 76 : « vicus Eliberri magnæ quondam urbis, et magnarum opum tenue vestigium » : quæ bene conveniunt cum verbis Avieni. Petrus *de Marca*, I, cap. 10, insititio illo vocabulo *Latera* non offensus legit : *Quondam Pyrenæ* (ad) *latera civitas*, etc. atque inde docet, civitatem eam divitiis adfluentem, quam hic memoret Avienus, fuisse ad latera promontorii Aphrodisii. Sed falsum fuisse summum virum, non est dubium.

561. *Negotiorum sæpe versabant vices*. Elegans phrasis de commerciis mutuis, quorum proprie est *negotiari*. Supra vs. 100 : « Negotiandi cura jugis omnibus ». Et nota sunt Horatii « Cybiratica et Bithyna negotia », Epist. I, 6, 33.

562. *Sed in Pyrenen* Ven. Pith. 1, Huds. sed falso Pith. altera *Pyrenem*.

564. *Zephyris oræ* Ven. et Pith. *Zephyritis oræ* legit Barth. Adv. p. 1335, quem sequitur Huds. sed *Zephyridis* correxit Heins. quod malo, propter vs. 238 : « Zephyridos arcem ».

566. *Arenæ litoris Cynetici*. Videtur intelligi sinus Gallicus. Cynetes et Cyneticum promontorium in extremis Hispaniæ ad Oceanum occiduum vidimus ad vs. 201. Nonnulli Geographi hos Cynetas, sicut et Cempsos ejusdem tractus, ad fines Pyrenæis proximos transtulisse videntur, qui duo extrema Hispaniæ confundebant.

Easque late sulcat amnis Roschinus.
Hoc Sordicenæ, ut diximus, glebæ solum est.
Stagnum hic palusque quippe diffuse patet,
Et incolæ istam Sordicen cognominant;
Præterque vasti gurgitis crepulas aquas
(Nam propter amplum marginis laxæ ambitum,
Ventis tumescit sæpe percellentibus),
Stagno hoc ab ipso Sordus amnis effluit

567. *Sulcat amnis Roschinus.* Ita omnes vulgatæ. *Ruscinus* V. Fluvius ille existimatur, qui aliis Geographis est *Ruscino*. Strabo, lib. IV, p. 126, ubi de Pyrenæi et Gebennæ fluminibus agit: ἐκ μὲν τῆς Πυρήνης, ὅ τε Ῥουσκίνων, καὶ ὁ Ἰλυβίρῥις, πόλιν ἔχων ὁμώνυμον ἑκάτερος αὐτῶν, *E Pyrena fluunt Ruscino et Illiberis, uterque urbem habens cognominem.* Urbs tamen Ruscino celebratior amne. Mela, II, 5: «colonia Ruscino: vicus Eliberri». Plin. III, c. 4: «Ruscino, Latinorum».

569. *Stagnum hic palusque* vulgatæ. *Stagnum hoc paludis* V. quod admitti non potest. Petrus *de Marca*, lib. I, cap. 6, pag. 26, demonstrat e Pomp. Melæ, Strabonis et Athenæi locis, ab Avieno hic indicari stagnum prope Ruscinonem, sive campum, uti Mela, II, 5, describit, minuta arundine gracilique perviridem, stagno subeunte suspensum, et miraculo piscium fossilium memorabilem, quod indigenæ vocant stagnum Leucatæ et Salsurarum. De piscatione istius stagni luculente Strabo, lib. IV, p. 182: Ruscinoni, inquit, stagnum est proximum, et locus aquosus plenus salinarum. Is etiam fossiles habet mugiles. Ubi enim duos aut tres pedes foderis, immisso in aquam limosam tridente, configere licet piscem justæ magnitudinis. Is alitur limo, sicut anguilla.

570. *Istam Sordicen cognominant:* sic Ven. et Hudson. male *Fordicen* scripsit Pith.

571. *Gurgitis crepulas aquas* omnes vulgatæ. Opitius, p. 39, corrigi vult *creperas*, quod et Oddius censet; *tremulas* vel *patulas* Heins. Sed audiendus Christ. Daumius, de caus. am. Ling. Lat. rad. c. 30, pag. 129: *Crepulus* a crepando, legitur apud Avienum, Or. Mar. vs. 571: «Præterque vasti, etc.» Et formatur, ut a *lego legulus*, a *gero gerulus*, a *strido stridulus*. Non tamen probatur clarissimo Germaniæ vati, Opitio, var. lect. cap. 11, pag. 39, ideoque mavult legere *creperas*. Verum quid opus? Ita usus est idem Avienus in Arateis, v. 991: «crepuli succedens stagna profundi». (Grotius hic edidit *creperi*, pag. 106.) Ibid. vs. 325: «Sed crepula ut late vomeret convicia voce». Et ita utrobique legit editio Georgii Vallæ per Victorem Pisanum anno 1488 Venetiis procurata, quam Pithœus maxima ex parte expressit. Utitur eadem voce Sidonius, lib. IV, Epist. 15, et carmine Anacreontico, v. 80, inserto epistolæ 13 libri IX. Hæc Daum.— Si quid mutandum, posset et legi *trepidas* vel *tumidas*. Ed.

573. *Sæpe cellentibus* vitiose ha-

Ru . . . effluentis ostiis
. . . .
Sinuatur alto, et propria per dispendia
Cespes cavatur, repit unda longior,
Molesque multa gurgitis distenditur.
Treis namque in illo maximæ stant insulæ,
Saxisque duris pelagus interfunditur.
Nec longe ab isto cespitis rupti sinus
Alter dehiscit, insulasque quatuor
(At priscus usus dixit has omnes triplas)

bet Ven. *sæpe * calentibus* V. *sæpe percellentibus* Pith. et Hnds.

575. Prima editio cum lacuna hic repræsentat *Ru... effluentis hostiis*, et post eam lineam duorum versuum spatium relinquit, quod implere nemini facile in promptu erit. Mihi residua syllaba *Ru* indicare videtur, hic mentionem factam esse lacus *Rubresi*, vel, ut Plinius vocat, *Rubrensis*, quem bis in regionibus memorant Geographi. Pomp. Mela, lib. II, cap. 5 : « Lacus accipit eum (Ataeem fluvium) Rubresus nomine, spatiosus admodum, sed, qua mare admittit, tenuis aditu ». Hodie *Stagnum Rubinæ* vocant, ut adnotat Vossius.

576. *Propria per dispendia Cespes cavatur*, h. e. per circumflexus et ambages sinuum. Sic in Descript. Orb. vs. 687 : « Multus ubi exesæ sinus est telluris ab alto, Ac latus omne soli procul in dispendia cedit Litoris ».—*Dispendia* contrarium est τῷ *compendia*. Nam viæ ambitus et flexus, eam dispendiosam faciunt. Videtur hæc vox proprie a *dispandendo* derivata. Lucan. VIII, 1 : « Jam super Herculeas fauces, nemorosaque Tempe, Hæmoniæ deserta petens dispendia silvæ ». Ed.

577. *Eripit unda longior* scribit prima Ven. eum eaque Pith. *serpit unda largior* edidit Hnds. *repit* vult Schrad. in sched. *erepit* Heins. sed, *erepit* quia versus non patitur, dubitari potest, *repit* an *serpit* scribendum sit. Utrumque Avieno usitatum est. Descr. Orb. v. 141 : « Alta petunt, rauco penitus repentia fluctu ». Ibid. v. 157 : « Inque Notum late vada ponti cærula serpunt ». Præferam tamen *repit*, quia hoc minus abit a prima scriptura. *Largior* errore, an consulto scripserit Hudsonus, ignoro. Ego *longior* primæ edit. tenendum esse arbitror, quia hoc convenit cum sequente *distenditur*. Conf. etiam v. 531.

578. *Multa gurgitis*. Heinsio placuit *gurgiti*.

581. *Cespitis rupti sinus :* forte melius sit *sinu*. Ad *dehiscit* conferatur vs. 530.

583. *Has omnis piplas* scribit Ven. *Piplas*, quasi hoc nomen sit, Pith. *omnes* volebat Heins. *has omnis triplas* emendavit Hnds. Tot numero insulas hoc in sinu non agnoscunt veteres Geographi. Neque enim Stœchades possunt intelligi. Unam *Blasconem* inter Pyrenæum et Rhodanum memorant, cujus

Ambit profundo: gens Elesycum prius
Loca hæc tenebat, atque Narbo civitas
Erat ferocis maximum regni caput.
Hic salsum in æquor amnis Attagus ruit:

deinceps fit mentio vs. 599. Juvat tamen audire ad hunc locum Petrum Marcanum, lib. I, 8, 8, p. 38: Circa Narbonem sunt aliquot insulæ, velut insula Licci seu Lecci, hodie *Lec*, quæ mari tunditur, ex alio latere stagnis cincta. — Est præterea illic insula Gruissani præcincta stagno, cujus ostia in mare irruunt, faciuntque, quam Græci vocant, Stomalimnam. — Succedit tertia insula Cauchenæ mari et stagno inclusa, quam objectu parvæ molis, coercendæ aquæ Atacis caussa constructæ, peninsulam effecere Narbonenses. Has omnes insulas olim vocatas fuisse Piplas, auctor est Festus Avienus his versibus, quibus comprehendit etiam Leucatam mari et stagno cinctam, ut numerum impleat quatuor insularum. Hæc Petr. Marc.

584. *Gens Elesycum prius:* sic Ven. Pith. Huds. gentem obsoleti nominis esse scribit Petrus Marc. I, 7, 6. Hudsonus conjicit: An *Tholosatum?* Sed hoc nomen pristinum vix esse potuit. Verum Cellarius, lib. II, cap. 2, p. 221, citat *Gensque Bebrycum prius*, nulla emendationis facta mentione, quasi sic in libris repererit. Probabilem tamen lectionem hanc esse docent loca ab eo adducta. Tzetzes Lycophronis scholiastes ad vers. 1305: ἕτεροι Βέβρυκες ἔθνος Γαλατῶν, οἳ καλοῦνται Ναρβωννήσιοι, *Alii Bebryces* (diversi ab Asiaticis in Mysia) *populus Gallorum sunt, qui Narbonenses vocantur.*

585. *Atque Naro civitas* habet Ven. et Pith. Recte reposuit Hudsonus *Narbo*, quæ urbs caput est Galliæ Narbonensis.

586. *Ferocis maximum regni caput.* Respicit haud dubie antiquum et fabulosum Bebrycum populi regnum, cujus regis filia Pyrene ab Hercule vitiata, et quum patrem, hominem sævissimum, partum enixa, fugeret, a feris in saltu Pyrenæo lacerata, huic monti nomen dedisse fingitur. Quippe *sævam Bebryciam aulam* memorant Veteres, et in finibus Galliæ ultra Pyrenæos montes collocant. Vid. Sil. Ital. lib. III, v. 442. Ab antiqua ferociæ bellicosæ fama verius fortasse Narboni Martio nomen adhæsit, quam a militari colonia eo deducta. Ausonius etiam Narbonis quasi regnum describit, ejusque fines omnes designat, de Clar. Urb. carm. XII: « Nec tu, Martie Narbo, silebere: nomine cujus Fusa per immensum quondam Provincia regnum Obtinuit multos dominandi jure colonos ».

587. *In æquor amnis Attagus ruit.* Sine dubio hic amnis Attagus est *Atax* ab aliis vocatus, hodie *l'Aude*, quem Mela, II, 5, dicit ex Pyrenæo monte digressum, Narbonem adtingere, ibique navigabilem esse. Atacem etiam hoc Avieni loco intelligit Petrus Marc. p. 30, et Cellar. II, 2, p. 174. Avienus nomen per G. efferens, fortasse sequutus est Ptolemæum, qui Ἄταγος ποταμοῦ ἐκβολὰς dicit. Lucanus *mitem* vocat lib. I, 403: « Mitis Atax Latias gau-

Heliceque rursus hic palus juxta : dehinc
Besaram stetisse fama casca tradidit.
At nuncce Ledus, nunc et Orobis flumina
Vacuos per agros et ruinarum aggeres
Amœnitatis indices priscæ meant.
Nec longe ab istis Thyrius alto evolvitur
. . Cinorus agmen . . .
. . . .

det non ferre carinas ». A fluvio Atace Varroni Atacino nomen inditum esse scribit Porphyrion ad Horat. Serm. I, 10, 46.

588. *Hic palus justa* Ven. et Pith. *juxta* V. quomodo edidit Huds. Forte *hanc palus instat*, ingeniose conjecit Heins. et ad hoc firmandum Burmannus advocat Descript. Orb. v. 832 : « sinus istam Persicus instat ». Sed ibi *intrat* legendum esse ostendimus ad eum vers.

589. *Besaram stetisse*. Sic Ven. et Pith. *Besarum* edidit Huds. *fama cassa tradidit* omnes vulgatæ. Vocabulum *cassum* revera frequenter apud hunc poetam invenitur, sed alio sensu, ut *cassum vulgus* pro ignobili, sine nomine. Descr. Orb. v. 72 : « Aret humus, cassæque solo torrentur arenæ », pro *frugum inopes*, et alibi pro *irritus*. *Cassa*, ut brevi dicam, erat vox satis librariis cognita, ita ut suspiciam Poetam scripsisse *Besarum stetisse casca fama tradidit*, id est, *fama anus*. Sic Auct. anonymus in Obs. Misc. vol. I, p. 388.—Sed editor A. addit : Ita in ora codicis sui Scriverius et N. Heinsius emendaverunt, qui et v. 491 legebant : « Ad usque cascæ Chersonesi terminos ». Ortelius distinguebat : « Heliceque rursus hic palus : juxta dehinc Besaram, etc. » Hactenus A. Jam dudum Opitius, pag. 39, correxit *casca*, verissime ; sed in vs. 491 frustra sic corrigi, notavimus ad eum vers.

590. *At nunc Heledus, nunc et Orobus flumina*. Sic Ven. et Pith. *Orbus* V. Rectius *At nuncce Ledus, nunc et Orobis flumina* dedit Hudsonus ex mente Vossii, ad Mel. p. 179. *Ledum flumen* memoratur a Mela, II, 5. *Ledus* a Sid. Apoll. Paneg. in Major. v. 208, et Theodulfo Aurel. Paræn. ad Jud. v. 105. Respondet nomini haud procul a Montepessulano decurrens *le Lès*, sive *le Lez*. *Orbis* fl. Melæ l. c. *secundum Bæterras fluit*, Ptolemæo *Orobis* est. Plinius nec Ledum, nec Orobim habet. Hic hodie vocatur *Orb*.

593. *Thyrius* amnis qui fuerit, non disquisitum a doctis est, certe longe alius a Tyrio, qui vs. 482 occurrit. Fortasse *Arauris*, vel *Liria*, Plinio, III, 4, memorata flumina, sub hujus, vel *Cinori*, qui sequitur, nomine quærenda. *Arauris* etiam a Mela descriptus, II, 5, *ex Gebennis demissus juxta Agatham fluit :* hodie Gallis *Airau* vel *Erhau*. (Wernsd. credo intelligere *l'Hérault*. Ed.) *Liriæ* nomen cæteris incognitum, adhuc mendo laborare putatur.

594. *Cinorus agmen*. Ita versum hunc capite pedibusque truncatum exhibet prima edit. Post eum sequitur vacuum duorum versuum spatium.

Nunquam excitentur fluctuum volumina,
Sternatque semper gurgitem Alcyonæ quies.
Vertex at hujus cautis e regione se
Illi eminenti porrigit, quod Candidum
Dixi vocari. Blasco propter insula est,

595. *Num qua excitent fluctuum volumina:* sic Ven. et Pith. Hudsonus, ut metrum fulciat, e conjectura inserit *se: Num qua excitent se fluctuum* et Heinsius conjicit: *Num quæ citentur.* Sed hæ emendationes parum convenire ad sensum versus sequentis videntur. Probabilius emendavit Opitius, p. 39: « Nunquam excitentur fluctuum volumina », quem sequor. Quod ad *volumina fluctuum* vid. notata ad Rutilii I, 540.

596. *Alcyonæ quies,* h. e. summa tranquillitas maris, dicta ab avi marina, quæ *alcyone* Græcis, Planto *alcedo.* Servius ad illud Virgilii, Georg. I, 399, « Dilectæ Thetidi Halcyones », notat: Hæ aves nidos faciunt in mari media hieme, quibus diebus tanta est tranquillitas, ut penitus nihil in mari possit moveri: inde etiam *dies Halcyonii* vocantur. Plauto in Prol. Cas. v. 26, *Alcedonia*, i. e. tempora quieta et placida. Conf. Plin. lib. II, 47. Plautus, Pœn. Act. I, 2, v. 143: « nisi illam mihi tam tranquillam facis, Quam mare est olim, quum ibi alcedo pullos educit suos ». Cf. notata ad Licentii carm. vs. 93. Avienus haud dubie hoc loco mutilo sinum aliquem maris aut portum ita inclusum et defensum rupibus descripserat, ut unda nullis commota fluctibus perpetuo staret immobilis. Qualem descripsit supra v. 540. seqq.

597. *Vertex ad hujus* Ven. et Pith. *at hujus.* correxit Huds. quod et Heinsius voluit.

598. *Illi eminenti* vulgatæ. Schraderus in schedis conjecit *Jugi eminentis*, quæ sane elegans conjectura; sed vulgatam lectionem defendit, quod sequitur, relativum *quod Candidum dixi vocari.* Nam hoc significat, non novum aliquod jugum vel promontorium nominare auctorem, sed referre se tantum ad *illud* ante memoratum, quod se dicit *candidum* adpellasse. Sed locus ille, quo hoc dixit, fortasse e versibus est, qui detriti, atque a librario omissi fuerunt. Cæterum ex adpellatione *promontorii Candidi* Danvillius de Gallia Narbonensi agens suspicatur significari ab Avieno *Leucatam*, quam Mela, lib. II, c. 5, « litoris nomen et Salsulæ fontem » esse dicit, quamque hodie nominant *Cap de la Franqui.*

599. *Blasco propter insula est.* Blasco, hodie *Brescou*, inter Pyrenæum et Rhodanum jacet sub urbe Agatha (nunc *Agde*). Vicinam eam insulam monti Sigio, vel Sitio, qui est *Setius* Nostro, facit Strabo, lib. IV, p. 181. Super hoc loco sic verba facit Petrus Marcanus, lib. I, cap. 10, n. 6: Quod Blasconem insulam in vicinia Setii montis locat Strabo, consentit cum situ loci, qui nobis hodie rupem *Brescou* dictam 2 mill. pass. a Setio, et totidem millibus ab urbe Agatha exhibet. Ea in rupe sive scopulo castrum est munitum cum præsidio

Teretique forma cespes editur salo.
In continenti et inter adsurgentium
Capita jugorum, rursum arenosi soli
Terga explicantur; seque fundunt litora
Orba incolarum. Setius inde mons tumet
Procerus arcem et pinifer: Setii jugum
Radice fusa in usque Taphrum pertinet:

militum, etc. Festus Avienus eleganter et vere Blasconem, Setium montem, et stagnum Tauri jam tum ea tempestate sic dictum descripsit his verbis: *Blasco propter insula est*, etc.

604. *Setyus inde mons tumet.* Sic Ven. et Pith. et in sequenti *Fecyi jugum.* Hudsonus utrimque *Setius* et *Setii* secundum alios Geographos, et ex emendatione Vossii scripsit. *Setii* etiam V. habet. Ptolemæus *Segium* montem, sive Setium vocasse videtur, Strabo *Sigium*, contra insulam Blasconem. *Mesuam*, quam Mela vocat *collem incinctum mari pæne undique; ac, nisi quod angusto aggere continenti adnectitur, insulam*, lib. II, cap. 5, p. 47, pro monte Setio habet Barbarus ad eum locum Melæ, et Is. Vossius, qui ita commentatur: *Mesua* vel *Mensua* collis is est, qui vulgo *Sette*, olim Setius vel Segius mons adpellabatur, nempe tota illa peninsula, quæ Volcarum litori usque Agatham et Blasconem insulam prætenditur. Setium vero promontorium est id, quod hodie *Cap d'Agde* dicitur, præjacente Blascone insula, vulgo *Brescou* dicta. Apud Strabonem male Σίγιον pro Σήγιον legitur. In manu exaratis Ptolemæi exemplaribus similiter Σήγιον scribitur, non Σήτιον. Meminit et Avienus in Ora Marit. qui postquam Blasconem insulam recensuit, mox subdit Setium montem. — Hodie *Sette* (*Cette*) non totam peninsulam, sed collem tantum, nisi fallor, unicum, eumque arce munitum, adpellant. Hæc Voss. ad Mel. p. 180.

605. *Procerus arcem, et pinifer Fecyi jugum*, etc. Sic Ven. et Pith. item Huds. qui tantum *Setii* restituit. Sed Schraderus in sch. distinguendum recte monuit *Procerus arcem et pinifer. Setii jugum*, etc. *arcem* vero interpretatur *cacumen*, et græcismum agnoscit. Pariter distinguit Burmannus, qui simul adlegat not. ad Lotich. lib. II, Eleg. 6, 20. Sed subjiciàmus Petri Marcani adnotationem: Hunc montem ait Avienus fuisse procerum arcem et piniferum. Antiquæ illius arcis exstant etiamnum rudera, super quibus ante centum plus minus annos exstructum fuit castrum, quod hodie ruinosum est. Piniferum fuisse certum est usque ad annum 1622, quo milites stationarii, in eo castro collocati ab Henrico Monmorancii Ducum ultimo, omnes arbores piniferas exciderunt. Petr. Marc. I, 10, 6, p. 47.

606. *Radice fusa*, i. e. producta vel extensa, ut paullo ante: « seque fundunt litora ». Ad eumdem fere modum Noster de Tauro monte, Descr. Orb. v. 844: « Nunc directa solo tentus vestigia figit ». — *Inus-*

Taphron paludem namque gentici vocant
Rhodani propinquam flumini : hujus alveo
Ibera tellus atque Ligyes asperi
Intersecantur: hic sat angusti laris
Tenuisque censu civitas Polygium est.
Tum Mansa vicus, oppidumque Naustalo,

que Taurum pertinet, et v. seq. *Taurum paludem* scribunt Ven. et Pith. sed pro *inusque* Oddio placuit *ad usque*, perperam. Nam *in usque* Aviennus ponere solet, ubi progressum in aliquem locum, aera, lacum, fretum, notare vult, ut hic; vid. vs. 526, 641 : *ad usque*, ubi terminus indicandus; vid. v: 437, 469, 491, 533. Pro *Taurum* ambobus in locis Hndsonus *Taphrum* et *Taphron* edidit, ex emendatione Vossii ad Mel. p. 180, quod etiam professus est Schraderus in comment. Mspt. ad Descr. Orb. v. 614. Sed ubinam, et quanam auctoritate, Τάφρος hæc palus nominetur, nenter docuit, et Petrus *de Marca*, I, 10, p. 47, vulgatam lectionem *Taurum* non modo retinet, sed et confirmare prodito ejus stagni hodierno nomine videtur. Ejus autem, inquit (montis Setii, qui hodie vulgo dicitur *Cap de Sette*), licet humilioris, frontem et latera mare cingit, relicto omni genere variegatorum conchyliorum; altera vero ex parte adlabitur stagno, quod vulgo dicitur *de Tau*, quod quidem salsarum aquarum profunditate et piscium delicatorum copia refert vicem æquoris, etc. Hæc Petr. Marc. — Taphron quidem nominari potuisse stagnum vel fretum, quod instar fossæ esset, fateor, siquidem idem nomen freto est inter Sardiniam et Corsicam, apud Plin. III, 6, 13; sed tamen, qui *Taurum* vel *Tauron* scripsit librarius, non aliud vocabulum expressit, quia literæ Υ et Φ, in nominibus propriis præsertim, admodum frequens est permutatio.

608. *Orani propinquam flumini* scribunt Ven. et Pith. Paris. *Oram propinquam* Pith. Lugd. Valesius in Notitia Galliæ legit *Ori propinquam fluminis;* et intelligit de ore *Ledi* fluminis. Huds. — Sed *Rhödani propinquam* emendavit Voss. ad Mel. p. 180, quod edidit Huds.

609. *Hibera tellus adque Ligies aspri :* sic Ven. *atque Ligyes* Pith. *atque Ligures* edidit Hudson. nulla caussa. Nam *Ligyes* Ligures, et Λιγύη Ligurum regio Græcis sunt, quos exscribit Avienus.

610. *Intersecantur.* Rhodanus Ligurum verus terminus fuit, quamvis horum nomen olim usque ad Iberum flumen et ultra extensum fuit, qui tamen posteriores Ἴϐηρες καὶ Λίγυες μιγάδες sunt nominati. — *Sat angusti laris* civitas, id est, exiguum ædificiis spatium occupans. *Larem* pro totius urbis ædificiis ponere solet. Vid. vs. 517, ubi *larem vastum* adpellat.

611. *Tenuisque censu* vulgatæ. *Tenuique* V. quod fere præferendum.

612. *Oppidumque Naustalo* ignotum nomen aliis. Sed possis suspicari, Avienum eo nomine iudicare *Forum Julii* ad flumen Argenteum,

Et urbs . . . . hæsice gen sale
. . . .
Ejusque in æquor Classius amnis influit.
At Cimenice regio descendit procul
Salso ab fluento, fusa multo cespite,
Et opaca silvis: nominis porro auctor est

quam coloniam Plinius in Narbonensis descriptione ait *Classieâm* adpellari, et Strabo, pag. 127, ναύσταθμον, *navnle* Cæsaris Augusti. Quod cognomen non demum a classe Cæsaris accepisse, sed antiquitus habuisse videtur, quod ibi naves commode et frequenter adpellerent, et deinceps statio navium Cæsaris opportuna esset. Antiqnum vero et Græcnm nomen *Naustalon*, credibile est, in Latinum *Classica* transüsse. Fortasse rectius apud Avienum legitur Ναύστολος.

613. *Et urbs* .... Sic lacunosum versum exhibet prima Ven. neque aliæ editiones integriorem reddere potuerunt. In residuis literis vel vocibus adparent vestigia nominum propriorum, quæ quia notitiam fugiebant librarii, et difficilius legebantur, has lacunas pepererunt. Et post eum versum trium linearum spatium vacuum est.

614. *Classius amnis.* Heinsius legit *Clasius*, quod fere metro convenientius. Et hic indictus Geographis amnis forte recentius aliud nomen accepit, *Dracus* aut *Druentia* (*la Duranee*), qui in Rhodanum influit.

615. *Cimenice regio.* Et hujus nomen alibi non reperitur, et profectum illud a *monte eelso* ejus nominis, mox indicat vs. 618. Quod recordari me facit montis et lacus *Ciminii* in Etruria Italiæ, a quo saltus *Ciminios* et *Ciminiam* regionem vocare solent scriptores. Vid. Cellar. Orb. Ant. lib. II, cap. 9, p. 725. Solent autem haud raro ea loca, in quæ coloniæ Romanæ deductæ sunt, nomina accipere ab Italicis, e quibus couscriptæ legiones eo devenerant. Hinc mihi nomen montis *Cimeni* et *Cimenieæ* regionis in Gallia explico. Schraderus in schedis conjecit *Cemmeniee* a monte *Cemmenio*, quem ipsum tamen ubi repererit, nescio. Sed Plinius, III, c. 5, trans Varum amnem, finem Italiæ, in Vediantiis, Ligurum populo, oppidum *Cemmelion* collocat, Ptolemæo *Cemeneleon*, nunc *Cimiez*, prope Nicæam. Hæc nomina certe antiquo illi Avieni *Cimeniee* valde sunt adfinia. — *Descendit procul* vulgatæ: et sic V. *discendit* Ven. alii *diseedit*. ORTEL. — Et sic conjecit Schrad. in sch. nec mihi dubium est, scribendum esse *discedit*. Innuit ipsa Veneta, quæ *diseendit* habet, et frequens hujus verbi usus Avieno in pari sententia est. Descr. Orb. v. 314: « At qua navigero tellus discedit ab æstu »; ibid. vs. 370: « Pars quæ cyaneo discedit ab æquore »; et supra vs. 549: « At quidquid agri cedit alto a gurgite ». Vid. not. ad vs. 483.

616. *Salso adfluento* Ven. *ac fluento* V. *ab fluento* scripsit Pith. et Huds. quæ indubitata lectio. *Salsum fluentum* vocat mare, ut supra v. 299.

617. *Et a prisca silvis* corrupte Ven. Pronum erat reponere *Et*

Mons dorsa celsus : cujus imos aggeres
Stringit fluento Rhodanus, atque scrupeam
Molem imminentis intererrat æquore.
Ligures ad undam semet Interni maris,
Setiena ab arce et rupe saxosi jugi,
Procul extulere. Sed quasi exposcit locus,
Rhodani ut fluentum plenius tibi edisseram.
Styli immorantis patere tractatum, Probe :
Quippe amnis ortum, gurgitis lapsum vagi,
Quas iste gentes lambat unda fluminis,
Quantoque manet incolis compendio,
Et ostiorum fabimur divortia.

aprica, quomodo corrigunt Opitius, pag. 39, Pithœus in Emend. Ortel. Heins. et Schraderus in sch. Sed *aprica* minus convenire silvis videtur. Hinc Schraderus etiam *opaca* volnit, et Oddius *aprica cultis*. Ego fere probaverim *opaca silvis*, quia sic supra v. 309 ; sed magis tamen respondere literis primæ scripturæ videtur *operta silvis*, quomodo Ovid. Met. V, 612, «opertos arbore montes» dixit.—*Nominis porro auctor*, omisso *est*, Ven. quod reposuit Pith. cum sequentibus, item Heins. Vid. not. Schrad. ad Perieg. v. 875.

618. *Mons dorsa celsus*, si Cimenicæ regioni nomen dedit, forte *Cimenus* vocatus est.

619. *Stringit fluento* Pith. et Huds. *fluendo* Ven. haud melius. Sic v. 67 : «Stringatque nemora ut unda caui gurgitis» ; ibidem *scruposum verticem* habet, ut hic *scrupeam molem* ; v. 482 : «Præstringit amnis oppidum».

620. *Imminentis* simpliciter dicit pro impendente monte, ut alibi *eminentem* et *prominentem*. Veneta vitiose *Molle imminentis*.

622. *Secyena* Ven. et Pith. ut v. 604 *Setyus*. Hudsonus dedit *Setyena*, sed scribendum *Setiena*.

623. *Procul extulere semet*, h. e. extenderunt, explicarunt. Alibi *se protulere* usurpavit, ut v. 259, 473, 523 : *se porrigunt* v. 302.

624. *Rhodani in fluentum* Ven. perperam : *tibi disseram* vulgatæ : *edisseram* volnit Heins. adprobante Burmanno, quoniam supra v. 71 : «Et si quæ in illo marmore insulæ tument, Edisserantur». Sed difficulter adparet, quomodo, ut Avienus adfirmat, «locus exposcat, ut Rhodani fluentum plenius edisseratur», nisi hæc caussa fuit, quam Avien. in vetustis Geographorum libris reperiebat, quod Rhodani tanta antiquis temporibus fama erat, ut pro limite orbis terrarum cogniti haberetur, qua de re inferius amplius exponemus.

625. *Patere tractatum, Probe*, Pith. et Huds. recte : corruptius cod. V. *pater tracta mi Probe*, et ed. Ven. *pater tractatu improbe*.

627. *Quis iste gentis lambat undas fluminis* : sic Ven.

Nivosum in auras erigunt Alpes jugum
A solis ortu, et arva Gallici soli
Intersecantur scrupeo fastigio,
Et anhela semper flabra tempestatibus.
Effusus ille, et ore semet exigens
Hiantis antri, vi truci sulcat sola,
Aquarum in ortu et fronte prima naviger.

631. *Arva Gallici sali* Ven. et Pith. sed dubitandum non est, quin *soli* legendum sit, quomodo V. exhibet et Hudsonus edidit. Oddius hujus versus loco versum 633: « Et anhela semper », ponendum, et sic ordinandum totum locum censet: « Nivosum in auras erigunt Alpes jugum, Et anhela semper flabra tempestatibus. A solis ortu at arva, etc. » Omnino versus iste 633 non satis commode cohærere cum cæteris, et difficiliore intellectu esse videtur. Neque tamen, quem Oddius inducere tentat versuum ordo, melior vulgato est. Nam ex ejus sententia « Alpes erigunt jugum in auras, et in flabra semper anhela tempestatibus »; qua ratione ταυτολογία quædam enascitur. Tolerabilius autem est, si auctor e vulgato ordine scripsit, « scrupeo Alpium fastigio et arva Gallici soli intersecantur, et flabra semper anhela tempestatibus ». Tritum poetis est, montium altitudine ventos et nubila secari, superari, transiri; hinc etiam Avienus potuit dicere intersecari flabra tempestatum. Sic Claud. de Cons. Mall. 206: « ut altus Olympi Vertex, qui spatio ventos hiemesque reliquit ».

634. *Ore semet exigens.* Ovid. Her. II, 114: « exigit Hebrus aquas ». Heins.—Male edit Madrit. *erigens.* Igitur in Alpibus oriri Rhodanum prodit Avienus, ut alii Geographi.

635. *Hiantis antri.* Sic Descr. Orb. vs. 423: « tum cæruleum Padus evomit antro Flumen »; et de Danubio v. 437: « cadit Abnobæ hiatu Flumen ». Lucil. Ætn. v. 117: « torrentem imo se emergere hiatu ». *Vim trucem* tribuit Rhodano exorienti, ut subinde *feros* amnes vocat in Descript. Orb. v. 310, 343. Et Claud. de Cons. Mall. v. 53: « Lentus Arar, Rhodanusque ferox ».

636. *Fonte primo naviger. Fronte primo* V. quod in *fonte* Schottus mutat. Sed ego putem (vid. infra v. 695) legendum *fronte prima*; nisi *primo* sit adverbium. *Frons fluvii* est caput fluvii: nihil vulgatius. Hæc vir erud. ad collat. cod. Ortel. notavit, forte Scriv. quem etiam hujus observationis auctorem prodit Anon. in Observ. Misc. vol. I, pag. 389. *Fronte primo naviger* habet Venet. *fonte primo* Pithœus, sed ejus secunda *naviget* pro *naviger*, perperam. *Naviges* volebat Oddius, quod improbat Auct. in Obs. Miscell. et contendit, vocabulo *naviger* significari, flumen ipso statim ortu navium patiens esse. Sed Casaubonus ad verba *fonte primo* adscripserat *falsum.* Nec diffiteor incredibiliter et temere hoc dici a poeta, quod tamen probabilius fieri potest, si legatur *fronte prima*, nec de fonte ipso cogitetur. Defendi quodam-

At rupis illud erigentis se latus,
Quod edit amnem, gentici cognominant
Solis Columnam; tanto enim fastigio
In usque celsa nubium subducitur,
Meridianus sol ut opposita jugi

modo *fronte* potest eo, quod fluviis *cornua taurinæ frontis* soleant tribui. Vid. Auson. Mosell. v. 471. Et similiter Noster supra v. 288 *tria ora* Bæti fluvio tribuebat, quæ non sunt ostia ejus, sed tres alvei, in quos statim a fonte dividitur Bætis. Hinc etiam *frons prima* fluminis non intelligenda de ejus fontibus, qui non possunt esse, nisi admodum exiles, sed de primo et superiore, quem a fontibus facit excursu; quemadmodum Noster de Eupbrate, Perieg. vs. 1159: « caput exserit antro, Inque Notum primæ protenditur agmine molis ».

637. *Ad rupis illud:* sic omnes edd. Sed dubitari non potest, legendum esse *At rupis illud.* Nempe non *ad latus rupis* esse columnam Solis scribit auctor, sed ipsum latus rupis dici columnam. Sic etiam citat Schrad. ad Descript. Orbis, v. 375.

638. *Quod de ditamne gentici :* sic Pith. e Ven. Non abs re suspicor *editamen* hoc loci poetæ relictum; hoc pacto: « Quod de editamine gentici cognominant ». *Genticos* eodem significatu et supra dixit: « Taurum paludem namque gentici vocant ». BARTH. Advers. p. 1335 seq. et Abl. IV, 13.—Barthius corrigit *Quod de editamine,* vel *altitudine.* Vox *gentici* apud Tacitum. *Editamen* vero nusquam, quod sciam, invenitur. Usque dum MSS nobis plus lucis adferant, sine damno legerem « Quod de cacumine gentici cognominant ». AUCT. anon. in Obs. Misc. vol. I, p. 389. — Lege *Quod edit amnem.* Et sic Casaub. et Heins. BURM. — Sic etiam citat Schrader. ad Descript. Orb. v. 375. Et nihil verius. Ipsa Venetæ scriptura huic emendationi patrocinatur. Nam revera sic scribit *Quod dedit amne*, et Pithœus voculas aliter dividendo, auxit mendum, et veram lectionem magis occultavit. Barthii et Observatoris conjecturæ non solum metro vim adferunt; sed et sententiam auctoris pervertunt. — *Cognominat* Ven. ed. reliqui *cognominant,* quod contextus poscit.

639. *Solis columnā* superposita lineola Ven. ed. in meo exemplo repræsentat, quod nulla caussa Pith. et Huds. iu *columnas* mutarunt: et recte *columnam* V. exhibet. Vocarunt autem *columnam* sive *metam Solis*, quoniam, ut e sequentibus patet, solem ad eam decurrere et circumflecti in alteram plagam orbis terræ credebant.

640. *In usque celsa nubium.* Eumdem versum vide v. 508.

641. *Ut positu jugi* præbet ed. Ven. pro quo ad supplendum metrum *ut opposita* dedit Pith. cum Huds. Ipsa res etiam poscit *opposita.* Male autem Pith. et Hudsonus distinguunt « subducitur Meridianus sol, ut opposita jugi Conspicuus haud sit ». Distinguendum est post *subducitur.* Meridianus sol hoc loco ille est, qui meridianam orbitam vel plagam peragravit, et nunc in se-

Conspicuus haud sit, quum relaturus diem
Septemtrionum accesserit confinia.
Scis nam fuisse ejusmodi sententiam
Epicureorum; non eum occasu premi,
Nullos subire gurgites, nunquam occuli,

ptemtrionalem transit, non qui medio die et alto cælo lucet. Vid. Exc. II ad calc. huj. carminis. Ed.

642. *Relaturus diem*. Solenne poetis Solem *referre*, *reddere diem*. Auctor Octaviæ, initio: « Surgit Titan Radiante coma, mundoque diem Reddit fugatum ». Et *referre* usurpavit Virg. Æn. XI, 183: « Aurora ... almam Extulerat lucem, referens opera atque labores ». Ed.

643. Veneta sic habet: *Septemtrionum acer serit confinia*. Pithœus et Hudsonus inde fecerunt *acer ferit confinia*: quæ lectio non modo sensui non officit, sed et elegantia quadam poetica nitere videtur, si forte poeta hic de Solis equis cogitavit, eosque dicere voluit, ubi ad confinia Septemtrionum altiora, tamquam obstacula quædam, pervenerint, impatientia moræ acres et animosos ea ferire ungulis, quemadmodum Ovidius, Met. II, 155, de Solis orientis equis ex Oceano ascendentibus: « hinnitibus auras Flammiferis implent, pedibusque repagula pulsant ». Sed tamen ejusmodi poeticus sermo hoc loco intempestivus videtur, et primæ edit. scriptura *acer serit* admodum viciua literis verbi *accesserit* est, idque ipsum tam opportunum et planum est, ut poetam vix credibile sit aliter scripsisse. Quin cod. V. hoc ipsum *accesserit* præfert, idque verbum sæpius adfuit apud Nostrum, v. 167 et 176. *Septem Trionum* scribi volebat Heins.

645. In prima ed. et Pithœana est *non occasu premi*, deficiente una syllaba metro necessaria. Pithœus inserendum putat *non eum occasu premi*; quod et sensus relatioque ad solem poscit, et Hudsonus expressit. Ob eam rationem minus commodum puto, quod Heinsius voluit, *non ab occasu premi*. Cæterum *occasu premi* h. l. notat solem deorsum ferri ex alto, dum occidit. Etenim Epicurei, qui sphæram esse mundum negabant, solem statuebant non secundum vulgarem opinionem in ortu ascendere, descendere occasu, sed orbitam tamquam in plano describere, et circumire terram. Equidem, qui talem solis ambitum circa orbem vel discum terræ, diserte inter sententias Epicuri referret, nullum adhuc locum veteris scriptoris inveni, leguntur tamen aliæ Epicuri, e quibus hoc facile consequatur: qualis hæc ipsa est, quod terram non globi, sed disci vel tympani habere figuram credidit (Lucret. lib. V, v. 538 seqq. Cic. de Nat. Deor. lib. II, cap. 18); et quod, ab experientia et legum naturalium notitia plane imparatus, res omnes secundum visum et adparentiam concipiendas existimavit, quippe qui pronuntiare adeo ausus est, tantillum esse solem, quantus adpareat, ut Cleomedes refert principio libri II; ne nunc alia brevitatis caussa persequar.

646. *Nullos subire gurgites*, nempe Oceani, secundum vulgarem opi-

Sed obire mundum, obliqua cæli currere,
Animare terras, alere lucis pabulo
Convexa cuncta; et invicem regionibus
Cer*tis* negari candidam Phœbi facem;
Resi[*stere alto nam jugum cacumine,*
Quod ab occidente quando sese ad extimos
Septemtriones porrigit, mundi duo
Latera atque solis dividit meta vias.]
Meridianam quum secuerit orbitam,

oionem. Prima tamen ed. præfert *Nullo subire*, quod dignum erat servari, referendumque ad præcedens *occasu*, ut sensus sit, solem occasu suo neque deorsum ferri, neque etiam condi Oceano. — *Nunquam occuli*, ita scilicet, ut infra horizontem mergatur.

647. *Sed obire mundum*, h. e. circumire et oberrare, quam notionem firmavi ad Descr. Orb. v. 1320, et conf v. 127. — *Obliqua cæli currere*, h. e. obliquo vel curvo tramite cursum tenere in cælo: et *cæli* dicit, ut eum cursum significet, qui non terram vel Oceanum subeat, sed supra terram in solo cælo conficiatur. Conf. v. 656.

649. *Convexa cuncta*, i. e. totum cælum, ut supra v. 232: « Nebulosa juge his incolis convexa sunt »; et Descr. Orb. v. 1122: « Convexaque pura tetendit Festa dies ».

650. Prima Ven. et Pith. editio cum lacuna exhibet *Cer* negari candidam*, etc. et in sequenti linea mutilam vocem *Resi** ..... Temere hæc supplevit Hudsonus: « et invicem regionibus Cerni, et negari candidam Phœbi facem Residuis », scil. regionibus. Multo probabilius Opitius, pag. 39, rescribit *Certis negari*, idque ipsum cod. V. exhibet, et Heinsius probat. Sequentis lineæ superstes vocula nullus dubito, quin reliqua sit ex *Resistere*, neque difficile est, quid eo versu scriptum a poeta fuerit, hariolari. Scribo: *Resistere alto nam jugum cacumine* l. *fastigio*. Nempe hoc versu dicendum poetæ erat, quæ sit ratio, aut quod impedimentum, cur certis regionibus lumen solis negetur, atque hoc impedimentum esse altum montem jam significavit v. 641: « sol ut oppositu jugi, etc. » Et quia post versum illum lacerum, a me resartum, in prima ed. Ven. trium versuum spatium vacuum relinquitur, atque iis versibus haud dubie poeta montis illius modum et situm descripsit amplius, e quo adpareat, cur certis regionibus lumen solis intercipiatur; eos versus mea opera ita componere conatus sum in textu, ut, si non ipsa verba auctoris, certe sententia et connexio cum sequentibus restituta videri possit.

652. *Meridianam quum secuerit orbitam*. Significat eos, qui talem cursum solis statuant, omnem cæli, quem sol obeat, circulum dividere in meridianam et septemtrionalem partem; per istum decurrere solem ab ortu ad occasum, et ab occasu per septemtrionem redire ad ortum;

Quum lumen axi Atlantico inclinaverit,
Ut in supremos ignem Hyperboreos agat,
Achæmenioque semet ortui ferat,
Discreta in æthræ flectitur curvo ambitu,
Metamque transit; quumque nostro obtutui
Jubar negarit, tetra nox cælo ruit,
Cæcæque nostra protinus tenebræ tegunt:
Dies at illos clara tunc illuminat,
Septemtrione qui superposito rigent:
Quum rursus umbra noctis Arctoos habet,
Genus omne nostrum splendidum ducit diem.
Meat amnis autem a fonte per Tylangios,

media vero altitudine montium, quasi meta ab occasu versus septemtriones porrecta, fieri, ut sol per alterutram partem transiens in altera umbras et noctem inducat. Amplius hoc exemplis et testimoniis declarat Excursus II.

653. *Quum lumen inclinaverit*, i. e. converterit ad axem Atlant. Supra vs. 202: « Qua sideralis lucis inclinatio est ».

655. *Ac Hemonioco qua* Ven. *Ac Hæmoniaco qua semet* Pith. Nec constat sensus, nec versus. HUDS.— Oddius torquet se iu reperiunda huic ulceri medela, atque vix reperit hanc minus aptam filo orationis: « At hac via qua semet ortui ferat, Discreta in æthram flectitur, etc. » Sed facilis erat correctio adtento styli Avieni observatori, qui Orientem adpellare solet a præcipuis Orientis gentibus Achæmeniis, i. e. Persis et Assyriis. Sic Descr. Orb. vs. 474: « Spectat Achæmeniæ lucis jubar »; et vs. 534: « Assyrium suspectant eminus axem ». Et paullo correctius hic legit cod. V. *Achemenineo*, idemque notavit Schrad. in sch. Sed tamen vocabulum illud metro non capitur. Igitur legendum *Achæmenioque semet ortui ferat*.

656. *Discreta in æthræ*, h. e. in partem illam cæli septemtrionalem, quæ discernitur interjecto montium jugo, vel meta, quam mox nominat.

657. *Metamque transit*. Metam hic vocari extremitatem vel terminum montium altissimorum, qui solem transeuntem occultant, ex locis quorumdam geographorum Excursu II prolatis demonstravi. Et *metæ* vocabulum haud dubie petiit a Circo, cujus spinam et metas quodammodo referunt montes continui, qui finguntur orbis duas plagas dividere.

661. *Sextentrione* et *superpositi* exhibuit V. quod probari vix potest. *Septemtrionis qui superposito* Venet. Sed uterque male. ED.

664. *Amnis aut fonte* Ven. et Pith. pro quo recte Hudsonus *amnis autem*. Idem Pithœus vult in Emend. et Opit. p. 39; vel *aucto* Heins. Ego legendum puto *Meat amnis autem a fonte*.

Per Daliternos, per Chabilcorum sata,
Cemenicum et agrum (dura sat vocabula,
Aureinque primam cuncta vulnerantia;
Sed non silenda tibimet ob studium tuum
Nostramque curam), panditur porro in decem
Flexus recursu gurgitum, stagnum grave
Plerique tradunt: inserit semet dehinc
Vastam in paludem, quam vetus mos Græciæ

665. *Per Clahilcorum fata* Ven. *sata* Pith. *per Chlachilorum* V. *Chabilcorum sata* Huds.

666. *Temenicum* vulgatæ. *Cemenicum* conjicit Huds. quod probo, et convenire puto cum *Cimenica regione* v. 615. Schrad. in sch. notavit a monte *Cemeno esse.*

669. *Nostramque cura* Ven. reliquæ *curam.*

670. *In decem Vexis recursu* Ven. et Pith. Temere Hudsoous correxit *in decem Passus*, inepta conjectura: uam quaotulum hoc spatium fluminis vel stagui, quod in decem uec amplins passus panditur! Magis audiatur Opitius, var. lect. p. 39, qui erudite emendat *in decem Flexus recursu gurgitum stagnum grave:* et addit locum Frontini de agror. qual. « Flexus, qui secundum locorum uaturam curvantur, ut in agris arcifiniis solet ». Nolim vero *flexus* hoc loco de agri quodam modo, quemadmodum Caugius in Gloss. explicat, accipere; sed seutentia poetæ hæc est: Rhodanus porro panditur, explicat sese, in decem flexus, gurgite toties procurrente et recurrente. Quibus flexibus sæpius iteratis et complicitis plerique tradunt stagni alicujus gravis et lenti speciem effici. Quapropter post *gurgitum* distinguendum arbitror. Hac cum opinione convenit, quod Apollonius libro IV, 535 seq. fingit, Argonautas e Rhodano in paludes pervenisse, per Celtarum terram diffusas.

671. *Plerique tradunt.* Male hoc cohæret cum antecedentibus, sed succurrit Opitius l. c. qui scribit: « Panditur in decem flexus stagnum grave, ut Plerique tradunt ». Sed fere magis placet Heinsii correctio, qui distinguit: « recursu gurgitum: stagnum grave Plerique tradunt », i. e. pro stagoo gravi habent. Non videntur verba Avieni intelligenda de Rhodano in stagnum expanso, quum statim sequatur, *inseri in vastam paludem.—Inserit semet*, h. e. ita influit, ut misceri paludis nudis non videatur. Eodem verbo utitur Noster de Alpheo mare permeante, Descript. Orb. v. 1175: « pelago sic inserit undas, Illæsum optatæ flumen ducens Arethusæ ». Heinsius hoc loco *ingerit* voluit legere, sed *inserit* ex loco adducto facile adseritur.

672. *Vastam in paludem* Pith. et Huds. *Vasta in* habet Ven. Videtur intelligi lacus Lemanus, de quo Mela, lib. II, cap. 5: « Rhodanus non longe ab Istri Rheniqne fontibus surgit. Deinde Lemano lacu acceptus tenet impetum, seque per medium integer agens, quantus venit, egreditur ».

Vocitavit Accion, atque præcipites aquas
Stagni per æquor egerit : rursum effluus
Arctansque sese fluminum ad formam, dehinc
Atlanticos in gurgites, nostrum in mare
Et occidentem contuens, evolvitur,
Patulasque arenas quinque sulcat ostiis.
 Arelatus illic civitas adtollitur,

Conferri cum his meretur Tigris amnis transitus per lacum Thospitin, descriptus a Nostro, Perieg. v. 1169 seq.

673. *Quæ præcipites aquas:* sic omnes vulgatæ. Sed improbat hanc lectionem, et inter vitia textus Avieni, metro contraria, et ab editoribus quondam sublata, refert Schraderus, præf. ad lib. Emend. p. 30. Legendum putat *atque præcipites aquas.* Cui morem geram.

674. *St. per æquor egerit. Egerere* de aquis bene dicitur, ut de similibus. Ovid. Met. X, 136 : « Jamque per immensos egesto sanguine fletus ». In epigramm. de Lucretia : « Quum foderet ferro castum Lucretia pectus, Sanguinis et torrens egereretur, ait », ubi male Scaliger *egrederetur.* Ed.

675. *Arctans qua sese fluminum ac forma.* Sic Ven. et Pith. sed facilis correctio fuit Hudsoni, qui edidit *Arctansque sese fluminum ad formam.* Et prius illud *Arctansque* jam cod. V. habet, et Pithœus Heinsiusque sic rescribere jusserunt.

676. *Atlanticos in gurgites*, quod Rhodanum evolvi ait, plane ex antiqua et angusta geographia est, quæ Rhodanum fere terræ habitatæ finem et Atlantico Oceano proximum prodebat. Neque minus, quod addit *nostrum in mare*, ex eadem explicandum. Nam ex Apollonio Rhodio videre est, Argonautarum tempore existimatum esse Rhodanum tribus brachiis, altero ad Oceanum, altero ad sinum Adriaticum, nempe per Eridanum, quocum conjunctus est, tertio in Sardoum, quod *nostrum mare* Avieno est, deferri. Vide Excursum nostrum II. Jam qui tales nugas e vetusti orbis rudi admodum notitia contra veritatem repetiit Avienus, meo judicio ineptissime fecit. Nam quæ absurditas est, ista ætate Avieni Probo, quem instituere vult, præcipere, Rhodanum in mare Atlanticum præcipitari?

677. *Et occidentem contuens.* Heinsius scripsit *consuens*, et Hudsonus conjicit *confluens*, sed vulgatum tueor. Dicit in nostrum mare simul et in Occidentem *contueri*, id est, spectare, converti; influere in nostrum mare, sed versus occidentem.

678. *Quinque sulcat ostiis.* Diodorum Sic. et Timæum in errore sequitur Avienus, ut ostendit Valesius in Notitia Galliæ, pag. 476. Huds. — Septem ostiis in mare egredi prodit Apollonius Rhodius, lib. IV, 634.

679. *Arelatus illic.* Ita et Ausonio vocari scribit Hudsonus. Sed Ausonii versus hic est, Clar. Urb. VII, 1 : « Pande, duplex Arelate, tuos blanda hospita portus ». Ubi

Theline vocata sub priore sæculo,
Graio incolente. Multa nos Rhodano super
Narrare longo res subegerunt stylo.
At nunquam in illud animus inclinabitur,
Europam ut isto flumine et Libyam adseram

valde dubium est, an *Arelate* casu quinto ab *Arelatus* sit accipiendum. Nam *Arelaton*, neutrum et ἄκλιτον frequenter dicitur a geographis; ab aliis *Arelas* et *Arelatum*. Et Heinsius, Adv. p. 449, dicto loco Ausonii nos legere jubet : « Pande, duplex Arelas, tutos blanda hospita portus ». Avienus fortasse solus est, qui *Arelatus* dixerit. Heinsius maluit *Arelates* vel *Arelatis civitas* legere. *Arles* hodie Galli adpellant.

680. *Theline vocata*. Aliis *Mamillaria*, non *Mamiliaria*. Vid. egregie Jo. Is. Pontanus in notis ad Itiner. Gall. Narbon. pag. 68. BURM. — *Mamillariæ* nomen, Arelati adtributum, in antiqui lapidis inscriptione, quæ apud Grut. p. 159, n. 8, exstat, reperire sibi visus est Scaliger, Auson. lect. lib. II, c. 30, eoque inducti Ortelius, Merula et Pontanus crediderunt; id nomen Latinum existimantes ejus Græci antiqui, quod Avienus hoc loco prodit, *Theline*. Nempe hoc a græco θηλὴ *mamilla* esse. Caussam ejus adpellationis videri duplicem; formam urbis, et rerum omnium, annonæ præsertim, singularem ubertatem. Lloydius adeo in Diction. geogr. in subsidium hujus opinionis vocat Ausonium, qui scribat: « Gallula Roma Arelas ». Romam enim sonare mamillam, quasi *rumam*, a qua *ruma* dicti Romulus et Remus. Sed hæc mera sunt somnia, ut inscriptionem veterem, e qua Mamillaria Arelas ducitur, male lectam et intellectam esse ostendit Reinesius, Var. Lect. lib. III, cap. 16, p. 609. Neque *Thelinen* a græco θηλὴ derivare licet ob syllabarum modum.

682. *Res subegerunt*, h. e. materia proposita invitavit, suasit, permovit. Alias verbum *subigere* de caussa aliqua necessaria et cogente usurpatur, hic non item. Nam sic etiam supra vs. 366 : « Sed si voluntas forte quem subegerit ».

684. *Europam ut isto flumine et Libyam*. Stulta sententia eorum, qui Rhodanum faciebant ὅρον Εὐρώπης καὶ Λιβύης. CASAUB. — Quis credat, accolas Rhodani tale quid potuisse credere? Verum illi dicebant terminum Λιγύης, nempe Liguriæ proprie dictæ, esse Rhodanum flumen. Istud vero vocabulum etiam apud antiquissimos Græcos semper fere corrumpebatur in Λιβύη, uti quoque Λίγυες in Λίβυες, Λιγυστικοὶ in Λιβυστικοὶ, Λιγυστῖνοι in Λιβυστῖνοι. Quia vero vel Avienus in Philea, vel Phileas in alio auctore legisset, terminum Λιγύης vel Λιγύων esse Rhodanum fluvium, hinc nata fabella, flumine hoc dirimi Europam et Libyam, ex vitiosa nempe permutatione tertii elementi in secundum. Voss. in Mel. pag. 176. — Sed hanc fabellam ex alio errore Ligurum et inscitia geographiæ veteris ævi derivandum esse, neque adeo Λιγύης et Λιβύης voces permutatas videri, demonstravi in Exc. II extr.

Disterminari; Phileus hoc quamquam vetus
Putasse dicat incolas: despectui
Derisuique inscitia hæc sit barbara,
Et compete[*nte denotetur nomine.*]
Cursus carinæ biduo et binoctio est:
Gens hinc Veragri, Bergineque civitas,
Salyes atroces, oppidum Mastramelæ
Priscum paludis, terga celsum prominens,

685. *Phileus* omnes edd. habeut, et sic scripsisse Avienum, metri lex probat, quamquam vulgare hujus antiquissimi Geogrsphi nomen *Phileas* est, a Nostro etiam usurpatum v. 43. Ejus περίπλους citst Stephauus in Ἀνδρία· librum de Asia Macrob. Saturn. V, 20. Vid. Voss. de Hist. Gr. lib. III, p. 401.

688. Hujus versus in èditionibus hæ tautum reliquiæ exatant: *Et compete:* nos supplevimus e coujectura: *Et competente denotetur nomine.*

690. *Gens hinc nearehi* Veu. et Pith. Vossius ad Melam, pag. 175, emeudavit *Gens hic Veragri*, quem sequutus est Huds. *hinc* tameu primarum edd. temere in *hie* mutatum videtur. *Veragri* sunt populus Alpiuus, nou procul a fontibus Rhodaui, quibus nescio, an postea satis commode Salyes coujungautur, qui ab islis remotiores prope ad oram maritimam et Massilism colebaut. *Bergine* civitas ignota aliis; sed nomeu illud restare e fabula et nomine Bergionis, Neptuui filii, videtur, quocum Hercules iu campo lapideo, qui his iu regiouibus est, dimicasse ferebatur. Vid. Mela, lib. II, cap. 5, 24.

691. *Salyes atroces*, quomodo etiam Straboni vocautur, *Salyi* Floro, *Salvii* in Epitome Livii, *Salluvii* apud Plinium et in vetustis inscriptiouibus. Omuem fere regiouem maritimam teuebant ab Rhodano ad Liguriam et Italiæ fiues, ut scribit Strsbo, libri IV priue. *Atroces* hic vocautur, quia bellicosi et viciuis infesti. Florus, lib. III, cap. 2: «Prims trans Alpes arma uostra sensere Salyi, quum de incursionibus eorum fidissima atque amicissima civitas Mssilia quereretur».

692. Corruptissime scribunt Veu. et Pith. *oppidum priscum Ramastrabalæ Paludes*. Quæ distracta et turbata rectius constituit Vossius ad Mel. p. 175: «oppidum Msstramelæ Priscum paludis»; quem sequutus est Huds. Plinius, lib. III, cap. 4: «Ultra, fossæ ex Rhodauo C. Marii opere et nomine iusignes: stagnum Mastramela: oppidum Maritima Avaticorum». Et oppidi et lacus nomen esse Mastramelam docet Stephauus. Eadem itaque est *Mastramela* et *Maritima*. Nuuc *Martègue* vocatur oppidulum, et lscua, quem obstruit, *Lac de Martègue*. Voss. ad Mel. p. 175. — Hsrduinus ad Plin. memorat lacum Mastramelam hodie vocari *l'étang de Berre, ou de Martigues*, oppidum Maritimam hodie *Marignano*. *Prominens* hoc versn substantive accipiendum de

Quod incolentes Citharistium vocant:
Massilia et ipsa est; cujus urbis hic situs:
Pro fonte litus præjacet; tenuis via
Patet inter undas; latera gurges adluit,
Stagnum ambit urbem, et unda lambit oppidum
Laremque fusa: civitas pæne insula est:

promontorio, quomodo sæpius Noster, ut vs. 94 et 334.

693. *Incolentes Cecylistrium vocant:* sic Veu. et Pith. sed optime emendavit Vossius: *Quod incolentes Citharistium vocant.* Alii hoc promontorium Κιθαριστὴν et *Citharistam* nominant. Harduino teste ad Pliu. III, 4, hodie vocatur *Cap Sisiat, ou de Cerchiech.* Contra Vossius ad Mel. p. 174 ait: Hodie nullum promontorium hoc nomen serval, sed locus aliquis haud procul a mari *Ceireste* vocatur. Ipsum vero promontorium vulgo *Caput Aquilæ.*

694. *Massilia et ipsa est.* Sic loquitur, eminentem nobilissimæ urbis claritatem significans, more Græcorum et Latinorum, qui vocc *ipse* personam principem et excellentem designare solent, qua de re alibi diximus. Nemo vero de Massiliensium urbe, civitate, institutis et factis copiosius scripsit, quam Conr. Rittershusius, comment. ad Salvian. de gub. Dei, p. 568 seqq.

695. *Pro fonte litus* offerunt Ven. et Pith. sed *fronte* exhibet V. idemque edidit Huds. recte, ut puto: uam pari errore supra v. 636 Ven. ed. *fonte* cum *fronte* commutavit, et h. l. fronte requirit verbum *præjacet*, requirunt opposita versu sequente *latera.* Neque adeo admittere possum, quod magnus Heins. Adv. III, cap. 7, p. 449, legendum præcipit *Pro ponte*, cujus lectionis hoc loco nulla adest necessitas. Idem *præjacens* adscripserat, nescio qua caussa.

697. *Stagnum lambit urbem* Veu. et Pith. vitiose. Nullum vero negotium sit reducere *Stagnum ambit*, etc. Sonum autem captavit Avienus in ejusdem significationis verbis iteratis. Et mirum Pithœum conjectando saltem non tetigisse istuc. Ego vero suspicor et aliud quid latere. Nimirum stagnum ab urbe ambirì dici, quod in ea media sit videlicet, mox ipsam urbem rursus unda seu flumine. Frivolum sane alioquin uno eodemque versu stagnum et undam pro eadem re dicere. Nec sane tam prodigus verborum hic scriptor. Legam itaque: « Stagnum ambit urbs, et unda lambit oppidum ». Videant docti. Barth. Adv. p. 1336. — Non puto multos hujus suæ sententiæ subscriptores nacturum esse Barthium. Contextus, puto, ipse docet legendum esse *ambit urbem.* Sic voluit etiam Heinsius, et sic edidit Hudsonus.

698. *Laremque fusa civitas pæne insula est.* Ego opinor, verba ultima hujus loci (v. 702 *Evicit arte*) hisce primis debere consonare; quum sermocinetur de urbe, quæ opere manuducto in speciem peninsulæ antiquitus sit redacta. Itaque nec a voluntate literarum longius abscedemus reponendo: « Artem sequuta

Sic æquor omne cespiti infudit manus,
Labos et olim conditorum diligens
Formam locorum et arva naturalia
Evicit arte : si qua prisca te juvat

civitas peninsula est ». *Sequi* dicitur quod facile fit. Ita naturalem locum ad opificum (forte *oppidum* scriptum fuit) aptum hac scriptione iuuuat, qui situ commodo artem humanam sequutus istud oppidum fecit. Barthius, Advers. pag. 1336. — Frivola et inanis conjectura Barthii vel eo nomine est, quod falsam distinctionem sequitur, et verba hujus versus una constructione jungit. *Lateque fusa* volebant Heinsius et Oddius, haud dubie per eumdem errorem, quod hæc conjungebant cum sequentibus *civitas pœne insula est*. Sed distinguendum est post *fusa*. Neque *larem* movere loco licet, quod solenne est Avieno *larem* vel *lares* urbibus vel civitatibus jungere. Vid. v. 517 et 559. Ad verba *pœne insula est* conf. Rutil. I, vs. 528. *Peninsula est* exstat in V.

699. *Sic æquor omne* scribunt vulgatæ. Ego putem scribendum esse *Sic æquor omni cespiti infudit manus;* idque poscere præcedentia. Τῷ *Sic* eadem vis est, ac τῷ *namque*, vel *scilicet*, ut ego notavi ad versum 540. *Infundit* præfert V. et Ven.

700. *Labos et olim conditorum :* sic Pith. et Hudson. *Laboi et olim* Ven. Opitius emendat *Labos sed olim*, perperam : nam hic adversativa non locum habet, sed copulativa, quia *labos* idem significat, quod præcedens *manus*. Per ὑφὲν scribendum esse *Olim ... conditorum* putat Barth. l. c. Pro *diligens* Heinsius voluit *dirigens*, quod nescio cur præferre debeam.

702. *Evicit alte* exhibet Venet. *Evicit arte* Pithœi edit. prima, et Huds. quæ lectio recta et elegans, sed Pithœi edit. secunda Lugd. nescio quo facto et qua auctoritate expressit *Fulcit arte*. Quam lectionem considerans Barthius: Quale est τὸ *fulcit?* inquit, suspicor idem mendum, et videtur quidem, ab abbreviaturæ consideratione hinc protrudendum. Lege : *Fefellit arte*, hoc est, manu inducta specie pro naturali effigiavit in istam formam. Non absimilis locus apud Apollinarem Sidonium : « Interiore loco simulavit Mulciber auro Exstantes late scopulos, atque arte magistra Ingenii cultu naturæ inculta fefellit ». Qui locus unicus est ad Avieni istum, prorsus enim et re et verbis par est. Barth. Adv. p. 1336. — Emendo : *Labos sed olim ... Fulsit per artes*. Æquor assiduis fluctibus adluens urbi Massiliæ et campis pæne vim intulit : sed conditorum industria et labore arva tutiora reddita, arteque in meliorem statum perducta fuerunt. Opit. Var. Lect. p. 40. — Sed Opitius sensum hujus loci non recte percepit, et omni emendatione supersedere possumus, qui lectionem primarum editionum sanam et genuinam habeamus, *Evicit arte*, h. e. superavit et perfecit. Pro *superare* usurpavit Noster *evincere*, Descr. Orb. v. 1319 : « celsas evincunt æquora ripas », sicut Virgil. Æn. II, 497. — *Si quæ prisca te ju-*

Hæc in novella nominum deducere.

* * * * *

vant : sic omnes edd. sed Heinsius corrigebat *si qua*, et Schraderus, præf. ad Emend. p. 30, plenius: « Si qua prisca te juvat Hæc in novella nominum deducere ». Auctor his verbis indicare videtur, sibi propositum fuisse, ut, quas hactenus gentes, urbes, regiones ex antiquis scriptoribus tradidisset, deinceps ostenderet, quibus novellis nominibus illæ hodie adpellentur. Quod si perfecit Avienus, sane utiliorem operam Probo suo navavit, quam omni illa obsoletæ et fabulosæ geographiæ, quam hactenus persequutus est, enarratione; atque hoc magis dolendum est, eam partem operis periisse; nam inde plurima lux præcedentibus adfulgeret. Ed.

703. *Novella nominum* pro *novella*, i. e. recentiora, *nomina*, quæ dictio Nostro familiaris. Ed.

EXCURSUS I

AD AVIENI OR. MARIT. vs. 277-283.

Rex ut superbus, omniumque præpotens,
Quos gens habebat forte tum Maurusia,
Octaviano principi acceptissimus,
Et literarum semper in studio Juba, etc.

Insigne et luculentum elogium, quo Avienus Jubam regem, præ multis aliis ævi veteris memorabilem, et in historia Romana celebratissimum, ornat, non dubito, quin lectores hujus poematis quodammodo invitet, ut, quæ de rege eo poeta prædicat, paullo copiosius sibi enarrari velint. Loquitur autem de Juba secundo, Jubæ primi, Numidiæ regis, filio, regis Hiempsalis nepote, regis Gaudæ pronepote, regis Masinissæ abnepote, quomodo genus ejus recenset antiquum monumentum, Carthagine Nova Hispaniæ inventum, et a Th. Reinesio, Synt. Inscr. Class. III, n. 70, item Jac. Sponio, Misc. erud. antiqu. Sect. IV, p. 145, propositum, qui integram ejus genealogiam, sive stemma regum Numidiæ adjunxit. Floruit sub Augusto, vixitque ad annum usque decimum Tiberii, sive A. U. 777, siquidem Strabo, qui anno circiter undecimo Tiberii opus suum absolvisse creditur, libro XVII, p. 828, eum nuper vita functum, et successorem habuisse Ptolemæum filium, ex Antonii et Cleopatræ filia natum, tradit; ex Tacito vero, Annal. IV, 5, adparet, nono Tiberii anno Jubam adhuc in vivis fuisse. Pater ejus Juba bello civili partes Pompeianas sequutus cum Scipione multas res adversus Cæsarem gessit, sed demum victus, et rebus omnibus desperatis, cum M. Petreio mutuis depugnans vulneribus occubuit. Memorant Hirtius de Bell. Afric. c. 94; Appianus, Bell. Civ. lib. II, c. 100, p. 313 ed. Schw. Dio,

lib. XLIII; Florus, lib. IV, c. 2, 69. Juba filius admodum puer Romam perlatus, et a Cæsare in triumpho ductus est, quam ejus captivitatem fortunatam fuisse, Plutarchus in Cæsare, cap. 55, scribit, quod per eam studiis Romanorum eruditus, ex Barbaro et Numida scriptor evasit, eruditissimis Græcorum accensendus. Et sane omnis fortuna, omniaque decora, quibus postea exsplenduit Juba, ab hac Romana commoratione derivanda sunt. Avienus præcipua recenset, ac primum potentiam ejus et magnitudinem imperii, deinde amicitiam Cæsaris Augusti, denique studium literarum eruditionemque insignem laudat. Tanta ejus regni amplitudo et potentia fuit, ut Avienus merito adfirmet, fuisse *regem superbum et præpotentem omnium*,

Quos gens habebat forte tum Maurusia.

Mauritaniam divisam ante tenuerunt reges Bogudes, et Bocchus, ille Tingitanam, hic Cæsariensem. His mortuis in utraque successit Juba beneficio Cæsaris Augusti, qui ad paternum regnum ei concessum hæc adjecit, ut memorat Strabo l. c. Et Plinius, lib. V, cap. 1 sub finem adfirmat, *Jubam Ptolemæi patrem primum utrique Mauritaniæ imperasse.* Ac primum quidem Augustus subacta Ægypto, et Antonio Cleopatraque mortuis, quum horum filiam Cleopatram Selenen Jubæ, qui suam militiam sequutus erat, in matrimonium dedisset, eum simul regno paterno, h. e. Numidia, vel Numidiæ parte, donavit, A. U. 724, ut refert Dio lib. LI. Quinto post anno, U. C. 729, quum confecto bello Cantabrico Tarracone hæreret Augustus, Jubæ partem quamdam Gætuliæ, quod pars ejus major provinciis Romanis adscripta esset, et Bocchi Bogudisque ditiones dedit. Dio, lib. LIII. Imperio quidem, quod certe ad Gætuliam adtinet, non semper pacato gavisus est; siquidem Dione, lib. LV, memorante, Gætuli Jubæ regi infesti, et inique simul ferentes, non Romanos sibi præesse, contra eum insurgentes finitima vastarunt, multosque Romanos cum exercitu contra se profectos interfecerunt: denique adeo cre-

verunt viribus, ut propter ipsos subactos Cornelius Cossus triumphalibus honoribus et cognomento Gætulici ornatus fuerit. De cætero Juba, Numidiæ simul et Gætuliæ parte, tum utraque Mauritania potitus, multo latius regnavit in Africa, quam pater. Cui quidem Lucanus, lib. IV, 670, amplissimum imperium tribuit:

.... extremaque mundi
Signa suum comitata Jubam: non fusior ulli
Terra fuit domino: qua sunt longissima regna,
Cardine ab occiduo vicinus Gadibus Atlas
Terminat: at medio confinis Syrtibus Ammon.

Sed recte hæc improbat, qui Mauritaniam Jubæ majori non paruisse contendit, Norisius ad Cenot. Pis. Diss. II, cap. 12, p. 235, et omnia hæc a Lucano falso scripta poeticæ licentiæ imputat. Mihi etiam errore lapsus Lucanus videtur, qui quum magnum imperium Jubæ junioris et Ptolemæi, suæ ætati proximorum, fuisse sciret, hujus opinione deceptus etiam Jubæ senioris tantum fuisse putavit. Tot regnis et beneficiis aucto Juba, ultro adparet, quod Avienus ait, *Octaviano principi acceptissimum fuisse.* Cujus favoris vel maximum documentum est, quod eum Cleopatræ, Antonii filiæ, matrimonio junxit, eoque familiæ et cognationi Cæsarum inseruit. Plutarchus significat in vita M. Antonii, c. 88: Κλεοπάτραν μὲν τὴν ἐκ Κλεοπάτρας Ἰόβᾳ, τῷ χαριεστάτῳ βασιλέων, συνῴκισεν, *Jubæ acceptissimo sibi regi collocavit.* Erat hæc Cleopatra gemella soror Alexandri, quos Antonius e Cleopatra regina susceptos, hunc quidem cognomento Ἥλιον. Cleopatram Σελήνην adpellaverat. Plutarch. in Anton. cap. 36. Hinc Selene nominatur Cleopatra a Suetonio, Calig. c. 26. Eam ex Caio Cæsare natam fuisse, falso tradit Suidas in Juba. Per eam Juba in familiam Cæsaris pervenit, siquidem cæteri liberi Antonii, quos e priore uxore Octavia, Augusti sorore, susceperat, eam proxime adtingebant. E liberis Jubæ e Cleopatra Selene natis non alium, præter Ptolemæum, qui ei in regno successit, accepimus, ipsaque Cleopatra mature decessisse videtur, si verum narravit Jo-

sephus, Antiq. Jud. lib. XVII, cap. 15, alteram Jubæ regis uxorem fuisse Glaphyram, Archelai regis Cappadociæ filiam, atque antea nuptam Alexandro, filio Herodis regis, cuique liberos pepererat. Norisius l. c. in dubio relinquit, mortuane Cleopatra Glaphyram duxerit, an pariter cum ea uxorem habuerit. Quod autem Josephus adjicit, Glaphyram mortuo Juba apud patrem in Cappadocia viduam mansisse, donec ab Archelao, fratre Alexandri prioris mariti, denuo in matrimonium peteretur; in eo Norisius plane errare Josephum existimat, quandoquidem Juba A. U. 722, tertio fere et quadragesimo regni anno decesserit, Archelaus vero Ethnarcha Judæorum jam A. U. 759 ab Augusto Viennam relegatus memoretur. Immo accuratius calculos subducendo credo Jubam ultra quinquagesimum annum regnasse. Nam si, ut superius ostendi, A. U. 724, ab Augusto uxore Cleopatra et regno paterno donatus est, atque A. U. 776, nono principatus Tiberii anno adhuc in vivis fuit, plus quinquaginta annis eum regnasse conficitur. Accedit, quod in nummis Jubæ junioris frequentes characteres numerales, ut XXXVI, XXXX, XXXXII, XXXXV, præmissa plerumque littera R, i. e. regni, reperiuntur. Quos characteres licet ignorabiles existimet Sponius l. c. p. 146, Begerus tamen Thes. Brand. tom. I, p. 304, verisimiliter judicat annos regni significari, siquidem iidem numeri in quibusdam nummis Græcis literis exprimuntur, e. g. ETους MΓ. Et quando in nummis istis non nisi majores annorum numeri leguntur, hoc indicio est, Jubam longitudine imperii sui lætatum, id voluisse publicis monumentis ad memoriam prodi. Itaque si Glaphyra nupta fuit Jubæ, et postea reversa ad patrem in Cappadociam, credibile est, divortio potius dimissam esse, quam a mortuo relictam. Cæterum de Ptolemæo, filio et successore Jubæ, hoc tantum notamus, eum a Caio Cæsare Caligula, cui consobrinus erat, evocatum e regno, et propter divitias necatum esse. Suet. in Calig. c. 26 et 35; Dio, lib. LIX. Accedimus ad tertium laudis ab Avieno tributæ momentum:

Et literarum semper in studio Iuba,

quod magno veterum scriptorum consensu et prædicatione celebratur. Plinius, lib. V, cap. 1, *studiorum claritate memorabiliorem fuisse*, *quam regno*, prædicat. Plutarchus in Sertór. c. 9: πάντων ἱστορικώτατον βασιλέων, *regum omnium historicum præstantissimum* vocat. Athenæus, lib. III, p. 83, Ἰόβαν τὸν Μαυρουσίων βασιλέα, ἄνδρα πολυμαθέστατον. Et quam vasta variaque hujus regis doctrina fuerit, quantum præsertim historiæ, geographiæ et rerum naturæ studium, multitudo librorum ejus ostendit, qui passim ab antiquis scriptoribus, maxime vero a Plinio et Plutarcho citantur. Unde plurimorum titulos et argumenta recensuit Vossius, de Hist. Græc. lib. II, cap. 4, et Harduinus in Indice Auctorum, qui a Plinio in Historia Natur. adpellantur; tum vero accuratissime de Jubæ regis vita et scriptis egit Sevinus, dissertatione Memoriis sive Commentariis Academiæ Inscriptionum Regiæ Paris. gallice editis inserta, tom. IV, p. 457 seq. In historicis præcipue eminet opus ejus pluribus voluminibus explicatum, *de expeditione Arabica ad Caium Cæsarem*, Augusti filium, a Plinio, lib. VI, 27, et XII, 14, laudatum. Quod opus ille ob magnum in C. Cæsarem studium, adfinitatemque cum eo, quod Cleopatra, Jubæ uxor, amita Liviæ, Caii Cæs. uxoris esset, et suscepisse et Caio ipsi dedicasse videtur. Laudari meretur Ῥωμαϊκὴ ἱστορία, sive, ut alias vocatur, Ῥωμαϊκὴ ἀρχαιολογία, cujus librum primum laudat Stephanus in Ἀβοριγῖνες, et Ὠστία, alium in Ἀρβάκη, secundum librum idem in Νομαντία· crebro etiam respicere solet Plutarchus in Quæst. Romanis. Adfinis et conjuncti argumenti fuit liber, quem inscripsit ὁμοιότητες, *Similitudines*, ubi comparasse videtur ritus et nomina rerum, quæ Græci et Romani simili, aut diversa significatione usurparunt, uti colligere est ex loco Athenæi, lib. IV, p. 170. Magno usui ipsis Romanis fuerunt ejus *Commentarii de Libya*, συγγράμματα περὶ Λιβύης, ubi memorabilia multa regnorum et regionum Africæ persequutus videtur. Citat eorum librum tertium Plutarchus, Parallel. minor. cap. 23, tomo VII oper. ed. Reisk. pag. 237, ubi de Callirrhoe Lyci filia, Diomedis amore capta et sibi mortem consciscente narravit. Ex iis-

dem libris videntur esse, quæ Plutarch. de solert. anim. tom. X, oper. p. 49, Jubam refert narrasse de elephantorum societate et mutuo auxilio in venatorum insidiis superandis. Citat etiam Athenæus libro III, p. 83, et his libris Jubam narrat scripsisse, malum citri esse, quod apud Libyes vocetur Hesperidum malum, inde Herculem in Græciam transtulisse, aureaque vocata esse ejus arboris mala ob coloris speciem. Ubi quidem Democritus, unus ex disputantibus, auctoritatem Jubæ elevat, eumque valere jubet cum libris suis Libycis, æque ac Hannonis erroribus. Nam et Hannonis περίπλουν Juba in his libris adtigisse videtur. Multa horum commentariorum Juba dicitur ex libris Punica lingua scriptis hausisse, qui *Punici libri* citantur a Sallustio, Jug. cap. 20; Solino, cap. 34; Ammiano Marcell. XXII, 15, p. 363; et Hiempsalem regem, avum Jubæ, auctorem habere crediti sunt, teste Sallustio. Ad historica denique pertinent duo libri *de rebus Assyriorum*, quos Jubam scripsisse perhibent et a Beroso sumpsisse Tatian. orat. adv. Græc. c. 58, et Clemens Alex. Strom. I, p. 329, ubi ἰόβας pro ἰσάβας legendum est. Ab aliarum rerum, præsertim naturalium, amplissima scientia profecti sunt libri *Theatricæ historiæ* (θεατρικῆς ἱστορίας), quo opere egisse videtur de musica et instrumento omni theatri, tum de fabulis, et historiis, quæ tragœdiis argumentum præbere solent. Quartum librum ejus operis adpellat Athenæus, lib. IV, pag. 175, decimum septimum Photius in Bibl. cod. CLXI, pag. 341. Et quæ ejus notitia, quod judicium fuerit de rebus theatralibus, optime probaverit Epigramma ejus, ab Athenæo libro VIII, pag. 343 prolatum, quo Leonteum Argivum, tragœdum, et suum olim domesticum, sed avidum obsoniorum et voracem, deridet, quod Hypsipylen male egerat. Equidem optabam, ut celeb. Brunkius illud cura et ingenio suo castigatum Analectis Poet. Græc. intulisset. Nam tanta corruptione et obscuritate laborat, ut Sevinus in Memor. Acad. Inscript. id producere refugerit, et duo Athenæi interpretes, Natalis Comes et Dalechampius, qui diverse simul et perverse exponunt, ipsi non intellexisse

videantur. Quoniam vero hoc unicum Jubæ regis scriptum exstat, nolui equidem id a rerum ejus narratione abesse, et quoad facultas fuit, emendatum et latine conversum adposui, æquo libentique animo auditurus alium, qui melius exponat. Ambigua est sententia epigrammatis, nec satis adparet, Leonteus ipse de se, an Juba de eo loquatur. Natalis Comes illud, Dalechampius hoc sequutus videtur. Ego Jubam loqui existimavi :

Μή με Λεοντῆος τραγικοῦ κεν ἀρείφατος ἦχος (1),
 Τεύχων Ὑψιπύλης (2) ἐς κακὸν ἦθος, ὁρᾷ (3).
Ἦν μὲν γάρ ποτ' ἐγὼ Βάκχῳ φίλος, οὐδέ τις ὢν δή (4)
 Γῆρυν χρηστοτέροις (5) οὔασιν ἠγάσατο (6).
Νῦν δέ με χυτρόποδες, κέραμοι, καὶ τήγανα ξηρά
 Χήρωσαν (7) φωνῆς, γαστρὶ χαριζόμενοι.

Ne me amplius Martia vox Leontei tragici (vel tragœdus declamans) in theatro videat, qui male adeo Hypsipyles mores effingit. Equidem fui aliquando amicus Bacchi (artificum Dionysiacorum), nec sane quisquam vocem aliquam (tragœdi) *benignioribus admiratus est auribus. Nunc autem me ollæ, et fictilia, et aridæ sartagines voce ista privaverunt, dum ventri gratificantur.* Sed pergendum est ad reliqua Jubæ scripta. Celebratur inprimis volumen, quod Juba edidit *de Euphorbia herba.* Plinius eam laudat, lib. XXV, cap. 7: « Invenit et patrum nostrorum ætate rex Juba, quam ad-

(1) Vulgatæ κεναρήφαγον ἦχος, quod sensum non habet. Al. τὸν ἀρείφατον ἦχον. Cæterum ἀρείφατος ἦχος ὁρᾷ, pro eo, cujus ἦχος ἀρείφατος est, durius omnino dictum est. Sed simile illud inferius χρυσοβόλοις οὔασιν.

(2) Vulg. Χεύσσων Ὑψιπύλης. Al. Λεύσσων. Velim potius Τεύχων ἐς κακὸν, male effingens mores Hypsipyles.

(3) Vulg. ἐς κακὸν ἦτορ ὅρα, al. ἦθος.

(4) Sic scribendum putavi propter sequens ἠγάσατο. Vulg. οὐδέ τινων δή. Al. τινὸς δή.

(5) Vulg. χρυσοβόλοις οὔασιν, quod intelligi potest de auditore multum auri largiente tragœdo bene agenti. Al. χρυσοβόροις, quod non intelligo.

(6) Pro ἠγάσατο tentabam εἰργάσατο, vel ἠγάγετο, mutatis aliis : sed destiti.

(7) Vulg. χεύρησαν.

pellavit Euphorbiam medici sui nomine ». Petro Baylio, Dict. v. *Juba,* not. B, Plinius videtur minus accurate loquutus, qui dixerit, herbam a Juba esse inventam, quam nomine sui medici adpellaverit. Credibilius esse putat, quod Plinius alio loco, nempe libro V, cap. 5 sub finem, memorat, inventorem ejus herbæ medicum fuisse, ejusque caussa Euphorbiam a Juba nominatam. Quem locum subjungimus, quia etiam virtutes ejus herbæ exponit : « Similia prodidit Juba, Ptolemæi pater, de Atlante : præterque gigni ibi herbam Euphorbiam nomine, ab inventore medico suo adpellatam. Cujus lacteum succum miris laudibus celebrat in claritate visus, contraque serpentes, et venena omnia, privatim dicato volumine ». Præter Plinium laudarunt id volumen medici, ut adnotat Fabricius, Bibl. Gr. tom. XIII, p. 304; Galenus, lib. IX Pharmacorum κατὰ γένη, cap. 4, et Dioscorides, lib. III, qui inventionem Euphorbiæ Jubæ regi acceptam refert. Parvum librum περὶ ὀποῦ de opio, sive papaveris succo, laudat Galenus, tom. II, pag. 297. Librum Jubæ octavum *de pictoribus*, περὶ ζωγράφων, laudat Harpocration, verbo Παῤῥάσιος; *de pictura*, περὶ γραφικῆς, in Πολύγνωτος, cujus operis librum alterum citat Photius in Bibl. cod. 161. Enumeratis Jubæ scriptis adponere etiam possumus adversarium quemdam Jubæ, Didymum Chalcenterum, Grammaticum Alexandrinum, quem eodem cum Juba tempore vixisse, et multa contra eum scripsisse tradit Suidas in Ἰόβα.

Jubam regem ob beneficia in gentem suam post mortem a Mauris inter Deos relatum, et divinis honoribus cultum referunt Christiani scriptores. Minucius Felix, cap. 23 : « Nisi forte post mortem Deos fingitis : et pejerante Proculo Deus Romulus : et Juba Mauris volentibus Deus est ». Lactantius, Div. Inst. I, c. 15, 8 : « Privatim singuli populi gentis aut urbis suæ conditores.... summa veneratione coluerunt, ut Ægyptii Isidem, Mauri Jubam ». Possis hoc præcipue de Juba filio intelligere, cujus lenem et beneficum animum facile credas dignum honore et veneratione civium visum esse. Contra Juba pater crudelitate magis insignis fuit, et

extremo vitæ tempore ita odio habitus et destitutus a suis fuit, ut quum victus ad Thapsum a Cæsare esset, et salutem suam aliqua urbe regni sui tueri vellet, ad plures confugiens nusquam reciperetur, donec desperatis rebus omnibus in villa aliqua vitam voluntaria morte finire coactus est. Hirtius de Bell. Afr. c. 91 et 94; Dio, lib. XLIII. Neque Cellario in not. ad Minuc. l. c. credibile est, Jubam desperatione ultima sibi manus inferentem facile a Mauris consecratum fuisse. Sed rectius observare ad eumdem locum Lindnerus videtur, Maurorum hunc animum fuisse, ut omnes suos sine discrimine reges pro Diis haberent, quocumque mortis genere periissent. Idque confirmant alii scriptores Christiani. Tertull. Apol. cap. 24 : « Unicuique provinciæ et civitati suus Deus est.... ut Africæ Cælestis, ut Mauritaniæ reguli sui ». Cyprianus, de idol. van. c. 2 : « Mauri vero manifeste reges suos colunt, nec ullo velamento hoc nomen obtexunt ». Ipse Lactantius paullo ante loc. cit. « Hac ratione Romani Cæsares suos consecraverunt, et Mauri reges suos ». Hunc morem reges consecrandi ita receptum apud Mauros fuisse, ut ne quidem crudelitate eorum offenderentur, doceat Spartiani locus, ubi crudelitatem Imperatoris Severi notat, c. 13: « Horum igitur tantorum ac tam illustrium virorum interfector ab Afris ut Deus habetur ». Erat enim genere Afer. Ipsum nomen Jubæ tam venerabile apud Mauros fuit, ut qui regium inter eos imperium adfectarent, quo magis commendati et gratiosi essent, Jubæ nomen adsumerent. Tacitus, Hist. II, c. 58, narrat, bello civili Vitelliano famam fuisse, *Luceium Albinum*, Mauritaniæ præfectum, *spreto Procuratoris vocabulo, insigne regis et Jubæ nomen usurpasse*. Sed consecrationem Jubæ senioris, de quo plus dubitationis esse potest, certiorem facere videntur nummi veteres, quorum unus, isque frequentissimus, a Laur. Begero, Jac. Sponio aliisque propositus, in aversa parte templum octo columnarum exhibet, haud aliud quam divinitatis signum. De Juba Juniore ejusmodi consecrationis monumentum non reperitur. Nam quæ in nummo ejus apud Sponium conspicitur ara, in qua cycnus, avis Africæ familiaris, cum adpositis

utrimque ramis lauri, illa ara divi Augusti esse videtur, a quo omnia Juba accepit, et duæ lauri Sponio videntur referre lauros Cæsarum janitrices, quæ foribus adstabant palatii. Vid. Ovid. Metam. I, 562, et quæ ipse commentatus sum Excursu III ad Calpurn. Ecl. IV (hujus nostr. op. tom. I, part. I, pag. 470. Ed.)

Jam de *Duumviratu* reipublicæ Gaditanæ videndum est, quem a Juba rege gestum perhibet Avienus. Id quidem non alio scriptoris veteris testimonio constat, potest tamen convenientibus quibusdam aliis monumentis illustrari. An verum usque sit, Jubam *illustriorem se urbis istius Duumviratu credidisse*, equidem non pertenderim, id saltem pro certo habeam, pro magno Gaditanorum, suoque ipsius, in Cæsarem Augustum studio, atque ad tuendam hujus in populis Hispaniæ potestatem, oblatum Duumviratus honorem non Gadium modo, sed et plurium civitatum Hispaniæ suscepisse libenter, gratumque habuisse. Erat enim urbs Gaditana in primis addicta Cæsari, quod a Julio Cæsare, pacata Hispania, civitatem Romanam acceperat, teste Dione Cass. lib. XLI, et propterea *Augusta urbs Julia Gaditana* adpellata (Plinius, IV, 22), propter opes autem insigni præsidio rei Romanæ esse poterat. Mos erat, ut gentes et civitates exteræ viros e Romanis illustres, qui eas primum rei Romanæ adjecissent, aut civitate Romana donassent, patronos sibi adoptarent. Eam ob caussam Gaditani generum Cæsaris Augusti M. Agrippam Patronum suum nuncuparunt, quod plurimi Gaditanorum nummi testantur, in quibus Agrippa PATRONUS vel PARENS Municipii Gadit. vocatur. Agrippa demortuo forte Gaditani, ut in eadem domus Cæsareæ tutela manerent, Jubam regem substituerunt : neque mihi dubium est, quum ei Duumviratus honorem detulissent, simul Patronum coloniæ suæ designasse. Certe utrumque ei contigisse in alia urbe Hispaniæ maritima, Carthagine Nova, demonstrat lapis antiquus ea in urbe repertus, cujus inscriptionem ex Reinesii Syntagm. p. 329, hic integram transcribam :

REGI. IVBAE. REGIS
IVBAE. FILIO. REGIS
HIEMPSALIS. N. REG. GAV.
PRONEPOTI. REGIS. MASI
NISSAE. ABNEPOTI. N. E. P. D. I.
II VIR. QVINQ. PATRONO
COLONIAE.
COLONI. ET. INCOLAE
LIBERTINI

Singularias literas, quæ versu quinto occurrunt, Reinesius in Indice interpretari tentat: *Nomini Ejus Ponendum Dicandumque Jusserunt;* Sponius: *Numini Ejus Plurimum Devoti Jusserunt.* Sed hæ formulæ minus videntur convenire verbis sequentibus, quibus tituli Jubæ continuantur. Itaque malo: *Nunc Etiam Publico Decurionum Jussu.* Quidquid id est, lapis hic dicatur *Jubæ Regi Duumviro Quinquennali*, *Patrono Coloniæ.* Quod ipsum confirmat, qui plane idem præfert, nummus antiquus a Gesnero, Reg. min. gent. Tab. 3, fig. 18, et a Liebio in Goth. num. p. 41 propositus, et Carthagini Novæ haud temere adscriptus, qui in adversa parte florem loti exhibet cum inscript. IVBA REX IVBAE F. II V. Q. *Duumvir quinquennalis;* in aversa CN. ATELLIVS PONTI. II V. Q. *Pontifex*, *Duumvir Quinquennalis*, cum instrumentis pontificalibus quatuor. Ex quo intelligimus, Jubæ Regis in Duumviratu Carthaginis collegam fuisse Cn. Atellium, eumque Pontificem. Qui monumentum superius ei posuerunt, dicuntur *Coloni et Incolæ Libertini.* Frequens Libertinorum nomen per colonias Hispanicas est. Ortum eorum et primam coloniam tradit Livius, lib. XLIII, c. 3, qui memorat, homines super quatuor millia, qui se ex militibus Romanis et ex Hispanis mulieribus, cum quibus connubium non esset, natos profiterentur, ex Hispania per legatos Senatum orasse, ut sibi oppidum, in quo habitarent, daretur. Senatum decrevisse, ut ex iis qui manumissi essent, Carteiam ad Oceanum deducerentur. Hanc coloniam Libertinorum, quæ Carteiæ subcrevit, haud dubie aliæ deinceps

sequutæ sunt, quæ maritimas Hispaniæ urbes insederunt, fortasse etiam a colonis ex Africa missis, et pari conditione natis, subinde auctæ sunt. *Libertinos Municipii Suelitani* in Hispania Bætica nominat inscriptio apud Reines. pag. 131, et Spon. Sect. V, p. 189, et Reinesius in comment. ad hanc inscript. p. 136, item in Epist. XXXI ad Hosm. monet, in alia inscriptione Antiquariæ Hisp. reperta, p. CCCXCV, n. 7, et CCCCXXVI, n. 8. Grut. item in Salernitana, p. CCCCLXXIII, n. 8, pariter Libertinorum mentionem fieri. Fortasse Gaditana colonia æque ac Carthaginiensis multos ejusmodi libertinos habuit, eosque e Mauritania Numidiaque traductos, unde ratio aliqua potuit esse, cur Jubam regem sibi Duumvirum et Patronum optarent. Gaditano Jubæ honori addere possumus alium, a peregrina gente ei exhibitum. Quippe Pausanias in Attic. c. 17, memorat, Athenis in gymnasio, quod Ptolemæum vocatur, *Jubæ Libyco* statuam fuisse positam.



EXCURSUS II

AD AVIENI ORAM MAR. vs. 637 seqq.

At rupis illud erigentis se latus,
Quod edit amnem, gentici cognominant
Solis Columnam; tanto enim fastigio
In usquè celsa nubium subducitur,
Meridianus sol ut opposito jugi
Conspicuus haud sit, etc.

Hic locus mihi maxime memorabilis, et documentum specimenque vetustissimæ et valde rudis geographiæ esse videtur, quem operæ pretium sit plenius accuratiusque exponere. Nam ex inscita opinione veterum gentium, accolarum Rhodani, cujus aliud specimen infra v. 684 adfert, memorat Avienus, in Alpibus, ad fontes Rhodani, esse ingentis fastigii montem, *Solis Columnam* vocatum, qui lucis noctisque vices dividat, ita quidem, ut, quando sol cursum diurnum confecerit, ad hujus montis, tamquam metæ, ingentem molem perveniat, ejusque opposito obtectus lucem neget terris et noctem ingruere faciat. Ita enim intelligendam esse hanc Columnæ Solis adpellationem, abunde docent sequentia, quibus Epicureorum de cursu solis sententiam comparat, et luculente explicat ad versum usque 663. Nempe *meridianum solem* versu 641 dicit eum, qui *meridianam orbitam*, quam versu 652 nominat, cursu diurno confecto peragravit, et nunc in septemtrionalem transit. Nam vetustorum hominum, quam hoc loco respicit poeta, rudis opinio omnem cæli et orbis terræ, quam sol obiret, ambitum in duas divisit plagas, in meridianam, quam sol conficeret ab ortu ad occasum diei; et septemtrionalem, quam horis nocturnis, a vespera ad auroram. Hinc subjicit: *quum relaturus diem Septemtrionum accesserit confinia*. Et per *confinia Septem-*

trionum hunc ipsum montem intelligit, cujus opposita solis radii auferuntur, et nox inducitur, quemque versu 657 *Metam* nominat. Ratio et fundamentum tam ineptæ de cursu solis existimationis fuit, quod orbem terræ non globosum, ut meliores philosophi, sed planum, disci vel tympani instar, sibi fingerent, quem circum et supra ferretur sol, et omnem simul planitiem terræ radiis perstringeret, quousque nempe montes illi ad plagam septemtrionalem non obstarent. Vetustiores quidem homines, doctos æque et Physicos, planam esse figuram terræ existimasse, atque alios ei formam quadrangulam cubi vel mensæ, alios oblongam, alios semicircularem tribuisse, testantur Cleomedes, κυκλικῆς θεωρ. μετεωρ. lib. I, cap. 8, p. 377 edit. Basil. 1561, et Agathemerus, γεωγραφ. ἐν ἐπιτ. cap. I, tom. II Geogr. min. Huds. neque dubium est, qui sic de forma terræ statuerent, eos simul circuitum solis in plano factum adoptasse, qui discrimina dierum et noctium non aliter faceret, quam interjecto aliquo jugo montis, vel opposita altitudine in parte Septemtrionali. Sic enim satis clare sententiam eorum mox exponit Avienus, v. 645:

> .... non eum occasu premi,
> Nullos subire gurgites, nunquam occuli,
> Sed obire mundum, obliqua cæli currere, etc.

Neque vero e libris hodie superstitibus veterum scriptorum mihi locus succurrit, qui planitiem eam terræ, et descriptum secundum eam ambitum solis ex opinione vetusta rudiorum sæculorum describeret. Omnium potius libris et disputationibus confirmatur, quod Cleomedes dicto loco subjicit: Οἱ δὲ ἡμέτεροι καὶ ἀπὸ τῶν μαθημάτων πάντες, καὶ οἱ πλείους τῶν ἀπὸ τοῦ Σωκρατικοῦ διδασκαλείου, σφαιρικὸν εἶναι τὸ σχῆμα τῆς γῆς διεβεβαίωσαν. Quo magis memorabilis hic locus Avieni est, qui vetustissimorum Græcorum traditiones consectari solet, et opinionem istam primi ævi de sole orbem terræ planum circumeunte forte solus descripsit. At recentioris ævi scriptores Christianos, et doctores veteris ecclesiæ plerosque, vetustam illam et obsoletam sententiam, quia dictis sacrarum literarum

accommodatam crederent, revocasse et adseruisse, satis constat. Memorari inprimis meretur Cosmas, qui Indicopleustes cognominari solet, Ægyptius monachus, scriptor sæculi sexti, qui in *Topographia Christiana* hanc, de qua loquimur, doctrinam summo studio defendit, sed et multis ineptiis implicuit, eoque nostrum Avieni locum ita illustrat, ut nihil supra. Edidit eum librum Bernhardus *de Montfaucon* tomo II Collectionis novæ Patrum et scriptorum Græcorum, a pag. 113, et præfationis capite II Cosmæ opinionem de mundo ita exponit: « Mundum esse planum, ac terræ superficiem quadram et oblongam.... Hunc vero parallelogrammum muris claudi; murosque a parte orientali et occidentali, ab imo ad fastigium rectos in semicirculum desinere; a parte vero septemtrionali et meridionali erectos item muros esse, donec ad semicirculum pertingant.... Firmamentum porro, ceu lacunar quoddam, ubi muri in semicirculum deflecti incipiunt, extendi.... Utque noctium, dierum et eclipsium rationem explicet, ad extrema septemtrionis montem altissimum esse comminiscitur : et circa montem solem, lunam et astra cursum peragere pugnat; ita ut, quum sol adversam nobis montis partem respicit, tum nobis adpareat, diesque sit; quum autem pone montem cursum peragit, tum noctem efficiat ». Hæc Montefalconius. Eamdem Cosmæ sententiam breviter proposuit, et quo melius intelligatur, schema ejus mundi, figura ære descripta adumbratum, adjunxit J. A. Fabricius, Bibl. Græc. lib. III, c. XXV, vol. II, p. 613. Qui quum dicto loco subjicit, nescire se, tota res an apud quemquam alium Veterum sit obvia, adparet, magnum virum, quem nihil fere veterum rerum scriptorumque fugeret, hunc tamen Avieni locum ignorasse, qui eam sententiam non e Christianis, sed veteribus Græcis repetit, et diserte Epicureis tribuit, cæterum plane gemina cum adsertis Cosmæ habet. Hoc ut cuique manifeste adpareat, adponemus nunc locum Cosmæ primarium, quo, circuitus solis circa montem in medio positum quomodo dierum noctiumque vices efficiat, describit, eumque ut lector cum versibus Avieni a 653 ad 663 comparet,

rogabimus. Ita vero Cosmas libro IV, pag. 188, e versione Montefalconii: « Sol oriens, et meridiem secundum conversiones suas decurrens, semper altitudinem terræ, sive ipsam terram collustrans, ultra terræ altitudinem illam, versus Oceanum et ulteriorem terram, noctem efficit: ac rursus ad occidentem et aquilonem deveniens supra altitudinem terræ, hic noctem efficit, donec circumveniens ad demissiores orientis partes adpareat, ac rursum ad meridiem adscendens hoc universum illuminet ». Merito Cosmæ addimus alium scriptorem Geographiæ Christianum, anonymum Ravennatem, quem Abr. Gronovius cum Pomp. Mela edidit. Hic enim orbis terræ regna descripturus eum sibi omnino planum et patentem fingit, atque in meridianum et septemtrionalem marginem divisum, per quorum alterum sol vel diei vel noctis horas peragat. Hinc omnium gentium patrias (hoc ejus vocabulum est) et situm earum per duodecim diei horas describit, ita ut prima hora solem accipiant Indi, duodecima et extrema Britones et Scoti: pariter reliquas gentes ad septemtrionem per totidem noctis horas recenset. Idem contendit, quamvis in prima hora diei sol quasi super Indorum stet patria, attamen in eadem hora in totum respicere mundum (ipsius verbis utor); quod sane fieri nisi plano et æquali prorsus mundo non potest. Ex dictis auctoris etiam colligere necesse est, statuisse eum, ubi sol per meridianum marginem plures gentes et terras percurrerit, et ad septemtriones pervenerit, ut nox in terris peragratis consequatur, debere eum objecto aliquo impedimento lucis occultari. Et quidem de septemtrionali plaga dicturus primo adfirmat, solem sub profunditate Oceani Arctoam partem noctu exambulare; mox autem ex aliorum Philosophorum sententia subjicit, intra Oceani mare innumerabili spatio, investigabili itinere maximos montes esse, post quos, quando sol occasum accipit, totam perambulet noctem, usque dum rediens secundum suum tempus mane, post ipsos montes iterum hominibus adpareat. Hæc Ravennas ille pag. 745 Gronov.

Recitatis igitur Geographorum testimoniis, quibus vetus

illa ab Avieno prolata opinio, de sole orbem terræ planum peragrante, quasi revocata probatur, nunc eo revertimur, unde initio processeramus, ad *Columnam Solis*, seu rupem ingentem, quam inter Alpes et ad fontes Rhodani in nubes usque subduci adfirmabant veteres Galliæ populi Rhodanum adcolentes, præsertim Ligures. Hanc quia dicebant meridianum solem, ubi septemtriones adit, occultare, plane mihi videntur istæ gentes ipsas Alpes, quibus includebantur, pro istis montibus habuisse, qui ex antiquissima superstitione plagam orbis terræ meridianam et septemtrionalem, cum iisque dierum noctiumque spatia, dividere credebantur (1); partem autem eam Alpium, quæ sibi extrema videbatur, *Columnam Solis*, i. e. metam adpellasse, quia credebant, hunc terminum esse cursus solis meridiani, quo tacto in partes septemtrionales flecteret. Etenim idem isti hac adpellatione significare voluerunt, quod alii, qui finem mundi occiduum Atlanta montem esse credentes, hunc columnam magnam, vel axem esse dixerunt, quem circum solis orbis verteretur. Avienus, Deser. Orb. v. 100:

.... Hic tumet Atlas
Arduus, hic duro torquetur cardine cælum,
Et circumfusis vestitur nubibus axis.

Ubi *axis* idem ac columna est. De Artabro, extremo Hispaniæ promontorio, Plinius, haud dubie e vetustorum scriptorum sententia, scribit lib. IV, c. 21, illud *terras, maria et cælum disterminare*. Quæ verba sic explicat Salmas. Exerc. ad Sol. p. 195: « Finit Hispaniæ latus, sic terras dividit. Maria vero

(1) Insunt ejusdem opinionis vestigia in Argonauticis Orph. quorum auctor Cimmerios Alpibus a septemtrione vicinos facit, et limitem inter Oceanum Occidentalem et Chronium ponit promuntorium in litore Acherontio ex Alpibus ductum. Vid. C. T. G. Schœnemanni Geographia Argonaut. p. 29 et 38. Neque dubito, quin commentum poetarum, Cimmerios perpetuis damnatus tenebris fingentium, ex antiqua illa opinione ducenda sit, quia, quum populos dimidii urbis esse crederent, apud quos sol ageret sub horis nocturnis, his etiam noctis et tenebrarum sedem adsignabant.

et cælum ita distinguit : ab una parte circuitus ejus incipit Septemtrio et Oceanus Gallicus; ab altera occasus et Oceanus Atlanticus ». Similiter antiqui illi Celtæ et Ligures, quum ad extremam partem Alpium, tamquam ad metam, putarent cursum solis, terras illustrantis, deferri, atque ex meridiana plaga in septemtriones flecti, ultra quos nihil esset nisi ignotum mare, hinc eo monte terras pariter et cælum mariaque credebant disterminari. Atque ista divisio per Artabrum promontorium recentiorum temporum, et prolatæ ad Oceanum usque Atlanticum terrarum notitiæ est; hæc opinio, quæ columnam vel metam solis putabat partem Alpium, ad ætatem antiquiorem et angustissimam geographiam pertinet, quæ terram habitatam ad occasum flumine Rhodano finiebat, quæ ultra sunt, parum cognita habebat. Patet hoc maxime ex Apollonio Rhodio, qui ubi errores in reditu Argonautarum describit, speciem aliquam sistit veteris et angustæ notitiæ orbis. Huic Rhodanus cum Eridano Italiæ conjunctus (1) ab extremis terræ, adeoque noctis sedibus, ortum ducit (Apollon. IV, 630 seqq.), et tribus brachiis, altero ad Oceanum, altero ad sinum Adriaticum, per Eridanum puta, tertio in Sardoum mare diffunditur. Omnis terra Celtarum est : prope Sardoum mare ad Rhodanum Ligures, s. Ligyes. Ab occasu Rhodani terra lacubus repleta, qui cum Rhodano æque ac Oceano ex altera parte miscentur. A Septemtrione in primis prætenti montes et saltus Hercynii. Bene hæc omnia conveniunt ad demonstrandum, *Columnam Solis*, quam Avienus memorat, antiquissima opinione hominum pro meta solis orbem terræ obeuntis, et fine terræ cognitæ fuisse habitam. Si Rhodanus secundum Apollonium ab extremis terræ oritur, certe rupes illa, quæ ad fontes Rhodani, Columna solis ob eam ipsam rationem dicta est, quod in extremis terræ esset. Eodemque loco noctis sedem dicere poeta potuit, quod in ea rupe confinium

(1) Utor verbis cl. Schœnemanni, qui mihi hac in parte vetustæ geographiæ ex Apollonio informanda otium fecit, in Comment. de Geographia Argonaut. pag. 59.

Septemtrionum esse crederetur, quæ sunt ipsæ noctis sedes, quando dies in meridiana et habitata parte terræ est. Jam qui a meta solis occasum versus profluebat Rhodanus, facillime pro fine terræ habitatæ haberi ab rudi populo poterat. Confirmant ea, quæ Apollonius prodit, ab occasu Rhodani terram lacubus repletam esse, eosque lacus cum Rhodano æque ac Oceano ex altera parte misceri. Hæc certe docent, de regionibus, quæ ultra Rhodanum essent, obscuram tantum famam habuisse Veteres, et quia sciebant, frequentes ibi lacus cum ipsoque Rhodano conjunctos esse, hinc credidisse, lacus istos aut principium esse Oceani terram finientis, aut certe terram inhospitam et inhabitabilem reddere. Mihi non est dubium, a vetusta illa opinione, de Rhodano terræ habitabilis fine, profectum esse, quod Virgilius, Homerum Iliad. XVIII, 576, imitatus, apud Inferos amnem Eridani superne per silvam volvi diceret, Æn. VI, 659:

.... unde superne
Plurimus Eridani per silvam volvitur amnis.

Nam Eridanum cum Rhodano, quem Homerus dicto loco nominare videtur, sæpe a Veteribus confusum esse, multis demonstravit Jan. Rutgersius, Var. lect. lib. VI, c. 4, et Cluv. Germ. ant. lib. III, c. 34, p. 635 (1). Quando denique

(1) Paria fere de Eridano ad Inferos labente sentit, eumque ad extremos terræ cognitæ fines refert Jo. Henr. Vossius, V. C. in commentario ad versionem Germ. Georgicorum Virgilii, pag. 67 seq. in hoc tamen a me discedit, quod Eridanum, quem ego de Rhodano, ille de Rheno intelligendum putat. Rationem sententiæ suæ præcipuam petere videtur a Rheni in Oceanum Septemtrionalem excursu. A cujus ostiis quum oram Oceani Septemtrionalis ad extremos usque Scythas extenderent Veteres, ad eamque perpetuarum tenebrarum sedem et umbrarum regnum esse suspicarentur, hinc poetas, ait, in describendo heroum ad Manes descensu, Eridani mentionem facere, quasi in aditu Inferorum strepentis, aut plane ad Inferna regna devoluti. Equidem, quod sententiam ipsam adtinet, qua Eridani apud Inferos mentio declaratur, viro eruditissimo libens adsentio, cætera tamen poetarum de Eridano commenta si dispicio, non ea videntur ejusmodi, ut Rhenus eo nomine spectari potuerit. Eridanum ita collocant, ut non tam Septemtrionem eo signari veliut, quam

Apollonius prodit, a septemtrione Celtis et Liguribus prætendi montes et saltus Hercynios, hujus rei ipsa *Columna Solis* documentum est, quæ in extrema parte Alpium erat, et meta esse credebatur, ad quam sol in Septemtriones de-

Occidentem, et extremas Europæ partes, quas Hesperiam vel Iberiam vocant. Neque noctis et tenebrarum sedem solo Septemtrione definiunt, sed adsignant maxime Occidenti, ad Septemtrionem continuato. Quamquam igitur Herodotus, isque solus, Eridanum ex fabula antiqua refert in Oceanum Septemtrionalem effundi, eumdem tamen partibus Europæ extremis adsignat, cæterum fabulam ipsam damnat aperte, atque ut errorem manifestum ex ipso Eridani nomine, Græco, non barbaro, arguit. Corrigit quodammodo hunc errorem Apollonius, et Rhodanum, cum Eridano Italiæ conjunctum, dicit in extremis terræ, et sedibus noctis, h. e. in Hesperia oriri, atque uno brachio in Oceanum evolvi, non Septemtrionalem, sed Atlanticum, uti diserte exprimit Avienus, Or. mar. v. 678. Consentit Æschylus apud Plinium, et Eridanum in Iberia esse dicit, eumdemque Rhodanum adpellari. Non igitur videtur in Eridani nomine fluvius spectari potuisse, qui ad Septemtriones in mare effluat, qualis est Rhenus: majori jure potuit alius, ad Occidentem magis vergens et Rhodano vicinus, Liger aut Garumna, quod Eridanus in Atlanticum mare delabi dicitur. Et antiquissimis temporibus non ea Rheni notitia fuit, ut Eridano significari potuerit. Rhodanus potius cum Alpibus, ut hactenus Avienum vidimus ex antiquis scriptoribus referre, a vetustis gentibus pro fine orbis habitati est habitus, unde limes Septemtrionalis plagæ et noctis confinia ducerentur; quæ ultra Rhodanum ad Septemtrionem essent, fuerunt incognita. Hercynii quidem montis, qui ad Septemtrionem porrigitur, mentionem injicit Apollonius, e quo Junonem, ait, cælo delapsam Argonautas, e Rhodano ad Oceani rupes asperas delatos, de periculo monuisse. Quem Hercynium quum scriptores alii Germaniæ potissimum ulteriori adsignent, hinc clariss. Vossius ab Apollonio credit indicium Rheni fieri, per saltus Hercynios fluentis. At mihi quidem ex Apollonio, qui Argonautas diserte per Rhodanum navigare facit, nihil aliud liquet, quam Hercynios montes ab eo vicinos Rhodano poni, quos etiam Veteres alii cum Alpibus confundebant. Clarius hoc significat ille, ubi Argonautas, ex monte Hercynio monitos, et per Rhodanum ad Sardoum pelagus retroactos, dicit gentes Celtarum et Ligurum peragrasse. Sic enim Hercynios Celtis et Liguribus prætendit, ad ulteriora Septemtrionis, ubi Rhenus, non ascendit. Atque ex hactenus disputatis mihi quidem adparere videtur, vetustiores historias sive fabulas, ubi Eridanum nominarunt, non alium magis, quam Rhodanum, significare potuisse, quam adpellationem etiam similitudo nominis summopere juvabat.

flecteret. Saltus Hercynios longe dissitos non moror, qui Celtarum etiam nomen longe patuisse scio.

Ad opinionem illam veterem Celtarum de Rhodano, fine orbis habitati, referendum adhuc puto, quod Avienus haud multo post de Liguribus narrat, credidisse eos Europam et Libyam flumine Rhodano disterminari, v. 684. Ridet eam opinionem, ut inscitiam barbaram, Avienus, sed non majore jure, quam ridere istam de Columna solis debuisset, si ejus adpellationis caussam, quam ipsi dedimus, perspexisset. Qui enim Rhodanum finem orbis esse, et misceri Atlantico Oceano putabant, quique mare, quod inter Europam et Africam est, quod ipsi nunquam tentassent, nec magnitudinem ejus explorassent, pro continuatione Rhodani inscite habebant, hi facile eo duci poterant, ut Rhodanum crederent Europam et Libyam disterminare; quemadmodum, qui postea orbe melius cognito fines terræ ad fretum Gaditanum et columnas Herculis proferebant, eodem freto dicebant Europam Libyamque disterminari. Non est igitur, ut sententiæ Is. Vossii ad Pomp. Mel. p. 176, qua absurdam Ligurum opinionem tollere conatur, accedamus, quando accolas Rhodani, ait, eum amnem Λιγύης, nempe Liguriæ, terminum dixisse, non Λιβύης, atque adeo apud Avienum *Ligyam* pro *Libyam* legendum existimat. Neque enim ea lectio vel hanc ob caussam habere locum potest, quod sic Liguria, pars Europæ, male dicitur ab ipsa Europa dividi: et si Ligures nihil aliud, quam Rhodano finiri Liguriam, dixerunt, quod res est, et ab omnibus geographis agnoscitur, sane non erat, cur illud tamquam memorabile Ligurum antiquorum commentum referret Phileas, et tamquam absurdum reprobaret Avienus. Hæc igitur inepta persuasio Ligurum ex eodem fonte manavit, quo Rhodanum finem terræ, et Columnam solis ad fontes Rhodani, cum Alpibus ei conjunctis, duas mundi plagas, et lucis noctisque vices finire crediderunt. Quapropter has persimiles sibi et invicem conjunctas fabulas una exponere et declarare hoc Excursu tentavimus.

R. F. AVIENI
CARMINA MINORA.

RUFUS FESTUS AVIENUS V. C. FLAVIANO MYRMECIO V. C. *

Qua venit Ausonias Austro duce Pœnus ad oras,
Si jam forte tuus Libyca rate misit agellus
Punica mala tibi, Tyrrhenum vecta per æquor,
Quæso aliquid nostris gustatibus inde relaxes.
Sic tua cuncta ratis plenis secet æquora velis,

* Editio Veneta, quæ hoc poematinm reliqnis Avieni præmittit, ex eaque Pithœns, inscribit: Rufus Festus Avienius V. C. Flaviano Myamrico V. C. suo salutem. Burmannns hanc inscriptionem nominibus Avieni et Myrmecii emendatius positis castigavit, atque illud *suo salutem* recidit, quod ineptum est, et a librario adsntum. *Flavianus* ille qui fuerit, et unde ei eognomentum Myrmecii, exposuimus in procemio ad Avienum, ubi de Flaviano, amico Avieni. Nempe hoc eognomentum ab iis ipsis prædiis vel agellis, quos poeta hoc earmine laudat, aceepisse, ibi ostendimus. Indicat Flaviano prædium vel villam fuisse in Africa, quales mnltas Clodiorum et Aniciorum gentem in provincüs imperii Rom. possedisse, dieta in præfat. ostendimus. (Huj. tom. p. 27, ubi citatnr Amm. Marcell. Ed.) Et Flavianus hic Vicarius Africæ, ut pater ejus Proconsul fuerat.

1. *Qua venit*, qua via vel regione. Formula cum τῷ *qua* Nostro admodum familiaris est, ut ex ipso principio Periegesis videre est: *Qua protenta jacent*, etc. et mox v. 9. *Pœnus* sc. navita, ex Africa solvens.

2. *Tuus Libyca rate misit agellus.*

3. *Tyrrhenum vecta per æquor. Invecta* legebat Heins. et v. seq. *relaxes*: nam *relaxis* vitiose in ed. Pith. et Veneta Victoris Pisani. Burm.

4. *Nostris gustatibus inde relaxes*, h. e. inde separes vel detrabas aliquid, et nobis largiaris ad gustandum. Hac significatione verbum *relaxare* apud melioris ævi scriptores vix reperias. Sed *relaxare* pro *largiri* dieitur, qnemadmodnm *prolixus* pro *liberali*, et contra *adstrictus* vel *contractus* de parco vel avaro: *adstrictus pater* apud Propert. II, 23, 18.

Spumanti dum longa trahit vestigia sulco,
Romuleæque Phari fauces illæsa relinquat.
Sit licet illa ratis, quam miserit alta Corinthos,
Adriacos surgente Noto qua prospicit æstus,
Quamve suis opibus cumularit Hiberia dives;

6. *Spamanti dum longa trahit vestigia sulco*, quod indieio est, navem ventis faveutibus valide impelli et provehi. Virg. Æn. III, 268 : « feri mur spumantibus undis ». — *Spumanti cum* Pith. et Ven.

7. *Romuleæque Phari*, ita castigavi ex cod. Vossian. quomodo etiam eonjecerat Heins. et cl. Schraderus : licet maseulino genere *Alexandrini Phari* apnd Suet. Claud. 20; ubi tamen *Alexandrinæ* ex libris emendatiorihus præfert Voss. de Anal. lib. I, 32. Sed quia *Romulcique fari* in eisdem vetustis editionibus, hinc *foci* etiam posset elici, ut apud Ovid. Met. XI, 393, legebat Heinsius, *erat ardua turris Arce focus summa*, pro Pharo; vel cum cel. Oudendorpio *Romulcique fori:* cui *Phari fauces* merito displicebant, et si *Scyllæique freti*, vel simile quid scripsisset auctor, clarius videbatur. Burm. — De freto Siculo hie cogitasse videtur Oudendorpius. At *Romulea Pharos* est, quæ *Tyrrhena* dicitur Juvenali, Pharos portus Ostiensis, Sat. XII, 75 seq. « Tandem intrat positas inclusa per æquora moles, Tyrrhenamque Pharon, porrectaque hrachia rursum, Quæ pelago currunt medio, longeque relinquunt Italiam ». Hune portum Ostiæ, cum turri altissima, ad exemplum Alexandrinæ Phari, ingenti opere exstructum a Claudio Cæs. esse narrat Suet. Claud. 20 extr. Qui deseriptionem illius portus legat, illi *fauces Phari* displicere nequeunt. — *Fauces illæsa relinquat.* Sensus est : Tam feliciter navigationem peragat, ut portum Ostiensem adtingens, et fauces Phari transiens, plane illæsa reperiatur.

8. *Quam miserit alta Corinthos.* Duas naves ait Flaviano servientes e diversis maris mediterranei partibus veuire : unam e portu Corinthiaco, alteram e Libyco solvere : illam oneratam opibus Iberiæ, hanc Africæ.

9. *Adria consurgente Notus qua prospicit æstus*. Sie Ven. et Pith. et Rivinus. *Noto* corrigebat Schottus. Lege cum N. Heinsio : « Adriacus surgente Noto quam prospicit æstus ». Burm. — Sed mare prospieere urbem haud usitate dicitur; uti olim monui ad Nostri Perieg. vs. 137; sed urbs maritima prospicit mare. Ita lego potius : « Adriacos surgente Noto qua prospicit (Corinthos) æstus ». Hæc lectio propius accedit ad scripturam primæ edit. versumque concinnat ad formam primi *Qua venit Ausonias*, etc. et portum Corinthi designat, qui est ad mare Adriaticum.

10. *Hiberia dives*. Manifestum est, Iberiam orientalem indicari, quæ fertilitate, coloniis et commerciis Romanorum tum temporis celebratissima erat, unde incolæ sigillatim γεωργοί dieebantur, et hodiernum nomen Georgia est. Hic locorum, circaque Myrmecium in Chersoneso Taurica, Flavianum prædia habuisse, monui dicto loco

Solverit aut Libyco quam lætus navita portu.
Sed forsan quæ sint, quæ poscam mala, requiras:
Illa precor mittas, spisso quibus arcta cohæret
Granorum fetura situ, castrisque sedentes,
Ut quædam turmæ, socio latus agmine quadrant,
Multiplicemque trahunt per mutua vellera pallam,
Unde ligant teneros examina flammea casses.
Tunc ne pressa gravi sub pondere grana liquescant,

procemii mei. Navis Flaviani hinc merces deportabat Corinthum, et inde Ostiam.—*Hiberia dives*. Quamvis bene de Iberia orientali huc epitheton possit intelligi, notandum tamen alias occidentalem Iberiam *divitem* Nostro dici, Descr. O. v. 479: « tellus ibi dives Hiberum ». Ed.

14. *Granorum fetura situ. Sinu* legit Heinsius in curis secundis ad Auctorem carminis de Phœnice, v. 125: et per *vellera*, v. 16, intelligit tegmina, quibus involuta sunt Punicorum malorum, quæ hoc carmine describuntur, *grana*, de quibus vide eumdem ad Ovid. Met. X, 736: illud vellus *Ciceum* vocari tradit Festus: « Ciceum, membrana tenuis malorum Punicorum »: ubi vid. Scalig. BURM. — Quod firmat Isidori Glossarium: « *Ciceum*, mali granati membrana »; sive ut in aliis Gloss. manuscriptis legitur: « *Ciccum*, cortex mali granati »: ab eo proverbium est « ciccum haud interduim », quod e Plauto adfert Varro, de Ling. Lat. lib. VI, p. 80: « Ciccum dicebant membranam tenuem, quæ est in malo Punico discrimen, a quo etiam Plautus dicit: « Quod volet densum ciccum non interduo ». Gallice *un zeste*. Ed.

15. *Socio latus agmine quadrant*, ex Horatio, lib. I, Epist. 6, 35, « et quæ pars quadret acervum », desumptum putabat Oudendorpius, qui tamen *claudunt* hic legendum conjiciebat. BURM. — *Quadrari* dicuntur, quæ ex omni parte æqualiter apteque coagmentantur, eoque perfectam formam accipiunt, adluditurque ad formam castrorum, quæ quum universa, tum singulis in divisionibus, erant quadrata. « Quadrandæ orationis industriam » dicit Cic. in Orat. cap. 58.

16. *Per mutua vellera pallam*. Heinsius conjiciebat: « Multiplicemque trahunt per mutua vellera telam ». BURM. — Fortasse *pellem* legendum est, quasi tentorium, ut rursus adludatur ad castra et exercitum, qui hieme *sub pellibus agere* dicitur.

17. *Unde ligant teneros ex agmine flammea casses:* sic Veneta Vict. Pisani, et Pithœi editio. *Et agmine* cod. Voss. lege *examina* cum Heinsio, et Vlitio ad Nemes. Cyneg. 91, qui recte censet *exagmina* prius scriptum esse pro *examina:* et sic Heins. in Addendis Epistolarum ad Daum. *Sexangula* etiam conjecerat Heinsius. BURM.—Reposui *examina flammea*, i. e. grana rutila, quemadmodum Columella, X, 243: « arbos Punica, quæ rutilo mitescit tegmine grani ». *Calles* pro *casses* in textu Burmanni exstat, fortasse vitio operarum.

Divisere domos, et pondera partibus æquant.
Hæc ut, amice, petam, cogunt fastidia longis
Nata malis, et quod penitus fellitus, amarans
Ora, sapor nil dulce meo sinit esse palato.
Horum igitur succo forsan fastidia solvens,
Ad solitas revocer mensis redeuntibus escas.
Nec tantum miseri videar possessor agelli,
Ut genus hoc arbos nullo mihi floreat horto:
Nascitur, et multis onerat sua brachia pomis,
Sed gravis austerum fert succus ad ora saporem.

19. *Et pondera partibus æquant. Pastibus* cod. Voss. et ed. Veneta Vict. Pisau. Burm. — *Partibus* dudum ediderunt Pith. et Rivinus.

20. *Fastidia longis Nata malis.* Columella, X, 180, de lactuca: «Tristia quæ relevat longi fastidia morbi».

21. *Et quod penitus fellitus amarans Ora sapor:* ita scribendum. *Ore* ab aliis male adfertur: sensus enim est, *sapor fellitus,* seu felle imbutus, *amarans ora,* sive ora amara reddens, etc. Utraque vox *fellitus* et *amarans* ævum auctoris agnoscit. Glossæ Philoxeni, p. 74, ed. Labbæi: *Fellitus,* Χολικός· sic *fellitum et venenosum poculum* profert Cangius ex scriptore apud Baluz. tom. VI, Miscell. pag. 281: et *fellicitus,* pro felle suffusus, ex Plinio Valeriano Vossius, lib. III, de Vit. serm. pag. 428: nisi illic *fellitus* substitui debeat, quia *fellitus* a *felle,* ut *mellitus* a *melle: amarizare* pro *amarare* ex eodem Plinio Medico adfert lib. IV, p. 653: sed hæc ætatem carminis hujus sequiorem produnt; quemadmodum *succi* vox v. 23, 28 et 31 recurrens, elegantiam ejus parum auget. Burm. — Distinguenda hæc verba, uti Rivinus fecit, «quod penitus fellitus, amarans Ora, sapor».

23. *Forsan fastidia solvens,* h. e. levans, depellens fastidia e fellito sapore, ut *solvere jejunia* dicunt poetæ, pro famem depellere. Quod fecisse Proserpina apud inferos ferebatur Punici mali granis comesis. Ovid. Met. V, 535: «quoniam jejunia virgo Solverat, et... Puniceum curva decerpserat arbore pomum, Sumptaque pallenti septem de cortice grana Presserat ore suo». Scribonius Larg. etiam eos, quibus frequenter inacescit cibus, qui assidue nauseant, vel inedia consumuntur, inter alia succum malorum granatorum remediare scribit, Compos. 104. Et de mali Medici usu ad emendandum oris fetorem Maro, Georg. II, 134: «animas et olentia Medi Ora fovent illo, et senibus medicantur anhelis».

25. *Nec tantum miseri. Ne* recte cod. Voss. et vs. 27 *et multis,* ut in marg. ed. Pith. apud quem *ex* male in textu: et sic ed. Ven. et *onerant.* Burm. — Retinendum est *Nec:* et *tantum* pro *adeo* positum. Neque ego adeo miseri agelli possessor videri velim.

28. *Sed gravis austerum... sapo-*

Illa autem Libycas quæ se sustollit ad auras,.
Mitescit meliore solo, cælique tepentis
Nutrimenta trahens succo se nectaris implet.

rem. Columella, malum Punieum si minus dulcem fructum ferat, quomodo emendari possit, docet lib. V, 10, 15.

29. *Libycas se sustollit ad auras*, h. e. crescit sub cælo Libyco. Virg. Georg. II, 80: « ingens Exiit ad cælum ramis felicibus arbos ». Mala granata, quæ in Africa, genitali solo, nascebantur, mitiore succo erant, et præstantiora habebantur iis, quæ in Italiam translata ferebantur. *Apyrina* vel *Apyrena* vocabantur, « quod iis nucleus lignosus abesset, sed candidior eis natura, et blandiores acini, minusque amaris distincti membranis », ut describit Plinius, XIII, 19. Præstantiam hanc granatorum Libycorum præ Italicis indicat Martial. XIII, 42: « Non tibi de Libycis tuberes, et apyrina ramis, De Nomentanis sed damus arboribus ». Vid. quoque Plin. Hist. Nat. lib. XV, c. 14. Ed.

RUFI FESTI AVIENI,

DE CANTU SIRENUM.

Sirenes varios cantus, Acheloia proles,
  Et solitæ miros ore ciere modos.
Illarum voces, illarum Musa movebat
  Omnia, quæ thymele carmina dulcis habet:
Quod tuba, quod litui, quod cornua rauca queruntur,

1. *Acheloia proles.* Hyginus, fab. 141, dicit, « Sirenes Acheloi fluminis et Melpomenes Musæ filias » esse. Alios ex Sterope, Parthaonis filia, et Acheloo ortas dicere, prodit Apollodor. I, 7, 11. Plures sententias vide in Heynii not. ad Apollod. p. 37 et 113.

2. *Et solitæ miros ore ciere modos.* In prima Scalig. ed. *miseros*; sed in marg. ex vet. cod. emendari jussit *miros. Miseros* quoque in Thuaneo, Petaviano et Vossiano: et sic Aldus. *Ac varios* in eod. Ambrosiano, unde Heins. *Aonios*: sequitur enim *illarum Musa movebat omnia*: sed *miros* non sollicitandum patet ex imitatione Lactantii de Phœnice, vs. 46: « Incipit illa sacri modulamina fundere cantus, Et mira lucem voce ciere novam, etc. » Burm.

4. *Quæ Thymele carmina dulcis habet. Thymile* Ambros. *Thymale* Petav. *habet* deest in Vossiano. Petav. Thuaneo, et ed. Venet. Legendum *amat*, ut edidit Aldus: et sic Scaliger. ed. et Vossianus Virgilii codex, in quo inscribitur *de cantu Sirenum. Thymele* famosa olim mima saltatrix, unde *thymelici* citharœdi histriones: de quibus vide ad Vales. lib. III, Emend. cap. 10. Ausonius, p. 340, ed. Toll. « Seria contractis expende poemata rugis, Nos Thymelen sequimur »; ubi vid. Vinet. Forte tamen hic *thymele* ponitur pro theatro: Gr. θυμέλη. Erat enim *thymele* mensa, super quam stabant histriones cantantes et fabulas agentes in scena. Vide Galei notas ad Phurn. de Nat. Deor. c. 30, p. 220. Burm.—Per *thymelen* intellige partem theatri, vel orchestram cum omni instrumento musico, cujus usus erat in ludis et saltationibus Bacchicis, quod deinceps singulatim recenset. Thymele, saltatrix famosa Domitiani tempore, quæ ipsa fortasse ἀπὸ τῆς θυμέλης nomen acceperit, minime huc trahenda.

5. *Quod cornua rauca queruntur. Fuerunt* Voss. Thuan. et Ambros. et ed. Ven. unde Heins. *suerunt*: sed vulgata nun videtur loco movenda. *Fuere* vet. eod. in marg. primæ ed.

Quodque foraminibus tibia mille sonat;
Quodque leves calami, quod suavis cantat aedon;
Quod lyra, quod citharæ, quod moribundus olor.
Illectos nautas dulci modulamine vocis
Mergebant avidæ fluctibus Ioniis:
Sanguine Sisyphio generatus venit Ulysses,
Ac tutos solita præstitit arte suos.

Scalig. sed male, ut addit. BURM.

7. *Quod suavis cantat aedon.* Aedonem hic Musici nomen esse putabat Mariang. Accursius, sed quem recte refutavit Fortun. Licet. ad Aram Pyth. Publilii, p. 22: perperam quoque Barthius *mollis aedon:* scripti enim codices nihil variant, nisi quod *edon* in Vossiano et Petaviano. *Aedon* in Thuan. *Quod leves et calami* in Thuan. *Quod leves* Petav. In ed. Veneta antiquiss. *Quodque leves calami. suavis cantat et aedo.* Totum hunc locum eleganter expressit Lactantius, sive quicumque auctor Phœnicis, v. 47: «Quam nec aedoniæ voces, nec tibia possit Musica Cyrrhæis adsimulare modis. Sed neque olor moriens imitari posse putetur, Nec Cylleneæ fila canora lyræ, etc.» BURM.

9. *Illectos dulci modulamine vocis. Vocam* in cod. Thuan. unde *vocum* Heinsius. *Illector* ed. Venet. BURM.

10. *Mergebant avidæ fluctibus Ioniis. Marcebant* in cod. Ambros. *avide* ed. Ven. Heinsius legebat *rabidi fluctibus Ionii:* eleganter enim Ionius dicitur mascul. gen. ut *Ægæus* et sim. pro *Ionium* mare vel Ægæum; vid. Rutgers. Venus. Lect. cap. 10, p. 287, vel neutro genere *Ionium* et *Ægæum* non addito mare vel sim. vid. Broukhus. ad Propert. Eleg. III, 5, 11, et patrui mei notas ad Val. Flacc. lib. V, v. 715. Avienus, Descr. Orb. p. 264: «Ionii si quis rate rursum cærula currat Æquora». BURM.

11. *Sanguine Sisyphio generatus magnus Ulyxes Hac tutos sola:* sic edidit Aldus, Pithœus et Scaliger: in Petaviano ac Thuaneo codice *venit Ulysses Et tutos solita:* quomodo etiam ex vet. cod. margo Pithœi, et prima Scaligeri editio. *Venit* etiam in cod. Ambros. pro quo *ventus* in Vossiano. *Vectus Ulyxes Et totos solida* ed. Venet. *Et toto solida* Voss. cod. Barthius ad Claudian. pag. 1039 legebat: «Sanguine Sisyphio generatus donec Ulyxes Insolita tutos præstitit arte suos», non male, si a vetusto codice firmaretur. BURM. — Prætuli lectionem tot codicibus firmatam, *venit Ulysses, Ac tutos solita,* etc. Illud *venit* vim magnam hac in narratione habet. *Venisse* dicitur Ulysses, qui post multos alios nautas, a Sirenibus perditos, ultimus venit, et solus, qui Sirenas perderet. *Solita arte* usum Ulyssem scripsit auctor, quia *sanguine Sisyphio generatum* dixerat, respexitque verba Ovidii, Metam. XIII, 31: «Et sanguine cretus Sisyphio, furtisque et fraude simillimus illi». Nempe *solita* Ulyssi ars et fraus erat, quod eam quasi paterno e genere et hereditario jure acceperat, quia Sisy-

Illevit cera sociorum callidus aures,
    Atque suas vinclis præbuit ipse manus.
Transiluit scopulos et inhospita litora classis;
    Illæ præcipites desiluere freto.
Sic blandas voces nocituraque carmina vicit:
    Sic tandem exitio monstra canora dedit.

phi, dolis et sceleribus noti latronis, filius habebatur, quem fama erat cum Anticlea matre ejus, quum ad Laertem duceretur, clam concubuisse. Vid. Servius ad Virg. Æn. VI, 528.

13. *Illevit cera sociorum callidus aures. In levi* Thuaneus. In ed. Ven. *In lævi cæra sociorum callida Circes Atque suas unctis præbuit ipsa manus. Inde suas vinclis* Heinsius: sed vulgata scriptura recte se habet. Ovid. Art. Am. III, v. 311: « Monstra maris Sirenes erant: quæ voce canora Quamlibet admissas detinuere rates. His sua Sisyphides auditis pæne resolvit Corpora; nam sociis illita cera fuit ». Burm.

15. *Transiliit scopulos et inhospita litora classis.* Recte *Transiluit* Voss. Ambros. Thuan. Ald. et Ven. ed. — Sed *Transiluit* hoc in versu, et sequenti *desiluere* merito offendebat Heinsium, ut nihil dicam de insolita locutione, qua *classis transiluisse scopulos* dicatur sine exemplo. Itaque cum eo lege, *Transiit ut scopulos*, etc. *hospita litora* vitio operarum in utraque Pithœi editione, Parisina ac Genevensi: sed in notis monuit corrigendum *inhospita*, ut res ipsa et metrum jubent: *unospita* in Thusneo: *classi* legebat Barthius. Burm.—Non audio Burmannum, qui *Transiluit scopulos* damnat, et sine exemplo dici putat. At Horatius, Carm. I, 3, 24: « si tamen impiæ Non tangenda rates transiliunt freta ». Et similitudo oppositioque verborum *Transiluitque* et *desiluere* non inelegans est.

16. *Illæ præcipites desiluere freto. Disiluere* Voss. *dissiluere* Thuaneus et ed. Ven. in qua *illi*. Burm.

17. *Sic blandas voces nocituraque carmina vicit*, ita in Petaviano ac Thuaneo cod. et editione Pithœi. Aldus et Scaliger ediderunt: « Sic blandas vocisque notas et carmina vicit »; in edit. Veneta, « vocis notas ac carmina vicit »; et ult. versu *canore*. Burm.

18. *Exitio monstra canora dedit.* Simile illud Horatii de Cleopatra, Carm. I, 37, 20: « daret ut catenis Fatale monstrum ». Et Sirenas *monstra maris* adpellat Ovid. Art. Am. III, 311.

AVIENI V. C.

AD AMICOS DE AGRO *.

Rure morans quid agam, respondeo pauca, rogatus.
Luce Deos oro, famulos post arvaque viso,
Partitusque meis justos indico labores.

* Avieno nostro merito tribui, pluribusque in codicibus inscribi hoc epigramma, ex relatione Petri Burmanni sec. intelliges, quam procemio meo in Avienum inserui. Suffragantur etiam nonnulla ex ipso hoc carmine petenda indicia, ut quum studium suum poetices assiduum v. 4, seque *animo gaudentem et fenore liberum* v. 6 prædicat, quæ plane conveniunt cum elogio, quod ei tribuitur in monumento a filio posito, v. 5. Et villam agrumque Avieno fuisse, e carmine de malis Punicis v. 25 patet. Est in Epistolis Plinii 36 libri IX, qua, quam vitæ et studiorum rationem in secessu seu villa teneat, quærenti amico exponit; cujus ad formam sensumque hoc fere epigramma compositum videtur. — Istud epigramma jam in Martialis oper. tom. I, pag. 487 retulimus, et nobis omnino Martiale indignum videri adnotavimus. Ed.

1. *Respondi pauca rogatus.* Sic Pithœus et Burmannus ediderunt: *respondis* Voss. et Vaticanus Martialis codex: *respondeo* Wittian. et ed. Scriv. Quam lectionem alteri præfero, quia sic bene convenit ultimo versui. Nam se hoc carmine breviter respondere iis profitetur, qui se de rusticatione sua rogaverant.

2. *Mane Deum exoro. Luce Deos oro* Vossianus ab Heinsio collatus, Wittian. et ed. Scriv. *Mane Deos oro* Excerpta Heinsiana: dein *famulos post: arva reviso* quintus Vossianus: *famulos post arva reviso* in Vossiano ab Heinsio collato, Wittiano, et edit. Scriv. *famulosque arva reviso* cod. Leid. Burm. — Si *post* adverbium censebimus, hic erit sensus: Famulos reviso, deinde arva; sin autem præpositionem: Famulos reviso, postquam arva revisi. Prior sensus mihi placet magis; et Poetam puto primum famulis in domo sua suas quibusque partes distribuere, deinde egressurum, ut distribuat villicis. De lectione, quam ipse hoc loco usurpo, vid. quæ dudum monui (huj. op. tom. III, pag. 460, in nota ad hunc versum. Ed.)

3. *Partitusque meis*, ita in Vatican. Voss. et Excerptis Heins. *Partibus atque meis* Wittian. et ed. Scriv. *Pasutusque meis* cod. Leid. *Partibus: atque meis* distinguitur in primo Voss. Burm. — Sic *partiri laborem* dicit Virg. Æn. lib. I, de Di-

Inde lego, Phœbumque cio, Musamque lacesso.
Tunc oleo corpus fingo, mollique palæstra
Stringo libens, animo gaudens, ac fenore liber:
Prandeo, poto, cano, ludo, lavo, cœno, quiesco.

done: « Jura dabat legesque viris, operumque laborem Partibus æquabat justis »; et lib. XI, 510. « Partitus opus utrique », sc. manui, auctor Moreti, v. 24. Tale est Horatii, Carm. I, 15, 15: « grataque feminis Imbelli cithara carmina divides », h. e. singulis carmina tecum canenda propones. — Hic autem Horatii locus parum aptus, nec bene expositus videtur. Ed.

4. *Inde lego, Phœbumque cio. Deinde lego* Excerpt. Heins. qui *Phœbumque aeuo* conjecerat; postea codici adscripserat *et Phœbum cieo*, ut apud Auctorem Phœnic. v. 46: « Et mira lucem voce cierenovam ». Sic in Sirenum Allegoria ejusdem Festi Avieni: « Et solitæ miros ore ciere modos ». Idem tamen Heinsius lectionem a Pithœo et Scriverio hic expressam *Phœbumque cio* probat in notis ineditis ad Culicem, v. 251, loco vexato, quem sic constituit: « Quarum vox cit Ityn, etc. » Sic apud Valer. Flaccum, VI, 527, corrigebat Baptista Pius, « qualem roseis cit Lucifer alis », et Barth. apud Statium, Silv. II, 1, vs. 65: « septem per culmina montes Cit fragor ». Firmabat cel. Oudendorp. locis Apuleii, de Mundo, p. 735, ut in MSS legitur: « ventorum prælia ciuntur », et in Florid. N. 17: « voces quas infesta rabies vel propitia voluntas ciant »; et Metam. lib. VIII, p. 157, ed. Pric. « fratrem cire ». Burm.

5. *Tunc oleo corpus fingo. Hinc oleo corpusque frico* editiones Martialis vulgatæ, et Scriveriana. *Tunc oleo* Vatic. *corpus frico* tres Vossiani et Wittian. *corpus fingo* cod. Leid. alius Vossian. et Modian. ut edidit Pithœus: quod probat Heins. ad Ovid. Epist. XIX, 44. Burm. — *Mollique palæstra*, etc. Unctione laxatam cutem mox lucta adstringo. Palæstra autem est luctatio, seu quælibet exercitatio corporis. Ed.

6. *Stringo libens, animo gaudens, ac fenore liber. Scribo libens* in Leid. *Strigo* Wittian. sed optime se habere vulgatam *mollique palæstra Stringo libens*, patebit ex Gronovii Diatr. Stat. pag. 145. *Animi gaudens, ac fænore liber* Wittian. ut edidit Scriver. *gaudensque* apud Pithœum, quod in nullo cod. MS legitur: *a fænere* cod. Leid. *et fænere libens* Vossian. Burm. — *Fenore se liberum* dicit, qui faciles reditus, expeditas opes et nullis adtritas usuris, atque hinc curis vacuus, habeat. Nam, ut Lucanus dicit I, 181: « usura vorax, avidumque in tempora fenus ». Pariterque Petronius Bell. civ. v. 52, de plebe Rom. « Fenoris ingluvies ususque exederat æris ». Similiter in epigr. de vita tranquilla, Anth. Lat. III, 60: « Est mihi rus parvum, fenus sine crimine parvum », ubi fenus est pecunia credita, quæ domino usuram non injustam parit. — *Fenore liber.* Adposite Horat. Epod. II, 4: « Beatus ille qui procul negotiis, Ut prisca gens mortalium, Paterna rura bobus exercet suis, Solutus omni fenore ». Ed.

7. *Prandeo, poto, cano, ludo, lavo*, etc. *Pondero* Wittian. et ed. Scriv.

Dum parvus lychnus modicum consumat olivi,
Hæc dat nocturnis nox lucubrata Camenis.

aliæque vulgatæ. *Prandeo* etiam in cod. Leid. et *lavo*, *laudo*. Burm.— *Prandeo*. Non sæpe quidem, attamen aliquando senes et pueri, immo et sani prandebant. Ed. — Notes hic, e pluribus singulariisque vocibus integrum versum constipari, quem morem geniumque sequioris ævi poetarum esse, dudum notavi ad Pentadii epigr. (huj. op. tom. III, p. 325. Ed.) Unde etiam, Martialis hoc epigramma minime esse, facile agnoscas.

8. *Dum parvus lychnus*, etc. Hos duos addidi versus, qui apud Pithœum desiderantur, ex codice Vossiano ab Heinsio collato, Wittiano, et duobus aliis Vossianis: qui etiam in Scriverii et aliis Martialis editionibus subjunguntur. *Consumit* in Wittiano et Voss. *nec dat* in eodem, et primo ac tertio Vossian. *elucubrata* in Thuan. Vatic. et Voss. Burm.—Ad hunc versum conferantur *vigiles lychni* (huj. op. tom. III, p. 405, not. 4. Ed.); et *nocturnum olivum* in Cassii Parm. Orph. (huj. op. tom. I, p. 667. Ed.)

9. *Hæc dat nocturnis*. Interpretor: Hæc autem, ut rogantibus respondeam, scribo noctu, quoniam præter actus diurnos paullum temporis et olei impendere nocturnis studiis soleo.

R. FESTUS V. C.

DE SE AD DEAM NORTIAM *.

FESTUS Musoni suboles prolesque Avieni,
Unde tui latices traxerunt Cæsia nomen,
Nortia, te veneror, lare cretus Vulsiniensi,
Romam habitans, gemino Proconsulis auctus honore,

* Exstare hanc inscriptionem Fabrettus dicit in Villa Cæsarina, olim in ecclesia S. Nicolai de Forbitoribus. Ediderunt Sponius in Miscell. erud. ant. Sect. II, p. 99; Fabrettus in Inscript. ant. cap. 10, n. 507, p. 742; *Fleetwood* in Syll. Inscr. p. 153; Almelovenius inter Epigr. vett. a se collecta, pag. 34; Fabricius, Bibl. Lat. lib. III, c. 11; J. N. Funccius de veg. ling. Lat. sen. III, 53, p. 221; P. Burmann. Anthol. Lat. lib. I, ep. 79; Cannegieterus, dissert. de Fl. Avieno, cap. 2.

1. Fabricius *soboles* edidit.

2. Reconditum hujus versus sensum, quoad licuit, aperuimus in Procemio ad Avien. ubi et multa alia hujus carminis illustravimus.

3. *Nortia, te veneror.* Deæ Nortiæ nomine Sortem ac Fortunam significari, tradit Martianus Capella in libro de Nupt. Philol. c. 9, cujus ut *magnam esse vim* dixit *in utramque partem, vel ad secundas, vel adversas* Cicero, lib. II de Offic. ita hæc Florentina inscriptio: MAGNÆ DEÆ NORTIÆ, magnam forte Deam hanc adpellat. FABRET. — Etiam *Deæ Nortiæ Magnæ Sanctæ* dicatus lapis, Vulsiniis inventus, exstat ap. Donium, Inscr. ant. Cl. I, n. 149, p. 52. Eam localem et patriam Deam Vulsiniensium fuisse memorat Livius, lib. VII, cap. 3: qui apud ipsos meminit ejus templi, in quo mos erat clavos figere annorum indices; tum Tertullianus, Apolog. cap. 24. Sed ut Florentinorum etiam numen ostendit marmor Florentinum, ita commune Etruriæ et præcipuum fuisse, ex loco Juvenalis, X, 74, facile colligas: «Si Nortia Tusco Favisset, si oppressa foret secura senectus Principis, hac ipsa Sejanum diceret hora Augustum». Et Livius l. c. Etruscam Deam nominat. Festus hoc carmine Deam Nortiam *veneratur*, h. e. venerabundus ei, ut vitæ suæ rectrici, et fortunarum auctori, gratias agit, plurimas in vita sua res secundas expertus, quas deinde enumerat. — *Lare cretus Vulsiniensi*, h. e. urbe Vulsin. quomodo *larem* ab ipso Avieno usurpari notavimus ad Or. mar. v. 517 et 698. Atque

Carmina multa serens, vitam insons, integer ævom,
Conjugio lætus Placidæ, numeroque frequenti
Natorum exsultans, vivax et spiritus ollis:
Cætera composita fatorum lege trahentur.

SANCTO PATRI FILIUS PLACIDUS:

Ibis in optatas sedes, nam Jupiter æthram
Pandit, Feste, tibi, candidus ut venias.
Jamque venis, tendit dextras chorus inde Deorum,

hoc debebat abs me in Prooemio ad R. F. Avienum inter argumenta referri, quibus monimentum hoc de eo ipso Avieno agere, qui auctor Descriptionis Orbis esset, vincere studebam.

5. *Carmina multa serens:* ut *serere* verba, sermones, querelas, colloquia, et disserere dicunt Latini. Vid. N. Heins. et Drakenb. ad Silium Italicum, VIII, 266. Exprimitur eo verbo facilis, espedita et frequens carminum compositio. *Vitam insons*, qui de se prædicat, non videtur esse Festus ille, Proconsul Asiæ sub Valente; quem multis immanitatis et sævitiæ exemplis insignem memorat Amm. Marcell. XXIX, 2, et Zosimus, IV, 5: *ævom* antique: *ævum* habent cæteri.

6. *Placidæ* cum majuscula litera recte exhibuerunt Fleetwoodus et Burmannus, ut sit nomen proprium uxoris. Hinc enim filius ejus Placidus nominatus, pro frequenti illorum temporum more.

7. *Exultans* dedit Fabrett. Fabric. et Canneg. Male hoc *exsultans*, omisso commate, cum sequente *spiritus* conjungunt Spon. Fabrett. et Almel. — *Vivax et spiritus ollis* indicat, illos bene sanos esse, et vitam longævam promittere. Fabricius scribit *illis*. Burmannus legend. conjicit «vivax sit spiritus illis», ut sit votum vel formula faustæ acclamationis, similis illi: «vivite, felices», vel quod apud Petron. cap. 63 legitur: «salvum sit quod tango». — Sic in Inscrip. apud Fabrett. cap. 2, pag. 73: «Innocenti cum Engratio vivas», et inter vota clientium dominis et patronis ob incolumitatem posita, sæpe subscriptum VIVAS aut VIVATIS; vid. Lips. lib. I, Saturn. pag. 57; Barth. ad Stat. Theb. IX, 894, et egregie Gerart. lib. III, Elect. c. 8. Sic VIVATIS in annulo nuptiali duorum conjugum apud Sponium, *Recherch. des Antiq.* Diss. XI, pag. 179, et sæpe græco vocabulo ζήσητι. Similiter in adclamatione conviviali *vivas* et *vivamus*; de qua vid. Vales. ad Amm. Marcell. lib. XVI, cap. 8. Servius ad Virg. Æn. III, 493, notat hæc bene precantium vota melius optativo efferri quam imperativo: quod tamen non semper observant Veteres. Ed.

8. *Trahentur.* Male apud Sponium, Fleetw. Almelov. et Fabric. *trahuntur*.

11. *Tendit dextras chorus inde*

Et toto tibi jam plauditur ecce polo.

Deorum. Formula hæc exprimendæ consecrationis, vel defunctorum inter Cælites receptionis, Avieni ævo pluribus usitata est et in hoc maxime Eumenii Rhetoris loco, plane simili, conspicua, Paneg. in Constantin. cap. 7: « Vere enim profecto illi Superum templa patuerunt, receptusque est consessu Cælitum, Jove ipso dextram porrigente ».—Pluribus de ea egit Wernsd. in dissertatione Stocchii Musæo Critico inserta vol. I, cap. 2, pag. 239 seqq. Ed.

RUFI FESTI AVIENI

PHÆNOMENA ARATEA

ET

PROGNOSTICA

EX RECENSIONE TH. BUHLII

DENUO CASTIGATA

ET PERPETUA ADNOTATIONE ILLUSTRATA

PRÆMONITIO NOVI EDITORIS.

Duo hæc poemata, ab omnibus commentatoribus hactenus neglecta, et fere typis intacta, quæ Wernsdorfius promissa quidem, fato præreptus, non edidit, nos paucis, quas conferre licuit, editionibus ac manuscriptis adjuti prodire jubemus. Eorum auctor Græcus Aratus est. Natus in urbe Ciliciæ, dicta Solæ, quæ deinceps Pompeiopolis vocata est. Vixit temporibus Ptolemæi Philadelphi, et Antigono Macedonum regi qui regnum suscepit circa centesimam quintam olympiada, familiaris fuit. Quare quod quidam dictitant illum vixisse eodem tempore, quo Nicander Colophonius Theriacorum scriptor, et utrumque alteri sua scripta examinanda exhibuisse, hunc illi sua Theriaca, et illum huic sua Phænomena, manifeste falsum est. Nicandrum enim duodecim totis olympiadibus posteriorem fuisse adparet. Aratus quidem quadraginta circiter Græcorum interpretum scholiis auctus est: Romanorum vero, inter quos Germanicus Cæsar et M. T. Cicero, denique ipse Ovidius et Avienus noster, diligentissimis curis Latio donatus. Hæc quidem Metaphrasis doctissimi viri Th. Buhlii judicio præstantissimum Avieni carmen recte æstimatur, et videtur etiam postremo loco ab eo elaborata esse. Distinguit se Avienus a Cicerone et Germanico primum maxime eo, quod Aratum fidelius expresserit; quare non solum paraphrasten, sed etiam interpretem Arati agere eum Jos. Scaliger ad Manilium, pag. 51, vere judicavit. Porro quæ Aratus, atque etiam Cicero et Germanicus leviter tantum strinxerunt, paucisque verbis adumbrarunt, ea fusius exponuntur et clariori in luce ab Avieno proferuntur. Persequutus est

idem quasi ex professo fabulas, Arato aut plane intactas, aut non nisi verbo indigitatas. Omnino diligentius explicuit et ditavit materiem ab Arato et Germanico tractatam. Consuluit ipse quoque scriptores astronomicos et mythicos; diserte enim laudavit Eudoxum, Metonem, Mythen, Panyasin et Harpalum; adiit præterea commentatores in Aratum Græcos et interpretes ejusdem Latinos: petiit adeo nonnulla ad argumenti sui ornatum ex Philosophia Pythagoreà et Alexandrina, necnon ex religionibus Ægyptiacis. In dictione poetica non comparandus est quidem cum Cicerone aut Germanico; excellit tamen inter poetas Latinos seriores puritate et elegantia sermonis. Cæterum minorem fortunæ injuriam experta sunt Avieni quam Germanici carmina; nam illa non solum integra servata, sed etiam minus corrupta sunt. Phænomenon hoc argumentum est. Initio Poeta præfatur Jovem. Deinde percenset fixorum seu inerrantium siderum dispositionem in tres partes eam distribuens: unam, quæ arctico concluditur circulo: e reliquis vero, alteram Boreiam, alteram Austrinam. Absoluta inerrantium dispositione mentionem facit quinque Planetarum, coaptatos singulorum orbes tantum enumerans: pleniorem eorum traditionem, ut difficiliorem, non ausus suscipere. Quatuor circulos maxime necessarios dicit, duos tropicos, unum æquatorem, quartum zodiacum. Obiter adjicit circulum lacteum. Post hæc singulorum ortus et occasus edisserit, eo modo ut singula zodiaci signa recenseat, cum illis simul orientia et occidentia, incipiens a Cancri ortu vespertino. Deinde recenset signa a Jove proficiscentia, ut vocant, præmissoque proœmio, exponit signa tempestatis turbidæ et serenæ, primum quæ Luna dat, deinde quæ Sol, tertio quæ sidus quod Præsepe nominatur. Post docet signa quæ ad pecudes et arationem adtinent, existentia in sublimi, in terra, in plantis, in animalibus, aliaque his similia; quædam graviora, quædam leviora. Bene autem nominavit Phænomena, i. e. adparentia, primum quia tradit

stellas, quæ in circulo arctico sunt, non partes cæli absconditas, quæ nobis ignotæ sunt, sed solummodo stellas nostris oculis manifestas inter Arcticum et Boreium polum. Secundo quia nihil de earum magnitudine vel distantiis disserit; tertio quia de planetis subter firmamentum currentibus eorumque orbibus haud curiose laborat, sed excusat se, v. 925:

> .... non illas animis audacibus ergo,
> Carmine non cæco tentavimus: hoc satis unum,
> Musa, mihi, satis hoc longi labor egerit ævi,
> Si defixarum cursus et signa retexam.

Restat ut de paucissimis quæ Aratea Avieni separatim exposuerunt editionibus dicamus. Primæ quidem memorandæ sunt quæ in Bibliotheca Regali Gallica exstant: *Paraphrasis Phænomenorum Arati cum ipso Arato*, annis 1488, 1540, 1589, et Venetiis apud Aldum, 1499, in-fol. 2° Phænomena sive poema bipartitum de Siderum natura et motu et de tempestatum præsignificationibus ex interpretatione Rufi Festi Avieni; eadem versa et commentariis illustrata a Germanico Cæsare; Ciceronis versio Arati, Venetiis, Anton. *de Strata*, 1488, in-4. 3° Eadem, ex interpretatione Ciceronis, Rufi Festi Avieni et Germanici Cæsaris et cum commentariis, Parisiis, Gul. Morolius, 1559, in-4. 4° Nominandæ quoque duæ editiones a Wernsdorfio prætermissæ: Avienus a Pulmanno editus, Antwerp. Plantin. 1572, in-16. Idem cum Æsopi Fabulis, Hanov. 1603, in-12. 5° Inseruntur Aratea Avieni collectioni Astronom. script. vet. quæ prodiit in officina Sanctandreana, in-8, 1589. 6° Denique inserta est Avieni interpretatio tomo secundo operum Arati, curante Theophilo *Buhle*, Professore Goettingensi, quam sub oculis assidue habuimus, et cujus fidem quam plurimum sequuti sumus. Prodiit Lipsiæ ex officina Weidmannia anno 1801. Optimas ejus notas et lectionis varietates integras servavimus, et paucissimas nostras animad-

versiones, ne in nimium pondus hoc volumen cresceret, adjecimus (1).

(1) Non e loco erit aliquot epigrammata ad Phænomena pertinentia hic memorare. Unum quidem C. Helvii Cinnæ, quo hic videtur ejusdem operis interpretationem conscripsisse; quod quidem sed depravatum protulit Grotius initio notarum ad Arati Phænomena. Edidit Burmann. Anth. Lat. tom. I, pag. 440:

Hæc tibi Arateis multum vigilata lucernis
Carmina quîs ignes movimus aerios,
Lævis in aridulo malvæ descripta libello
Prusiaca vexi munera navicula.

Duo alia a Callimacho et Leonida Tarentino græce conscripta ediderunt cel. Ernesti in editione Callimachi, tom. I, p. 333, et Burmann. in Mantissa adnott. ad Anth. loc. cit. Denique in Grotio præter memoratum Callimachi epigramma, sequebatur aliud Ptolemæi in eadem Arati Phænomena, quod raro editum est:

ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ ΒΑΣΙΛΕΩΣ

εἰς Φαινόμενα Ἀράτου.

Πάνθ' Ἡγησιάναξ τε καὶ Ἕρμιππος τὰ κατ' αἴθρην
Τείρεα καὶ πολλοὶ ταῦτα τὰ φαινομένα,
Βίβλοις ἐγκατέθεντο· ἀποσκόπιοι δ' ἀφάμαρτον,
Ἀλλὰ τὸ λεπτολόγου σκῆπτρον Ἄρατος ἔχει. Ed.

RUFI FESTI AVIENI

PHÆNOMENA ARATEA.

CARMINIS inceptor mihi Jupiter; auspice terras
Linquo Jove; excelsam reserat dux Jupiter æthram;
Imus in astra Jovis monitu; Jovis omine cælum,
Et Jovis imperio mortalibus æthera pando.
Hic statio, hic sedes primi patris; iste paterni
Principium motus, vis fulminis iste corusci,
Vita elementorum, mundi calor, ætheris ignis,

1-14. Paullo uberius laudes Jovis persequutus est in procemio Avienus, quam Germanicus et ipse Aratus, ita tamen, ut rhetorem declamatorem sentias, philosophorum de rerum principio placita poeticis pigmentis exornantem. In primis quatuor versibus una eademque sententia in quovis versu, mutatis tantum verbis, iteratur. In verbis: « excelsam reserat dux Jupiter æthram », eodem sensu *æthra* dicta est, quo ab aliis *cælum* dici solet *arx Jovis*, quam nemo, nisi adnuente Jove, intrare possit. Quæ sequuntur maximam partem ad Pythagoreorum doctrinam de *æthere*, ut principio ignis, caloris, lucis, vitæ, et motus in rerum natura, adumbrata sunt. Cæterum in versu primo pro « Carminis inceptor mihi Jupiter » Schraderus in Wernsd. Poet. Lat. Min. (vid. supra hoc tom. pag. 273. En.) ad Avieni Perieg. vs. 896, mavult *incentor*, adsentiente Wernsdorfio. Lectioni huic pondus quidem addit Paullinus Nolanus (Carm. XV, 30), qui hunc versum ab Avieno sumpsit: « Non ego Castalidas, vatum phantasmata, Musas, Nec surdum Aonia Phœbum de rupe ciebo: Carminis incentor Christus mihi ». Potest tamen vulgata lectio defendi ex ipso Arateo Ἐκ Διὸς ἀρχώμεσθα. Deinde apud Avienum, Perieg. vs. 896, *Incentore canam Phœbo* lectio est incerta, et dubitari potest, an non apud ipsum Paullinum pro *incentor* legendum sit *inceptor*.

5. *Hic statio, hic sedes primi patris, iste paterni Principium motus.* *Hic* et *iste* ad *ætherem* referendi sunt; est hoc Avieno solenne, ut *hic* et *iste* de eodem usurpet. Sic infra vs. 25: « Hic digestorum speciem dedit, iste colorem Imposuit rebus ». — Et vide supra Descrip-

Astrorumque vigor; perpes substantia lucis,
Et numerus celsi modulaminis; hic tener aer,
Materiæque gravis concretio; succus ab alto
Corporibus cælo; cunctarum alimonia rerum;
'Flos et flamma animæ, qui discurrente meatu
Molis primigenæ penetralia dura resolvens
Implevit largo venas operatus amore,
Ordinis ut proprii fœdus daret; iste calorem,
Quo digesta capax solidaret semina mundus,
Inseruit. Rite hunc primum, medium, atque supremum
Vox secreta canit sibi; nam permixtus utrimque,

tionem Orbis, vs. 265 et sqq. Ed.

9. *Et numerus celsi modulaminis.* *Numerus* sensu Pythagorico pro *principio* sive *causa.* Adludit Avienus ad concentum sphærarum, qui secuudum Pythagoreos motu earum, per ætherem certis legibus et uumeris adstricto, efficiebatur.

12. *Qui discurrente meatu Mentis primigenæ penetralia dura resolvens Implevit largo venas operatus opere.* Vix sanus sensus in his iuest. Quid enim hoe sibi vult : « florem et flammam animæ meutis primigenæ penetralia dura resolvere? » Quid sunt hoc loco : « penetralia dura mentis ? » Conjicio itaque legendum : « qui discurrente meatn Molis primigenæ penetralia dura resolvens Implevit largo venas operatus amore ». *Moles* est materia rudis. Pro *molis primigenæ* possit etiam legi *Materiæ primæ ;* sed melior altera lectio; nam de materia prima sensu philosophico Avienus non cogitavit. Ovid. Metam. iuit. « Ante mare et tellus, et, quod tegit omnia, Cælum, Unns erat toto Naturæ vultus in orbe, Quem dixere Chaos ; rudis indigestaque moles ». Cæterum cf. Barthii Advers. LVII, 15. — Colleotio Astr. op. habet *Mundi primigeni.* Ed.

15. *Ordinis ut proprii fœdus daret, iste calorem.* Male iu antiquioribus edd. distinguitur : « ordinis ut proprii fœdus daret iste; calorem ».

17. *Inseruit ; rite hunc primum, medium atque supremum Vox secreta canit sibi.* Sic distinxit et emendavit Grotius. Vid. Casp. Barthii Advers. XXXVI, 2. Vulgo male : « Inseruit rite huuo primum, medium, atque secundum. Vox secreta canit sibi ». *Vox secreta canit sibi* poetice dietum pro : Meus interna meditatione concipit et adorat. Fuere inter philosophos, qui *internas cogitationes* mentis *sermonem* quasi *internum, vocem secretam,* dicerent. Conf. Wernsdorfii Comment. de Rufo Festo Avieno iu Poet. Lat. min. (huj. tom. pag. 10. Ed.), ubi refutatur Nicolaus Antonius, iu versibus illis adlusionem Avieni ad dogma Trinitatis reperisse sibi visus Bibl. vet. Hispan. lib. II, c. 9, pag. 158.

18 - 20. *Nam permixtus utrimque*

Et fultus sese geminum latus, unus et idem est
Actor agendorum, propriique patrator amoris,
Et mundi vere pastor sacer. Hic chaos altum
Lumine perrumpit; tenebrarum hic vincula primus
Solvit, et ipse parens rerum fluitantia fixit.
Hic dispersa locis statuit primordia justis.
Hic digestorum speciem dedit; iste colorem
Imposuit rebus, sexuque immixtus utroque,
Atque ævi pariter gemini, simul omnia lustrans
Sufficit alterno res semine. Rerum-opifex hic,
Hic altor rerum, rex mundi, celsa potestas
Ætheris atque Erebi; rapida inclinatio cæli;
Insociabilium discretio justa Deorum;
Cujus et extremum tellus opus; ignea cujus
Lumina sunt late, sol, et soror; ille diei

Et fultus sese geminum latus, unus et idem est Actor agendorum. Vulgo: *Auctor agendorum*; quod licet ferri quidem possit, melius tamen cum Grotio leges: *Actor agendorum*, πρακτὴς (non ut in Grotii notis impressum πραχτὴρ) τῶν πραχθησομένων. Sensus est: Iste primum et supremum, ergo duo extrema (*permixtus utrimque, fultus sese geminum latus*) una comprehendens, unus tamen et idem est actor agendorum.

21, 22. *Hic chaos altum Lumine perrumpit.* Legendum *perrupit*; nam sequuntur *solvit, fixit, dedit*, etc. Verum *perrumpit* est præteritum ἀρχαϊκὸν, et adfectat archaismum Avienus. Sæpius occurrit *rumptum* pro *ruptum*.

24. *Hic dispersa locis statuit primordia justis.* Sensus est: Nondum definita et ad ordinem et leges revocata erant rerum primordia et vicissitudines. Ovid. Metam. I, vs. 24: « Quæ postquam evolvit, cæcoque exemit acervo, Dissociata locis concordi pace ligavit ».

26. *Sexuque immixtus utroque Atque ævi pariter gemini.* Æther vitam simul agit maris et feminæ, quum principium sit vitæ omnino.

30. *Rapida inclinatio Mundi*, ex emendatione Grotii. Infra v. 85: « trahit inclinatio cælum »; et alibi: « teres inclinatio mundi ». Vulgo: sine sensu: « pigra inclinatio nodi ». Aliam vulgatæ lectionis emendationem proposuit Casp. Barth. Adv. XXXVI, 2: « bigrada inclinatio nodi ». *Nodum* interpretatur fatalem necessitatem insolubili velut catena omnia continentem. Hæc quum *frangi* non possit, duobus modis *inclinari* dicitur, ut orta obeant, oriantur defuncta. Non adsentior.

33. *Ignea cujus Lumina sunt late, sol, et soror.* Putat Grotius, hæc ab Avieno desumpta esse ex Mose, Genes. I: « Fecitque Deus duo lu-

Tendat ut infusi rutilum jubar; altera noctis
Ut face flammanti tenebrosos rumpat amictus.
Nec desit genitis pater ullo in tempore rebus.
Istius ille anni pulcher chorus, alta ut hebescat
Terra gelu, ver ut blandis adrideat arvis,
Pulverulenta siti tellurem et torreat æstas,
Et gravis autumni redeat fetura parentis.
Hoc duce per tumidi ferimur freta gurgitis; isto
Præceptore solum gravibus versamus aratris;
Iste modum statuit signis; hic rebus honorem
Infundit; tenebris hic interlabitur æthræ,
Viscera et æthereos animans genitabilis artus.
Denique ne longum marcentia corda jacerent,
Mundanique ortus mens immemor, omnia sensim
Vilia conciperet, neque se subduceret unquam
Fontis in æterni primordia, quo velut amnis,
Quem festina citis urget Natura fluentis,

minaria magna: Luminare majus, ut præesset diei; Luminare minus, ut præesset nocti ». Probari ergo hinc quoque possit, Avienum fuisse Christianum. Verum eamdem sententiam sæpius poetæ et Græci et Latini expresserunt, et est ea ita quoque comparata, ut in describenda origine rerum cuivis occurrat. In cæteris descriptio ortus mundi, qualem Avienus dedit, a Mosaica maxime diversa est. Vid. Wernsdorfii Comment. de Avieno (huj. op. tom. III, pag. 467. Ed.)

34. *Tendat ut infusi rutilum jubar.* Borm. ad Anth. Lat. V, 8, legendum arbitratur *Reddat ut infusus*, et ita jubere putat vs. 1 dicti epigr. « Exoritur Phœbus perfundens luce nitenti Et maria et terras »; et eodem lib. ep. 2, v. 3: « Luce polum nitida perfudit candidus orbis ». Pro *tendat* Heinsius *Didat*. Corrigendum *reddat*. Reddere enim de sole frequens. Senec. Octav. I, 2: « surgit Titan Radiante coma, mundoque diem Reddit clarum ». *Restituere diem* dixit Prudent. Cathem. Hymn. V, 132: « Major sole novum restituens diem ». Ed.

36. *Nec desit genitis.* Forsitan legendum *Nec deficit.* Vulgata lectio ex scripturæ in codd. abbreviatione orta videtur. Supra dixerat Avien. 28: « sufficit alterno res semine ». — *Desit* non mutandum. Vid. Propert. I, 1, 34, et Senec. ep. 56: « non enim excisa desit ». Cæterum τῷ *deficit* repugnat metrum. Ed.

41. *Hoc duce per tumidi ferimur.* Edit. Grot. male *ferimus*.

45. *Viscera et æthereos animans genitabilis artus.* Ita emendandum censuit Grot. Vulgo: « Viscera, et

Lapsu continuo ruituræ in corpora nostra
Prorumpunt animæ, seriemque per æthera nectunt,
Hic primum Cnidii radium senis intulit astris,
Mortalemque loqui docuit convexa Deorum:
Cur Hyperionios Nepa circumflecteret ignes?
Autumni reditu cur sub gelido Capricorno
Bruma pruinosi juga tristia solveret anni?
Cur spatium lucis madidæ cum tempore noctis
Libra celerque Aries dimenso pondere Olympi
Æquarent? Qua parte polus sublimior alto
Cardine cæruleas Thetidis non tangeret undas?
Quis polus umbrifero lateat declivis in axe,
Et vaga palanti cur signa errore ferantur?
Quæ rursum ingenio numerisque Solensibus idem
Jupiter efferri melius dedit incola Tauri,
Musa ut Cecropios superaret et Aonas agros.

æternos animat genitabilis artus ». In lectione Grotiana *ætherei artus* haud dubie intelligendi sunt pulmones, et cor, quæ æthere infuso spirant et vigent.

53. *Hic primum Cnidii radium senis intulit astris*. Senex Cnidius est *Eudoxus*, a quo Phænomenorum argumentum accepit Aratus, cujus vestigia legit Avienus. Infra v. 102 : « sic astrum dici Cnidius dedit ». Conf. Jos. Scaliger ad Manil. Astron. not. p. 54.

55. *Cur Hyperionios Nepa circumflecteret ignes; Autumni reditu cur sub gelido Capricorno Bruma*. Ita recte distinxit Grotius. Nam enumerat Avienus solstitia et æquinoctia; itaque necesse est per *Nepam* hic *Cancrum* intelligamus; Cancri autem æquinoctium in ipsa æstate, non in autumno est. Male vulgo distinguitur : « Cur Hyperionios Nepa circumflecteret ignes Autumni reditu; cur sub gelido Capricorno Bruma, etc. »

58. *Cur spatium lucis madidæ cum tempore noctis Libra celerque Aries dimenso pondere Olympi Æquarent*, ex Grotii emendatione, quam sensus necessario exigit. Vulgo : « cur spatium lucis, madidæ cur tempora noctis Libra celerque Aries demerso pondere Olympi Æquarent, etc. »

64, 65. *Quæ rursum ingenio numerisque Solensibus idem Jupiter efferri melius dedit incola Tauri*. Spectat hoc ad Aratum, Solis, Ciliciæ urbe, oriundum. Taurus est mons in Cilicia. Similiter in gratiam Arati de Cilicibus Manil. Astron. I, 392 : « Montis ab excelso speculantur vertice Tauri Eventus frugum varios, et tempora dicunt ».

66. *Musa ut Cecropios superaret*

Me quoque nunc similis stimulat furor, edere versu
Tempora, quum duris versare ligonibus arva
Conveniat; quum velivolo dare carbasa ponto;
Et quum viticomo crinem tondere Lyæo.
O mihi nota adyti jam numina Parnassei!
O, per multa operum mea semper cura, Camœnæ!
Jam placet in superum visus sustollere cælum,
Atque oculis reserare viam per sidera; major,
Major agit mentem solito Deus, ampla patescit
Cirrha mihi, et totis se Helicon inspirat ab antris.

ARCTOS.

Omnia quæ flammis pingunt radiantibus æthram,
Nox agit, et verso ceu fixa trahuntur Olympo.
At non cuncta tamen signorum in lege putanda;
Nam numeris et honore carent; micat omnibus ignis,
Et rutilo cunctis flagrat coma flammea crine;

et Aonas agros. Sic reposoi cum Grotio, quom utique ex vulgata lectione, *raperetur et Aonas agros* commodos sensus elici vix possit. Avienus, Descr. Orb. v. 5: « Aoniis perget stylos impiger orsis ». — *Me quoque nunc similis stimulat furor edere versu* Jo. Schraderus io not. ad Avieni Periegesin. (Wernsdorf. Poet. Lat. min. hujus tom. supra pag. 144. Ed.) conjiciebat legendum « Me quoque nooc Latio stimulat furor edere verso ». Verum nihil mutandum est.

70. *Viticomo crinem tondere Lyæo.* Male vulgo *victicomo.*

72. *O, per multa operum mea semper cura, Camœnæ! Multa operum* dixit græco more pro *multa opera.* Sic sopra vs. 23, *rerum fluitantia* pro *res fluitantes.* Indicat Avienus, sese ante Arateorum paraphasio *alia poemata edidisse*. Conf. Wernsdorf. Comment. de Avieno.

75. Cf. Avieni Perieg. v. 6 sq. et not. Schrad. ad h. l. apud Werns. l. l. Barth. Advers. XLVI, cap. 16.

77. *Omnia quæ flammis pingunt.* Heinsius hic legebat *cingunt;* sed *pingunt* non sollicitandum videtur. Hoc verbom in simili re poetis ositatum. Auson. Epist. ad Hesper. III, 15: « Iricolor vario pinxit quam pluma colore »; et in Anthol. Lat. V, epigr. 21, 3: « Iris picto spectabilis arcu ». Ed.

78. *Nox agit, et verso.* Ita, notante Morellio, codd. antiqui. Recte. Vulgo perperam: « Nox et agit, verso ».

80. *Nam numeris et honore carent,* ex emendatione Grotii. Codd. antiqui *caret.* Vulgo *carens.*

82, 83. *Sed quia non certa for-*

Sed quia non certa formarum luce notantur
Omnia sideribus, cassum fit cætera volgus.
Mobilis en etiam mundi se machina versat,
Ponderis et proprii trahit inclinatio cælum;
Sed non axis item curvi vertigine fertur
Ætheris, ut stylus instabili convolvitur orbi,
Ipse manens tenuisque procul sacra viscera cæli
Perforat, et mediæ molem terræ tenet; illum
Non prolixa dies, non incumbentis Olympi
Cursus agit, motatve loco labor, ut semel hærens
Constitit, et ferri se circum cuncta remisit.
Terminus extremo dispar polus. Oceano pars
Sublime erigitur, subit altera mersa sub undas
Pars Erebum, et nigri jacet hæc ut conscia Ditis:
Hic Notus; horriferis aquilonibus illa rigescunt,
Ac teres in gemina stridit vertigine cardo.
Alter in obtutum facilis latet; alter et alto

marum luce notantur Omnia sideribus, cassum fit cætera volgus. Male vulgo legitur et distinguitur: « formarum in luce notantur Omnia, sideribus, etc. « *Vulgum cassum* vocat Avienus stellas ἀμορφωτοὺς, de quibus alibi: « ignoti vice vulgi semet in æthram Protollunt ». Manilius, I, 470: « quum Luna conditur omne Stellarum vulgus, fugiunt sine nomine signa ». Conf. Jos. Scaliger. not. ad h. l. pag. 62.

87. *Ut stylus instabili convolvitur orbi.* Edd. antiquiores *in stabili.* Correxit jam Morellius.

88. *Ipse manens tenuisque procul sacra viscera cæli Perforat.* Vulgo sine sensu: « Luce manente tenusque procul ». Uti nos dedimus, rescripsit Grotius, qui etiam monet, *procul, late, super,* aliaque similia in Avieno sæpe reperiri πλεονάζοντα.

91. *Ut semel hærens Constitit.* Aratus, Phæn. v. 22, ἄρηρεν. Manilius, I, 284: « Perque ipsum terræ directus constitit orbem ».

93. *Terminus extremo dispar polus; Oceano pars sublime erigitur.* Sic maluit Grotius. Extremo axi terminus est dispar polus. Arat. Phæn. vs. 84: Καί μιν πειραίνουσι δύω πόλοι ἀμφοτέρωθεν. Potest tamen vulgata quoque lectio « Nec minus extremo dispar polus », quodammodo defendi. *Pars* h. l. eodem sensu dis citur, quo apud Germanicum, vs. 22: « Quem Graii dixere polum; pars mersa sub undas Oceani, pars celsa sub horrifero Aquilone »; ubi vide Buhl.

97. *Ac teres in gemina.* Ita recte edd. antiquiores. Edd. Morel. et Grot. in textu (quamvis improbante Grotio) *Hac teres.*

Deprimitur barathro. Sed qua sublimior axis
Tethyos undosæ linquit cetosa fluenta,
Contemplare sacras ut mundus subjicit Arctos.
Sic astrum dici Cnidius dedit; Ausone easdem
Voce feras Ursasque et Plaustra vocare solemus:
Fabula namque, ursas; species dat, plaustra videri.
Has pater omnipotens nemorosi in valle Lycei
Adsuetas duris quondam venatibus, æthræ
Intulit, et rapto genitricis flore sacravit.
Vel, ceu fama dehinc docet altera, Creta ubi fluctu
Tunditur insanis late circumsona Cauris,
Jupiter has idem rerum memor indultarum,
Et custoditæ referens pia dona salutis,
Quum puer agrestes inter Curetas, et inter
Dictææ longum latuit crepitacula rupis,
Scandere flammigerum victor permisit Olympum,
Nescia signa salis, nocturnique inscia casus,
Hospita et insanis aquilonibus: haud tamen ollis
Ora vel adverso sunt obvia pectora motu:
Versa Lycaoniis sed suspectatur in ursis
Forma super, pariterque polo vestigia librant,
In spinam et flammis ardentia dorsa jacentes.
Sic Jovis altrices teretem prope cardinis axem,
In caput, inque humeros Helice Cynosuraque versæ
Præscia venturis dant semper signa procellis.
Namque Helice Graios, Tyrios Cynosura per altum
Parva regit; non ulla facem succenderit umquam
Stella prior, neque flammigeros eduxerit ortus
Ante alia, immerso quum jam Titanius orbe

101. *Sacras ut mundus subjicit Arctos.* Vulgo *subiit.* Recepi emendationem Morellii.

107. *Rapto genitrices flore.* Vulgo *genitricis.* Ed. Ald. *raptor genitricis.* et in v. pr. *venantibus* pro *venatibus.*

126. *Neque flammigeros eduxerit ortus.* Dedi hunc versum et sequentes, quemadmodum Grotius eos constituit. Conf. Arati Phænom. vs. 40 seq.

127, 128. *Immerso quum jam*

Imbuerit tremulo Tartessia terga rubore,
Cressia quam flammas inter primordia noctis
Major agat, vultusque sacros ostendat Olympo.
Illa licet parvo jaceat Temone per æthram,
Verior in fidem tamen est currentibus æquor.
Cardine nam certo convertitur; huic, mora longos
Pigra tenet gyros, quæ, ceu remorata, parumper
Flectitur, ac tardo cohibet cunctamina lapsu;
Sed quia Sidoniis dux est Cynosura carinis,
Rectior undoso cursus sulcatur in æstu.

DRACO.

Inter utramque dehinc præclari nominis Arcton,
Ceu circumflexo sinuantur flumina lapsu,
Squameus agmen agens *Draco* volvitur, atque obit ambas
Spirarum curvis anfractibus. Hunc quoque ubi artus
Longius effusum spatiosa volumina tendunt,
Compta Lycaoniis includunt Plaustra choreis.
Qua caput est Helices, fundunt sese ultima monstri
Agmina, et hac cæli vix cauda in parte quiescit.
Altera qua spiræ sinus est, sublime reponit
Verticis, et curvo ceu circumclusa Dracone,

Titanius orbe Imbuerit tremulo Tartessia terga rubore. Vulgo : « Imbuit et tremulo Tartesia terga rubore ». *Titanius* dicitur pro *Titan*, ut *Bacchius* (Βάκχιος) apud Euripidem, *Mavortius* apud Petronium, pro *Bacchus* et *Mavors*. Confer Nostrum, Descript. Orb. vs. 62.

129. *Cressia quam flammas.* Vulgo : *flammans*.

131. *Illa licet parvo jaceat.* Sub *illa* intelligitur Cynosura.

133. *Huic, mora longos Pigra tenet gyros. Huic* spectat Helicen. Restituit *huic* Grot. pro vulg. *haud.* — *Quæ, ceu remorata, parumper Flectitur.* Vulgo sine sensu : « neque, ceu mollita, parumper Flectitur ».

136. *Sed quia Sidoniis.* Vulgo : « Denique Sidoniis ».

138. *Inter utramque dehinc præclari nominis Arcton.* Edit. Aldin. vitiose : « pro clari nominis Arcto ».

141. *Hunc quoque, ubi artus.* Vulgo : « hunc quoque, ut artus ». Nescio an recte Schraderus ad Avien. Perieg. 417 contenderit, *ut* sæpius ab Avieno poni pro *ubi*; nam exemplum ab eo adlatum, quum sit lectio dubia, nil probat.

In dorsum alterius dorso jacet Anguis; ab ore
Vertitur, ac longe postremam lapsus in Arcton,
Rursum majoris repetit confinia signi.
Nec quæ stella caput flammarum insignit honore,
Sola micat, solave rubent incendia crista;
Sed setosa duplex adolet duo tempora fulgor,
Et duo sub geminis oculi fulgoribus ardent.
Unicus ignis item mento æstuat, ipsaque forma
Verticis in nutum veluti curvata parumper,
Qua per dimensos demittitur ordo meatus,
Flectitur, atque Helices caudam spectare videtur,
Cujus in extremum spatio propiore per æthram,
Sibila protenti succedunt ora Draconis.
Quin super illa etiam summæ confinia caudæ
Stella subit, dextri quæ temporis igne coruscans,
Æmula vicinis accendit lumina flammis;
At declive caput vertexque obliquior astris,
Hac in parte sacri procumbere cernitur axis;
Qua pater Oceanus rutili reparator Eoi,
Occasus ortusque salo moderante coercet,
Et gemina alternæ miscet divortia metæ.

ENGONASIS.

Inde pruinoso si lumen ab usque Dracone
In convexa feras, oculosque in proxima mundi
Declines, qua parte globo tumet altior ortus,

161. *Quin super illa etiam summæ confinia caudæ Stella subit.* Vulgo *cauda*. Perperam.

166. Conf. Virg. Georg. I, 241. *Pater Oceanus rutili reparator Eoi.* Vulgo: « reparatus Eoi ». Avieno *reparare* est ἀποκαθίστασθαι. Infra: « absolvit totos reparabilis anno ». In Catalect. Pithœi: « Phœnix reparabilis ales ». *Eoum* quoque dixit Avienus suo more, ut vs. 924: « Mundus ab Eoo trahitur reparabilis alto ». In Catal. « Quam modo nascentem rutilus conspexit Eous ».

167. *Occasus ortusque salo*, ex emendatione Grotii. Edd. antiquiores perperam *sole*. Edd. Morel. Grot. in textu *solo*.

Illa laboranti similis succedet imago
Protinus, expertem quam quondam dixit Aratus
Nominis, et cujus latuit quoque caussa laboris;
Panyasi sed nota tamen, cui longior ætas
Eruit excussis arcana exordia rebus.
Nam dura indomiti memorat sub lege tyranni
Amphitryoniaden primævo in flore juventæ,
Qua cedunt medii longe secreta diei,
Hesperidum venisse locos, atque aurea mala,
Inscia quæ lenti semper custodia somni
Servabat, carpsisse manu; postquam ille novercæ
Insaturatæ odiis serpens victoris ab ictu,
Spirarumque sinus et fortia vincula laxans,
Occubuit, sic membra genu subnixa sinistro
Sustentasse ferunt, sic insedisse labore
Devictum, fama est; ac tum Tirynthius æthra
Inclytus et solio fultus sublime paterno est.
Jupiter hanc speciem, miseratus acerba laborum,
Reddidit, et talem cerni permisit Olympo.
En manus ipsa Dei violenta in verbera pendens
Erigitur, dextræque dehinc impressio plantæ

172. *Illa laboranti similis.* Male in edd. antiquioribus distinctum : « Illa laboranti similis succedet imago : Protinus ». — Hyginus hoc signum vocat Cetea, sed alii Herculem, quæ videtur Avieni opinio esse, et quam refert Panyasis in Heraclea. Arato Ἐν γόνασιν. Manil. I, 315 : « Nixa venit species genibus, sibi conscia caussæ ». Firmicus latine vertit *ingeniculum*. Cf. Cic. de Natura Deor. lib. II, 108. En.

175. *Panyasi sed nota tamen.* Non adtigit fabulam in versibus sequentibus ab Avieno additam Aratus. Phænom. vs. 64 sq. unde colligere licet, esse eam aliasque similes a recentioribus adjectas. Avienus fabulam, ut ipse dicit, ex Panyasi hausit. Vid. Schol. German. ad vs. 65; Hygin. Astron. poet. II, 6; conf. Schaubach. ad Eratosth. Catasterism. p. 76. Dedi cum Grotio *cui longior ætas* pro *ceu longior ætas*, ut vulgo legebatur.

177. *Nam dura indomiti.* Sic Grotius. Vulgo : *immodici.*

187. *Ac tum Tirynthius æthra.* Vulgo : *æthræ.*

191. *Manus ..... in verbera pendens Erigitur.* Ita rescripsit Morellius. Antea legebatur *Exigitur;* non male ; quamvis melior sit Morelliana lectio, Conf. infra vs. 246.

Tempora deculcat maculosi prona Draconis.

CORONA.

Poplite succidui qua sideris ampla fatiscunt
Terga dehinc, mersumque jacet sublime humerorum,
Aspice ceu rutilis vibret lux Gnosia flammis:
Hæc quondam Bacchi monumentum fulget amoris;
Hæc Ariadnæi capitis testatur honorem.
Trina ter illustrant hanc lumina; parsque Coronæ
Serpentem vicina subit, qua sibila in Arcton
Ora Draco inclinans stridet flabris Aquilonis;
Post tergum Nixi pars volvitur, ac velut hærens
Rursum defessi reseratur nuntia signi.

OPHIUCHUS.

Istius extremo sub vertice, vertice quippe
Sideris Innixi, clarum nosces Ophiuchum.
Triccæi sidus stat nominis, et cui pingui
Thure Epidaureæ fumant altaria sedis.
In Styga decursis Parcarum ab origine fusis
Merserat Hippolytum sors ultima; jamque, per imas
Cocyti tenebras et stagna nigrantia Ditis,
Portitor ille Charon Thesidæ fata vehebat.
Hic immaturi sed enim miseratus acerbum
Leti supplicium, Neptunique aspera jussa,
Algentes artus Erebo procul intimo ab usque
Suscitat, atque animæ rursum tepefacta calore
Viscera mundanas revocat medicator in oras.

193. *Tempora deculcat.* Germ. 69: « Serpentis capiti figit vestigia ». Ed.

194. *Qua sideris ampla fatiscunt Terga dehinc.* Vulgo *patescunt*, quod ferri potest; sequor tamen Grotium.

206. *Triccæi sidus stat nominis.* Ed. Ald. perperam *Triccœi*. *Tricca* urbs fuit Thessaliæ, ubi colebatur Æsculapius, uti quoque in Epidauro. Conf. Hygin. Astron. II, 14; Schol. German. ad vs. 72, et Heyn. ad Apoll. III, 10, 3, p. 103.

Non tulit Omnipotens, ortu cuiquam generato
Deucalioneo fas esse, novissima fata
Vincere, et incassum decurrere pensa Sororum;
Moxque trisulca polo jaculatus fulmina celso,
Et super aeriæ vibrans incendia flammæ,
Morte repertorem medicinæ audacis in umbras
Dejicit; at gnati reparans solatia Phœbo,
Asperaque exstincti miseratus fata nepotis,
Surgere nocturno jubet inter sidera motu.
  Hic ergo insignes ardens venas Ophiuchus,
Hic rigidos artus formæ Anguitenentis honore
Arduus, hic tantos humeris vibrantibus ignes
Evomit, ut pleno quum Luna nitescit in orbe,
Menstruaque ingenti jam tempora dividit ortu,
Nequaquam lentis obscurior ex humeris lux
Marceat; at manibus non compar flamma rubescit:
Nam suffusa levi resplendent ultima luce;
Sed cerni sunt prompta tamen, postremaque parco
Igne micant. Ille angue manum consertus utramque
Erigitur, serpensque dehinc elabitur ambas
Flexilis, et medium cingit spiris Ophiuchum;
Quem super hærentem plantarum mole duarum
Scorpios in geminas effusus viscera parteis,
Adflictusque oculos, maculosaque pectora pressus,
Sustinet. Attiguas evolvitur Anguis in auras,
Agmine non æquo, neque tanta volumina compar.
Nam qua dextra manus sinuoso adfigitur Angui,

222. Sic Virg. Æn. VII, 773: «Ipse repertorem medicinæ talis, etc.» Ed.

223. *At gnati reparans solatia Phœbo.* Ita legere maluit Grotius. Melius tamen forsitan vulgatum tueremur *gnato reparans*, scilicet *Phœbe*, quum sequenti versu *nepotis* ad *Æsculapium* spectet. *Ac gnati* vulg. equidem malo *at gnati*.

229. *Nitescit in orbe.* Ed. Ald. *nitescet*; sed sequitur *dividit*, nisi forte et hoc in *dividet* mutandum.

236. *Elabitur ambas.* Conf. Manil. I, 330 seqq. Ed.

242. *Neque tanta volumina compar.* Ed. Ald. vitiose *tenta*.

Parcius ab domino terga explicat, altera porro
Plurimus, ac multo per lævum pondere lapsus
Funditur, et rutilo qua lux sedet ignea mento,
Usque Ariadnææ sese vicina coronæ
Lubricus inclinat. Post spiram brachia quondam
Formidata truci suspexeris Orioni:
Heic concessa etenim curvis minitatio Chelis.
Huc falcata Chii repserunt cornua monstri,
Sidereæ nimium facis indiga; namque hebes ollis
Ignis, et obtuso marcent incendia crine.

BOOTES.

Callisto rutilat stellis, quibus usque ferina
Prona fit effigie, quo cardine torquet et axem
Semper inocciduis adtollens lampada flammis
Arctophylax, sive, ut Veteres cecinere, Bootes,
Famosa Arcadici testans commenta tyranni.
Et licet instanti similis, similisque minanti
Terga Helicesjuxta premat arduus, haud tamen unquam
In picturatæ plaustrum procurrere matris
Fas datur, antiqui quoniam contagio in illo

244. *Altera porro plurimus*. Phrasis Avieno usitata, ad Græcorum imitationem : τὰ δ' ἕτερα μέγιστος.

248. *Post spiram brachia quondam Formidata truci suspexeris*, etc. Eleganter utique hi versus a Grotio restituti sunt. Conf. Arati Phæn. vs. 89. Vulgo corrupte : « post spreta brachia quondam Formidata truci suspexeris Orioni ; Hæc concessa etenim curvis mercatio velis. Huc falcata Hiodii repserunt cornua monstri ». Grammatica postulat, *Chius*, quum *locum* designat, corripi, quum *adjectivum*, produci. Sed regulam hanc poetæ negligunt. Nam et pro *loco* Cicero produxit, et pro *adjectivo* corripuit Avienus. Infra quoque v. 1146 : « Curva Chii cælo quum surgunt brachia signi ».

254. *Callisto rutilat stellis, quibus usque ferina*, etc. Hos quoque versus a Grotio emendatos dedi, vulgo corruptissimos ita : « Callisto rutilat stellis, quibus utque ferinam Prona fit effigiem, quo cardine torqueat axem, Semper in occiduis adtollens lampada flammis ».

257. *Arctophylax*. Cf. Eratosth. Catasterism. cap. 1 et 8, et Schaubach. not. p. 67, 81; Schol. German. ad vs. 89, et Hygin. II, 4.

261. *In picturatæ*. Ed. Ald. vitiose *Impicturatæ*.

Criminis, et veterum prohibetur culpa malorum.
Nec minus in membris lux olli maxima vibrat
Omnibus, ardet apex capiti, micat ignea late
Dextera flammam, humeri flammam movet* instar
Inter utrumque femur, qua se confinia lucis
Diducunt pedibus, major qua luminis aura
Verberat, et rutilo sidus magis æstuat astro.
Nam locus Arcturo sacer* adscribitur, illic
Aurea qua summos adstringunt cingula amictus,
Ebria flammanti consurgit stella rubore.

VIRGO.

Qua protenduntur vestigia summa Bootis,
Quaque per immensum circumflagrantibus astris
Circulus obliquo late jacet Astriger orbe,
Contemplare sacros subjectæ Virginis artus.
Quam, te, quam memorem? Sive est genitor tibi summus
Jupiter, ex Themide in terras demissa parente;
Seu patris Astræi clarum es genus, aurea cujus
Sidera sunt proles, et qui pro munere morum
Inculpabilium nomen dedit omnibus astris;
Aut Pelusiaci magis es Dea litoris Isis,
Digna Poli, consors et cura latrantis Anubis;

264. *Lux olli maxima vibrat.* Vulgo *lux olim*, male.

265-270. Mutila hæc sunt et corrupta, nec medela, nisi e melioribus codicibus Msptis, illis adferri potest.

268. *Aura* repono pro *auras*. Ed.

282. Conf. Jo. Schrad. ad Avieni Perieg. not. (supra huj. tom. p. 103, ad vs. 24. Ed.)

283. *Digna Poli, consors et cura latrantis Anubis.* Ita distinguendum. Male vulgo: « Digna Poli consors, et cura latrantis Anubis ». *Digna poli*, ἀξία πόλου. Fateor interim, me non adsequi, quo sensu Avienus Isidem dixerit *dignam poli*. — Sed conferatur infra vs. 443. Ed. — Arbitror potius, legendum esse: « Digna coli consors et cura latrantis Anubis ». Eratosth. Catasterism. cap. 9: οἱ μὲν γὰρ αὐτήν φασιν εἶναι Δήμητραν, διὰ τὸ ἔχειν στάχυν· οἱ δὲ Ἶσιν· ubi non adsentior docto Eratosthenis editori, verba οἱ δὲ Ἶσιν a Grammaticis adposita putanti, quod Græci contenderunt, Cererem ab Ægyptiis Isin vocari. Docet noster Avieni locus, verba illa ab ipso

Seu tu diva Ceres, sic nam tibi flagrat arista,
Et ceu Siriaco torretur spica calore
Protentata manu; seu tu pernicibus alis,
Nec sat certa gradum, viduataque vertice summo
Fluxa polo vertis vestigia, lubrica ut ævum
Sors agat, et subitis obrepat mobile fatum
Temporibus; precor, in terras procul æthere ab alto
Flecte oculos, placidamque meis venerabilis, oro,
Pande sacris aurem. Tu quum sincera priorum
Vita hominùm nullis ageret sub legibus ævum,
Aureaque innocuos servarent sæcula mores
Sponte sua, nec criminibus via prompta pateret,
Inter confusos populorum libera cœtus
Versabare libens, nullique obnoxia culpæ
Corda inhibens, medias casto res more tenebas.

Eratosthene esse profecta. Confer schol. German. ad vs. 95; Hygin. II, 25.

286. *Protentata manu, seu tu pernicibus alis*, etc. ex emendatione Grotii. Varias de Virgine refert Avienus fabulas cum suis rationibus. Dixerat, eam esse Astræam, Isidem, Cererem; nunc adpellat Fortnnam, quia alas habet et capite obscura est. Schol. German. l. l. « Quidam vero Fortunam, pro eo qnod sine capite astris infertur ». Hyginus l. l. « Sed hanc alii Fortunam, alii Cererem dixerunt; et hoc magis non convenit inter eos, quod capnt ejus nimium obscurum videtur ». Vnlgo legitur sine sensu : « Protentata mauu ter quæ pernicibus alis, Nec sat certa gradum, viduataque vertice summo Fluxipedæ vestis vestigia, lubricnm nt ævnm Sors agat ». Paullo aliter restituit hos versus Casp. Barth. Advers. XXXVI, c. 2 : « Protenta apta mann, tu quæ pernicibus alis Nec sat certa gradum, viduataque vertice summo Fluxa pilæ vertis vestigia, lubricum nt ævum Fors agat ». In qua Barthii emendatione mihi magis adridet *Fluxa pilæ*, quam, quod Grotius maluit *Fluxa polo*.—D. Heinsius, Introd. ad Hesiod. p. 237, emendat *Flexipedæ vertis*, vel *Flexibilis*. N. Heins. legebat *fluxa pilæ insistis*, vel *credis*. En.

289. *Mobile fatum*. Sic in epigr. in Alexandrum Magnum, Anth. lib. II, 16, vs. 1 : « Fortunæ mobile regnum », et « punctum mobilis horæ » de rerum vicissitudine Horat. Epist. II, 2, 172. Seneca in Hippolyto, v. 1142 : « Volat ambiguis mobilis hora, nec nlla præstat velox Fortuna fidem ». Ita *mobilis nexus, fatalis mobilitas*, et *mobilis fati series stabili providentiæ* opponitur apud Boeth. Consol. Philos. lib. IV, pros. VI. En.

298. *Corda inhibens, medias casto*

Nullus telluri limes datus, indice nullo
Culta secabantur, neque jam discretio campum
Metiri in dominos monstraverat: omnia rerum
Usurpantis erant; promiscua rura per agros:
Præstiterat cunctis communia cuncta videri.
Denique quum placidas crebro Dea viseret urbes,
Tectaque justa virum passim succederet, illa
Ferventis late pelagi natura, salumque
Fluctibus instabile, et glauci vada turgida ponti,
Qua senior cano nutrit sub gurgite Nereus
Delphinos virides, et physeteras anhelos,
Ignorata suo seclusaque fine jacebant.
Nulla fides undis; tumido commercia fluctu
Nulla petebantur: neque longis navita terris
Insinuare ratem consueverat, exsul ut oris
Omnibus externas veheret per inhospita gazas
Æquora, et insano penderet sæpe profundo.
Omnia sed cunctis nasci dabat aurea terris
Justitia, et nullo discreverat aere regna.
At postquam argento deformis viluit ætas,
Rarius in terras os inclinabat honestum
Jam Dea, vix summos adlabens denique monteis,

res more tenebas. Vulgo: « Corda inhibens media, casto res more tenebas ». Possit hæc lectio tolerari mutata distinctione: « Corda inhibens, media casto, etc. » ut dedit Coll. Astron. et ipse Th. Buhl.; repugnat tamen metrum. Barthius l. l. emendavit: « Corda inhibens, viduas astu res more tenebas », i. e. regebas rem publicam bona morum consuetudine absque astutia et ambitione.

302. *Promiscua rura per agros*. Vulgo: « promiscua thura »; sed perperam.

305. *Passim succederet, illa Ferventis late pelagi natura*. Ita distinguendum est. Male vulgo: « passim succederet illa, Ferventis, etc. »

313. *Insinuare ratem consueverat*. Vulgo: « ratem jus fecerat ». — Manil. I, 87: « Et vagus in cæcum penetravit navita pontum ». Ed.

315. *Et insano penderet sæpe profundo*. Pessime distinguebatur olim: « et insano penderet sæpe profundo Omnia; sed cunctis ». Mallet Buhl. pro *insano* legere *in salo*, sed metrum adversatur. Ed. — Neque tamen omnino spernenda est vulgata

Quum cedente die Phœbus sub nocte propinqua
Occiduus pronos urgeret in æquora currus,
Usurpandam oculis sese dabat adcurrentum:
Non ut fessa virûm repararet gaudia vultu,
Sed crepula ut late vomeret convicia voce :
« Parcite, vile genus, lacrymis, aiebat, obortis!
Caussa querelarum vestrum est scelus, aurea quondam
Judice me vestri vixerunt sæcla parentes.
Degener in vobis animus; solertia vobis
Pervigil; arte nova vitam traducere mos est.
Omne ævum studiis excuditis. Hinc quoque rursum,
Proh pudor atque dolor! nascetur vilior ætas;
Et lacerata genas ibit Bellona per urbes
Saucia, ut infidas agitent certamina mentes ».
Hæc ubi permœsto rauco congesserat ore,
Alite procursu sese in convexa ferebat
Protinus, atque oculos fugiens exosa sequentum
Linquebat cœtus hominum. Ruit hæc quoque rursum
Vivendi series, ac successere pudendo
Ærea sæcla habitu: fraus ilicet, et furor ardens,
Atque cruentus amor chalybis, segnisque libido,
Et malesuada lucri rabies subit; omnia terror
Degener, ac mœstæ facies formidinis implet.

lectio. *Pendere* h. l. est, monente Grotio, μετεωρίζεσθαι, jactari, periclitari, ut sæpe apud Manilium.

323. *Oculis sese dabat.* Vulgo: *oculis se dabat.*

325. *Sed crepera ut late vomeret convicia voce.* Sic rescribendum conjecit Grotius. Vox *crepera* a *crepando* deducitur, unde et *increpare* dicimus. Avienus infra vs. 1001 : « creperi succedens stagna profundi ». Proposuit Grotius aliam conjecturam : *pulchra* pro *crepula*, ut vulgo legitur. Vix autem ferri potest, Virginem *pulchra voce* convicia *vomere.* Ergo aut vulgatum *crepula*, aut *crepera* retinendum erit.

326. *Lacrymis aiebat obortis.* Ed. Ald. vitiose *ab ortis.* Eadem perperam vs. 336 : « Alite pro cursu sese inconvexa ferebat ».

328. *Judice me.* Male vulg. *Indice.* Ed.

342. *Et malesuada lucri rabies subit.* In vulgatis male distinguitur: « rabies subit omnia; Terror Degener, ac mœstæ facies formidinis implet ».

Secreti indomitus vada gurgitis ultima versat
Tiphys; Agenoreo color hinc mentirier ostro
Incipit, Assyriumque bibunt nova vellera succum,
Ebria ut externo splendescat lana veneno.
Sic justa in populos mox Virginis inculpatæ
Exarsere odia, et cælum pernicibus intrat
Diva alis, spatiumque sibi subvecta per auras,
Unde procul terras summa vix cerneret æthra,
Propter anhela libens late capit astra Bootis.

Istius extremis humerorum partibus urget
Stella facem, qualique rubent incendia flamma,
Quæ subjecta procul caudam majoris ad Ursæ
Vertice brumalis circumvolvuntur Olympi:
Talis utrique modo simul et fulgore micat lux
Plurima; quippe procul clare fax ardet in Arcton.
Nec contemplandi labor anxius; omnia primis
Obvia ceu vibrant obtutibus; unus ab ore
Quæ sunt prima fere vestigia, præminet ignis;
Altera, qua pedibus regio est clunalibus, ardet
Stella itidem, genibusque dehinc se tertia promit,
Æmula qua rutilæ flagrant confinia caudæ.
Non tamen his species, non sunt cognomina certa,
Sed permixta simul vulgi vice convolvuntur.

344. *Secreti indomitus.* Vulgo *immodicus*, quod nescio cur Grotius mutaverit, quemadmodum etiam supra vs. 177.

345. *Agenoreo color hinc mentirier ostro Incipit. Mentirier* passive hoc loco pro simulari, et *mentirier incipit* pro *mentitur* dictum; ut et sæpe Manilius.

346. *Nova vellera succum. Vellere* dedit Buhl. sed hic error typographi videtur, nam nihil est, quo referatur *nova*. Ed.

347. *Ebria ut externo splendescat lana veneno,* ex emendatione Grotii. Vulgo: *extremo.* Levior esset mutatio, si *extrema* legeres, scilicet lana, ut summa lana splendescat purpura.

357. *Utrique.* Alii *utrumque... Fax ardet in Arcto.* Vulgo: *Arcton.*

359. *Nec contemplandi.* Ed. Ald. perperam: *Ne contemplandi.*

359, 360. *Omnia primis Obvia ceu vibrant obtutibus.* Grotius conjecit *convibrant* pro *ceu vibrant.* Sed vulgata lectio bene se habens servanda est.

GEMINI.

Illa quidem supero conserta relabitur axe,
Inscia piscosi semper salis. Ipsius autem
Subjectos capiti Geminos tibi cernere fas est,
Spartanam, Geminos, sobolem, prolemque Tonantis
Egregiam, et patrio post reddita numina cælo.
Nam Lacedæmoniis Mars quum caluisset Aphidnis,
Castora Cecropii tulit inclementia belli.
At frater, lucemque et fata superstitis ævi
Exosus, sortem lacrymis efflagitat æquam:
Protinus alternæ germanos tempore vitæ
Jupiter adtollit, cælique in celsa receptans
Æternæ flagrare facis jubet ignibus ambo.

CANCER.

Alvo Helices Cancer subvolvitur; astraque Cancro
Juno novercales ut semper proderet iras,
Præstitit. Hic etenim, Lernæi gurgitis Hydram
Ureret Alcides quum flammiger, ausus in ipsum
Repere victorem; qua duro concava dorso
Tegmina curvantur, geminus micat ardor in auras:
Hos dixere Asinos ortos Thesprotide terra,
Et sidus, Lenæe, tuum. Disterminat aer
Crassior hos. Itidem qualis præsepibus esse
Forma solet, dispar Chelarum flamma coruscat.
Namque tribus stellis adoletur dextera Cancro;
Læva duas pigro succendit fomite flammas.

371. *Et patrio post reddita numina cælo.* Vulgo : *et proprio*. Non male.

372. *Lacedæmoniis Mars quum caluisset Aphidnis.* Dixit Avien. *Aphidnas Lacedæmonias*, ut distingueret ab Aphidnis in Attica. Cf. Schol. German. ad v. 145; Hygin. Astron. II, 22.

386. *Et sidus, Lenæe, tuum.* Pessime vulgo distinguitur : « Et sidus Lenæe tuum disterminat aer Crassior. Hos itidem qualis ». Cf. schol. German. ad vs. 145; Hygin. II,

LEO.

Qua postrema pedum rutilant vestigia in Arcto,
Maxima flammigeri mundus trahit ora Leonis.
Membra dehinc, longi qua sese semita cæli
Plurima protendit, torrentur fomite acuto
Singula, et assiduis ardet Leo viscera flammis.
Hic Hyperionii flagrat via solis, et isto
Se duce cærulei referunt momenta caloris.
Tunc succisa Ceres strati cum mergite culmi
Construitur, flavos tondentur semina crines
Omnia, et advectas late coquit area messes.
Tunc et Threicii repetunt animosa Aquilones
Flabra polo; tunc Oceanum stata flamina cæli
Propellunt pelagus; longis hoc tempore in anni
Otia sunt remis; pontus vehit ipse carinas.

AURIGA.

Aurigatorem par sit quoque cura videre;
Namque tuas aures implebit fabula solers
Cretæi pecoris. Hæc lac memoratur alumno
Infudisse Jovi Capra, nutrix dicta Tonantis:
Stelligero subvecta polo est. Ille impiger autem
Pulcher Erichthonius currus et quatuor olim
Junxit equos, pronus qui non procul in Geminorum
Læva jacet, fusoque super se corpore tendit
Plurimus, adque Helices caput inclinatur ab ore.
Ille quidem in spatium membra explicat; at Capra lævo

23; Schaubach. ad Eratosth. Catast. pag. 85.

398. *Strati cum mergite culmi.* Omnes et ipse Buhl. habent *statim*, quod non tolerari potest. Ed.

402. *Oceanum... pelagus.* Sic infra: « surgunt Oceano jam gurgite »; et v. 440: « æquore surget Oceano ».

413. *Adque Helices caput inclinatur ab ore*, ex emendatione Morellii Vulgo *atque*. Confer Apollod. III, 14, 6, et Heynii not. Schol. German. ad vs. 155; Hygin. Astron. II, 13.

Fixa humero clare sustollitur; ipsius autem
Fine manus parvas Hœdorum suspice flammas.
Qui postquam Oceano sese expediere sonoro,
Sæva procellosis immittunt flabra fluentis,
Ut spumosa truci pulsentur litora fluctu,
Et vaga cæruleas involvant æquora puppes.

TAURUS.

Nec minus Aurigæ qua sunt vestigia curvi,
Cornigeri late tenduntur pectora Tauri.
Illic setosam pecoris perquirere frontem
Esto memor: flexo jacet illic crure, minaces
In terram figens oculos; tum cætera signa
Flammarum similem procul inter sidera formam
Ostentare valent: gemino sic cornua ductu
Erigit ætherii vigor ignis, et ignis utrimque
Sic camuris ardet protractibus; haud tibi signis
Perquirenda aliis pecoris frons æquore surget
Oceano; proprio Taurum deprenderis ore:
Cornua sic vera sub imagine curva dehiscunt:
Sic mediam creber pecori frontem àsperat ignis:
Sic Hyades Tauri toto procul ore coruscant.
At Boream lævo qua Taurus acumine pulsat,
Desuper Aurigæ dexter pes imminet astro.
Una pedem Aurigæ dextrum, cornuque sinistrum
Stella tenet pecoris; simul in convexa feruntur:

427-431. *Gemino sic cornua ductu Erigi: ætherii vigor ignis, ... pecoris frons æquore surget Oceano.* Ita dedi et distinxi cum Grotio, sensu exigente. Vulgo male: « gemino sic cornua ductu Erigit ætherii rigor ignis et ignis utrinque. Sic camuris ardet protractibus, haud tibi signis Perquireuda aliis pecoris frons æqua resurget; Oceano proprio Taurum depreuderis ore ». *Camurus, Camorus, Camor* est *curvus*; vid. Festus. Derivatur vox ἀπὸ τῆς καμπῆς. — Taurus fingitur tamquam bos iugeniculatus, unde eum iuterpres Ptolemæi κυρτὸν vocat et Lucanus *curvatum*. Arato πεπτηώς. Manilius item *flexum* vel *nixum* dicit. Ed.

433. *Sic mediam creber.* Vulgo: *sic media.*

Sed prior occidui Taurus subit æquoris undas.

CEPHEUS.

Nec mea Musa senem tacitum Cephea relinquet:
Iasidem quoque summa poli Cephea revolvunt;
Illum quin etiam rutilæ pater intulit æthræ,
Donavitque polo. Tergum Cynosuridos Ursæ
Post habitat, geminasque manus a pectore tendit.
At diducta pedes tantum hinc mensura seniles
Dividit, extremo quantum pede distat ab Ursa:
Non eget hujus enim sedes sacra luminis hilum.

CASSIEPEIA.

Rursum declivi si visum tramite vergas,
Prima tibi ut flexi linquatur spira Draconis,
Infortunatam spectabis Cassiepeiam.
Sed nec multa tamen, quum cælum lumine toto
Luna replet, tetram ut superet fax aurea noctem,
Occurret genitrix oculis quærentibus. Absunt
Lucida mœrenti; tenuis rubet ignis, et ægræ
Lux hebes est matri: vix qualem Caria quondam
Noverat intrantem per claustra tenacia clavem.

440. *Nec mea Musa senem tacitum Cephea relinquet. Tacitum* h. l. passivo sensu dixit. Non silebit mea Musa senem Cephea.

445-448. *At diducta pedes tantum hinc mensura seniles Dividit*, etc. ex emendatione Grotii. Conf. Arati Phænom. vs. 183. *Sedem* Avienus dixit sidus, ut Aratus vs. 692, νοτίοιο θυτηρίου ἱερὸς ἕδρα. (Sed Felli editio habet ὕδρη. En.) Germanicus, vs. 255, «in sede notarit». Vulgo: «At diducta pedes tamen hnic mensura seniles Dividit, extrema quantum pede distat ab Ursa. Non eget hujus enim sedes sacra numinis hilum». In ed. Ald. versui primo deest *huic*.

448. *Declivi si visum tramite vergas.* Recte vulgatam hanc lectionem retinendam censet Grotius, quamvis malit aliquis *vertas* pro *vergas*. Manil. Astron. I, vs. 303: «utraque caudam Vergit in alterius rostrum».

450. *Infortunatam... Cassiepeiam.* Hanc *matrem dolentem* dicit Manil. II, vs. 28, et infra Noster *ægram matrem*.

453. *Absunt lucida mœrenti.* Vulgo: *adsunt*. Perperam.

454. *Et ægræ lux hebes est ma-*

Formatur stellis distantibus; inque humeros vix
Tenditur angustos; natæ fera fata retundunt.

ANDROMEDA.

Namque subest, teretisque poli simul orbe rotatur
Andromeda, ingenti quæ semper luce coruscans
Sponte oculos in membra rapit; face denique vertex
Ardet anhelanti, geminamque per aera fundunt
Lucem humeri, et summis lux æstuat ignea plantis.
Ignea quin etiam per cælum cingula flagrant
Andromedæ, et toto vibrant in corpore flammæ.
Sed tamen hic etiam vivax est pœna dolenti;
Nam diducta ulnas magna distendit in æthra,
Vinculaque in cælo retinet quoque; tenuia quippe
Brachia contortis adstringunt vincula nodis.

EQUUS.

Rursus odorato qua vertex crine tumescit,
Andromedæ capiti succingitur indiga pleni
Alvus Equi, summo qua fax in vertice vibrat
Virginis, inque auras cornu vice surgit acuti.
Ipsa sub abscisso late micat aurea ventre

tri. Vulgo : *ægra*. Male. Confer Schol. German. ad vs. 189; Hygin. II, 10.

459. *Teretisque poli simul orbe rotatur.* Vulgo: *notatur*. Male. Arat. Phænom. vs. 197, κυλίνδεται.

460. *Ingenti quæ semper luce coruscans.* Vulgo vitiose : « incendi, quæ semper luce coruscans ».

464. *Ignea quin etiam per cælum cingula flagrant Andromedæ.* Ita jam correxit Morellius, adprobante Grotio. Vulgo *singula flagrant.* Arat. Phæn. vs. 201, ζώματα.

468, 469. *Vinculaque in cælo retinet quoque*, etc. ex Grotii emendatione. Corrupte vulgo : « Vinculaque in cælo retinent quoque tenuia, quippe Brachia contortis adstringunt nubila nodis ».

470. *Qua vertex crine tumescit.* Vulgo *quæ*. Perperam. Sic etiam versu 472 restitui cum Grotio *qua fax* pro vulgato *quam fax*.

474. *Ipsa sub abscisso late micat aurea ventre Cornipedis.* Correxi distinctionem vulgatam vitiosam : « Ipsa sub abscisso late micat aurea ventre, Cornipedis simul hunc lux indiscreta renectit ». *Micat* pro *jacet*, ut Grotius maluit, melius forsitan. — Conf. Manil. I, 350, de

Cornipedis; simul hunc lux indiscreta renectit;
Communique rubent duo semper sidera flamma.
Treis latus atque armos aliæ pecoris pinxere,
Et spatio disjuncta pari fax æmula flagrat.
Plurimus ignis inest, vasto globus æstuat orbe.
Sed non et capiti similis rubor, ipsaque cervix,
Quamvis procero surgat juba maxima collo,
Languida marcenti vix est spectabilis igne.
Ultima quæ mento sese explicat, haud minor illa
Quatuor est primis, quæ formam lumine claro
Cornipedis simulant. Non hic Equus integer artus,
Non quadrupes cælo sustollitur; at tenus alvo
Erigitur media; nam cætera pone negantur,
Et quatit ætherias primis modo cruribus auras.
Namque hunc Aonio quondam memorant Helicone,
Inclyta post Lyciæ redeuntem bella Chimæræ,
Mystica qua rupes doctis obmurmurat antris,
Herbarum carpsisse comas, et gramine odoro
Explevisse famem; sed quum sitis arida fauces
Ureret, ac nullo manaret gurges hiatu,
Illisisse pedem, cornuque excita repente
Lympha camœnalem fudit procul Hippocrenen.
Aones hoc latici posuerunt nomen equino
Pastores. Strepit hæc placido inter saxa susurro,
Atque Helicone cadens sese sitientibus herbis
Inserit, Ascræas donec vaga gurgite valles

Equo: « Et finitur in Andromeda »; ubi vid. not. Hygin. de hac dicit stellam esse in umbilico Equi, quæ caput Andromedæ vocatur. Ed.

485. *Non hic Equus integer artus.* Aratus, vs. 214, Οὐδ' ὅγε τετράπος. Igitur legendum *hic*, non *hinc*, ut vulgo.

486. *At tenus alvo Erigitur media; nam cætera pone negantur.* Sic recte emendavit Grotius. Vulgo: « at tenus alvo Erigitur, media jam cætera pone negantur ».

489. *Namque hunc Aonio quondam memorant Helicone.* Non bene vulgo: *Nunc hunc.* Vid. Schol. German. ad versum 204; Hygin. II, 18; Eratosth. Cataster. c. 18, et Schaubach. not. p. 95; Heyn. ad Apollod. II, 3, 1.

Vivificet. Rigat hac animas et Thespia pubes
Semper, et in latices inhiat gens fontis alumni.
Ast Equus alterno redit inter sidera motu,
Oceanique salo caput exserit. Haud tibi magni
Cura laboris erit cælo spectare sereno
Cornipedem; micat ille procul flagrantibus astris,
Et perfusa recens educit pectora ponto.

ARIES.

Tunc celer ille Aries, longi qui limitis orbe
Æthera percurrens, nunquam Cynosuridos Ursæ
Segnior ablapsu convertitur, haud procul astro
Visus Equi, magno celsum secat aera motu.
Parcior hic rutilæ semper facis, indigus ignis
Spectatur justi. Nam quanti luminis astra
Esse solent, aciem quibus aurea Luna retundit,
Marcida Lanigeri tantum se forma sub auras
Exserit; in tenui quamquam primordia Phœben
Orbe habeant, nullumque decus Dea proferat ore.
Sed licet hunc oculis frustra sectere per æthram,
(Nam semper propriis caret ignibus) en tibi propter
Andromedæ claro rutilantia cingula in astro
Suspectanda patent. Vocat ingens Balteus ultro
Quærentem, non longa Aries statione remotus,
In convexa redit; parvo se tramite subter
Distinet, et medio cælum citus ordine currit,
Ultima Chelarum qua brachia, quaque corusco
Circulus axe means rutilum secat Oriona.

501. *Rigat hac animas.* Vulgo : « rigat has animas », male.

512. *Parcior hic rutilæ semper facis.* Ed. Ald. vitiose *Partior.*

517. *Nullumque decus*, ex emendatione Grotii. Vulgo : *nulloque.*

522. *Non longa Aries statione remotus In convexa redit; parvo se tramite subter Distinet.* Aratus, Phæn. vs. 230 : ὀλίγον γὰρ ὑπ' αὐτὴν ἐστήρικται. Vulgo : « non longa Aries statione locatus, In convexa redit parvo se tramite; subter Distinet ».

524. *Distinet*, διείργει, ut apud Lucretium, V, 204 : « Et mare, quod late terrarum distinet oras ».

DELTOTON.

Est etiam Graio quod semper nomine nostri
Deltoton memorant. Simile est latus; istud utrimque
Porrigitur; summum signo caput angulus arctat,
Et geminum suprema jugum vicinia mordet.
Tertia, quæ stantes sustentat linea ductus,
Parcior, haud simili sese sub limite tendit,
Et contracta modum gemina face flammigerarum
Stellarum superat. Quin et qua subter in astro
Lanati marcent pecoris, pluvioque tepescunt
Jam vicina Noto, minor istic linea luce
Et fulgore facis prævertitur; at locus olli
Post tergum Andromedæ: sic se tulit ordo dicatus.

PISCES.

Hinc si vicino flectaris lumina visu,
Inque Notum sensim Boreali ab cardine ductus,
Inclinere oculos, proles tibi Dercia, Pisces
Surgent Bambycii; sedes data quippe duobus
Piscibus, ingenti qua celsam circulus æthram
Orbe secat; tendit qua pennæ extrema sinistræ
Ales equus; mundo qua pectora Laniger alto

528. *Simile est latus; istud utrimque Porrigitur.* Sensus est : Latera, i. e, lineæ duæ, quæ basi insistunt, sunt similes, i. e. æquales, et in angulum coarctantur. Videtur itaque Avienus latera vocare crura, ἀκυρολόγως. Vulgo : « simile est latus istud utrumque... Et gemini suprema jugi vicinia mordet ».

531. *Stantes... ductus. Stantes* male, quum inclinari debeant invicem latera, uti angulum efficiant. Ed.

534. *Quin et qua subter in astro.* Ita legendum est; nam designatur locus. Conferantur Arati Phænom. versu 235. Vulgo : *quin et quæ.*

540. *Boreali ab cardine ductus.* Vulgo *doctus*, perperam.

541, 542. *Proles tibi Dercia, Pisces, surgent Bambycii.* Recepi in textum Grotii emendationem. Vulgata lectio sensum idoneum non parit : « proles tibi tertia Pisces surgent Bombycii ». Ed. Ald. « piscis surget ». Conf. schol. German. ad vs. 235; Hygin. II, 30; Eratosth. Catast. cap. 21, Jos. Scaliger ad Manil. I, 428.

544. *Tendit qua pennæ extrema sinistræ.* Perperam vulgo : *penna.*

Urget, et adverso surgentem corpore Taurum
Respicit: hic medio signantur sidere Pisces.
Quorum alius rigida consurgit in aera forma
Celsior, et Borean propior subit, alter aquarum,
Troicus haurit aquas, funditque ubi Ephebus ab urna,
Pone avidus, jacet in notialia nubila pronus.
Sed tamen hi late stellis ex ordine fusis
Nectuntur caudas, et lenta trahuntur utraque
Vincula, per cælum coeunt quæ singula rursum,
Et rutilo confixa quasi super igne tenentur,
Cælestem memorat quem solers Græcia Nodum.
Ex humero Andromedæ lævo quoque noscere Piscem,
Qui rigidum celsi suspectat cardinis axem,
Perfacile est; ulnæ nam proximus iste sinistræ
Cærulus erigitur.

PERSEUS.

Quin et vestigia propter
Persea sub volucri par est tibi quærere forma.
In caput inque humeros rotat ægram machina mundi
Andromedam; Thracii nam sub flabris Aquilonis
Nititur alato vindex pede, maxima cujus
Dextera mœrentis solium prope Cassiepeiæ
Tenditur, ingentique dehinc vestigia passu
Pulverulenta quasi cano procul aere pandit.

547. *Hic medio signantur sidere Pisces.* Vulgo *hinc*, male.

549-551. *Borean propior subit; alter aquarum.* Ita cum Grotio legendum et distinguendum. Vulgo: « Boream propior sapit alter aquarum, Troicus hauril aquas, funditque ephebus ab urna; Pone avidus jacet in notialia nubila pronus ». — Adposite Manil. Astron. I, 431: « Alterius capiti conjungil Aquarius undas Amnis, et in medium coeunl, et sidera miscent ». Ed.

554. *Per cælum coeunt quæ singula rursum.* Male vulgo *cingula*. Supra quoque *cingula* el *singula* male permulata vidimus.

556. *Cælestem memorat quem solers Græcia Nodum.* Imitatus est Avienus Ciceronem: « Quem Veteres soliti Cælestem dicere Nodum ».

563, 565. *Thracii;* vulgo *Threïcii.* — *Solium prope Cassiepeiæ.* Edit. Grot. vitiose *soliam.*

PLEIADES.

Pleiades femoris pariter sub fine sinistri
Perseus protollit. Locus has habet arctior omnes
Connexas. Lentæ facis haud procul istas
Ostentat rutili lux sideris; ægra sororum
Lumina; nec claro flagrat rubor aureus astro.
His genitor, vero si fluxit fabula fonte,
Pœnus Atlas, subiit celsæ qui pondera molis
Cæliger, atque humero magnum super æthera torquet.
Fama vetus septem memorat genitore creatas
Longævo; sex se rutila inter sidera tantum
Sustollunt. Septem fert fabula prisca sororum
Nomina; sex sese tenui sub lumine reddunt:
Electra, Alcyoneque, Celæno, Taygeteque,
Et Sterope, Meropeque simul, famosaque Maia
Prole Deo: cerni sex solas carmine Mynthes
Adserit; Electram cælo abscessisse profundo
Ob formidatum memorat prius Oriona.
Pars ait Idææ deflentem incendia Trojæ,
Et numerosa suæ lugentem funera gentis,
Electram tetris mœstum dare nubibus orbem,
Sæpius obscuris caput ut sit cincta tenebris;

570. *Lentæ facis haud procul istas.* Versus est mutilus.

580. *Electra, Alcyoneque, Celæno.* Vulgo hi versus paullo aliter distinguuntur. In ultimo rescripsi *Prole Deo* pro *Prole Dei.* Nominat Avienus *Mynthen*, astronomici carminis auctorem, cæteroquin ignotum; nisi forte sit scriptura nominis vitiosa et pro *Mynthes* legendum *Aratus.* Hic enim, Phænom. vs. 257: Ἑπτάποροι δὴ ταί γε μετ' ἀνθρώπους ὑδέονται, Ἓξ οἶαί περίοῦσαι ἐπόψιαι ὀφθαλμοῖσιν. Corrigere in mentem venit Grotio in schol. ad hos versus φησὶ δὲ ὁ Μύνθης pro vulgato φασὶ δὲ οἱ μῦθοι· in quo tamen ei non adstipulor. Cf. Eratosth. Catast. c. 23, et Schaubach. not. p. 101; Hygin. II, 21; Apollod. III, 10. — Alia de Pleiadibus fabula eas Lycurgi filias, ex Naxo insula, Bacchi altrices, et pro eo a Jove inter sidera relatas, memorat. Musæus vero eas Atlantis, ut Noster, filias dicit, cujus fabulam refert Schol. German. ad vs. 254. Ed.

587. *Mœstum dare nubibus orbem.* Vulgo *mœstam*, ita ut ad Electram referatur. Minus bene.

Nonnumquam Oceani tamen istam surgere ab undis
In convexa poli, sed sede carere sororum,
Atque os discretum procul edere, detestatam,
Germanosque choros sobolis lacrymare ruinas,
Diffusamque comas cerni, crinisque soluti
Monstrari effigie. Diros hos fama cometas
Commemorat tristi procul istos surgere forma,
Vultum ardere diu, perfundere crinibus æthram,
Sanguine sub pingui rutiloque rubere cruore.
Quin Meropen alii, postquam Sisypheia vincla
Et thalamos sævo sortita est omine Divum,
Indignam aeria credunt mage sede fuisse.
Sic anceps numeri fit fabula, sexque per æthram
Vergilias cerni tenet usus; sed simul omnes
Arctavere globum; ter in auras angulus exit
Flammiger, et mixtis Atlantides ignibus ardent.
Nec tamen est famæ similis vigor; ampla sorores

591. *Atque os discretum procul edere, detestatam ... Monstrari effigie.* Sic recte emendavit Grotius. Schol. Germ. l. l. « Vocatamque Electram, quæ non sustinens videre casum pronepotum fugerit. Unde et illam dissolutis crinibus propter luctum ire adserunt, et propter comas quidam Cometen adpellant ». Hyginus l. l. « Alii dicunt, Electram non adparere, ideo quod Pleiades existimentur choream ducere in stellis. Sed postquam Troja fuit capta, et progenies ejus a Dardano (sc. quam ex Dardano susceperat) fuit eversa, dolore permotam ab his se removisse, et in circulo, qui Arcticus dicitur, constitisse, ex quo tam longo tempore lamentantem capillo sparso videri. Itaque e facto Cometen esse adpellatam ». Ovid. Fast. IV, 177 : « Sive quod Electra Trojæ spectare ruinas Non tulit; ante oculos opposuitque manum ». In vulgato textu legebatur sic : « Atque os discretum procul edere destitutam, Germanoque choro sobolis lacerata ruinis, Diffusamque cumas cerni, crinisque soluti Monstrare effigiem ».

597. *Sanguine sub pingui.* Maluit N. Heinsius *subpingui.* Verum vulgatum tuetur Schrad. ad Avieni Perieg. vs. 80 : nam *sub* in compositione fere minus significat, hoc autem non vult Avienus. Conf. Phænom. vs. 154, et Progn. vs. 284.

598, 599. *Quin Meropen alii, postquam tua, Sisyphe, vincla,* etc. ex emendatione Grotii. Vulgo : « Quin Meropen addit postquam Sisypheia vincla Et thalamos ». — Buhl. *scævo.* Ed.

602. *Vergilias cerni tenet usus.* Ed.

Fabula nobilitat; modus ollis parcus, et ignis
Vix tenui longe face fit spectabilis; istas,
Alterno redeunt quum bina crepuscula mundo,
Seu nox astrales adolet quum cærula flammas,
Seu matutinus quum sidera disjicit ortus,
Convolvi cælo summæ pater adnuit æthræ.
Nec minus arenti quum crine adtollitur æstus,
Et quum cana comas redit anno bruma rigenti,
Tempora designant. Nam si se gurgite tollunt
Vergiliæ, curvas in flava novalia falces
Exercere dies; si condunt æquore flammas,
Tellurem presso proscindere tempus aratro.

LYRA.

Est Chelys illa dehinc, tenero qua lusit in ævo
Mercurius, curva religans testudine chordas,
Ut Parnasseo munus memorabile Phœbo
Formaret nervis opifex Deus. Hanc ubi rursum
Concentus superi complevit pulcher Apollo,
Orphea Pangæo docuit gestare sub antro.
Hic nam fila novem docta in modulamina movit,
Musarum ad speciem Musa satus; ille repertor
Carmina Pleiadum numero deduxerat. At quum
Impia Bassaridum carpsisset dextera vatem,
Et devota virum tegeret Libethra peremptum,

Ald. vitiose *cernit*.— *Vergiliæ* latine dicuntur Pleiades, quod vere exoriantur. ED.

609. *Seu nox astrales adolet quum cærula flammas.* Male vulgo *australes*.

612. *Quum crine adtollitur æstus.* *Æstas* bene corrigit Vlitius ad Grat. Cyneg. v. 59. Potest tamen *æstus* hic capi de calore æstatis vehementissimo : unde *æstifer Leo* in epigr. Maximiani de XII signis, et Virg. Georg. II, 353 : « ubi hiulca siti findit Canis æstifer arva », et *æstiferum Cancrum* bene vindicavit Silio Drakenb. lib. I, 194. ED.

614. *Tempora designant.* Ed. Grot. *Tempore*, operarum peccato.

624. *Docta ad modulamina movit.* Vulgo : « docta in modulamina »; non male. Conf. Eratosth. Catast. cap. 24; Schol. Germ. vs. 258;

Intulit hanc cælo miseratus Jupiter artem
Præstantis juvenis, pecudes qua et flumina vates
Flexerat. At Nixi qua semet sidera porro
Sustollunt, lævum propter Chelys hæc femur adstat.
Advolat ast aliud latus Ales, et ore canoros
Tenditur ad nervos: media est Lyra sede dicata
Cycneo capiti, et curvo contermina signo.

CYCNUS.

Namque et sidereis Cycnus secat æthera pennis
Donatus cælo, non claro lucidus astro;
Sed tamen os flagrans, et guttura longa coruscans.
Grandibus haud equidem stellis, non his tamen atris
Obscurisve micat; trahit in convexa volatum
Perfacilem, et dextro late Cepheida dextram
Radens remigio, summa ad vestigia lævam
Declinatur Equi. Sic magno præpes Olympo
Subvehitur; subit occidui sic marmoris undas.

AQUARIUS.

Nam post Cornipedem flagrant duo sidera Pisces,
Pisces Bambycii. Caput autem subter equinum
Laomedontiadæ se dextera tendit Ephebi.
Ipse dehinc longos insignis Aquarius artus,
Adstat ad hirsuti caudam pulcher Capricorni.

CAPRICORNUS.

Imus ubi australi descendit circulus axe
Signifer, inque Notum rutili cadit orbita solis,
Hispida setosi marcet species Capricorni.

Hygin. II, 7. De Lyra et Orpheo vide quoque Manil. Astron. I, 324; V, 319.

630. *Pecudes qua... Flexerat.* Vulgo *pecudes qui.* Ed. Ald. *pecudesque ... At Nixi.* Alii *adnixi.*

639. *Grandibus haud equidem stellis.* Ed. Ald. *aut* pro *haud.*

646. *Pisces Bambyeii.* Vulgo *Bombycei.* Vid. supra v. 542.

650. *Imus ut australi descendit circulus axe.* Legendum est *ubi au*

Hic jam Threicio veniens a cardine Phœbus
Vertit iter, pulsusque Deum, mirabile dictu,
Brumalis redigit; non tum mihi longa phaselis
Æquora tententur, non tum freta turbida pinu
Quis petat; angusto decurrit tramite namque
Parva dies, vastoque dehinc deprensus in alto,
Nequidquam pigræ clamarit sidera lucis.
Interea totis Notus acer sæviet undis,
Excitumque salum verret Notus. Aurea solis
Quum nota cornigeri sidus pepulit Capricorni,
Tum dirum cælo frigus redit; aspera nautis
Tunc sunt fluctivagis; tamen isti sæpe malorum
Immemores agitant totos in fluctibus annos,
Mergorum et phocæ similes; trahit unda paventes,
Ac retrahit; quærunt oculis distantia longe
Litora, et in pontum reagunt lucra semper hiantes.

SAGITTARIUS.

Par metus ex pelago tibi sit quoque, sole Sagitta
Quum levis adflatur; quum lux in arundine flagrat
Ignis mundani; quum tela extrema coquuntur;

astrali, nisi Avienus *ut* pro *ubi* posuerit, quemadmodum supra, 141: « ut artus Longius effusum spatiosa volumina tendunt ». Ed. Ald. pro *australe* habet *astrali*.

653. *Hic jam Threicio veniens a cardine Phœbus.* Revocavit Grotius pristinam lectionem, quam etiam ed. Aldina agnoscit. Ed. Morel. « Huc cum Threicio ».

654. *Pulsusque Deum, mirabile dictu, Brumalis redigit. Deus* est *Sol. Pulsus*, ἡ τροπή. Τρέπειν inter alia est *pellere*, unde τρόπαια, et *Tropici circuli*, quia, ut Hyginus ait, ultra eos Sol non transit, sed statim revertitur, aut ibi quasi repellitur; unde τὴν τροπὴν Astronomi Latini *Pulsum* transtulere.

657. *Angusto decurrit.* Ed. Ald. *decurrat*, male.

659. *Clamarit sidera lucis.* Eadem Ald. *clamavit*.

666. *Mergorum et phocæ similes.* Aratus mergos tantum nominat; Avienus recte his phocas conjungit. Utrique enim quum possint in terris versari, aquam præferunt; nam et phocas nonnunquam in terris esse, ibique spirare, dormire, parere, tradit Plinius. Latini vitulos marinos vocant.

670, 671. *Quum lux in arundine flagrat.* Male vulgo : « quum lux in

Quumque Sagittiferi torret vapor aureus Arcus.
Tum quoque si piceam spectaris surgere noctem,
Informem tetris tellurem ut vestiat alis,
Litus ama, fuge solers cærula tegmina noctis,
Exitiumque sali, rabidique pericula ponti
Anteveni, jam solve memor vaga carbasa malo,
Jam prolixarum jaceat rigor antennarum.
Mensis at infausti vel duri sideris index
Scorpius exoriens sit tempore noctis adultæ.
Hic matutino veniens procul æquore telum
Exigit e pelago, telum trahit ultima cauda.
Cunctatur pigro post tergum sidere juxta
Arcitenens, tardos et gurgite liberat artus.
Tum Cynosura et jam maturæ in tempore noctis
Altius in Boream sustollitur; abditur autem
Orion redeunte die; tum brachia Cepheus,
Protentasque manus, mediamque immergitur alvum.

SAGITTA.

Quin norunt aliam Superum convexa Sagittam;
Sed tamen hæc arcu tereti caret; inscia nervi,
Inscia nam domini est; telum super advolat ales,
Ales Olor; sed Threicio conterminus axi
Cana pruinosas extendit colla sub Arctos.

arundine flagrat, Ignis mundani quum tela extrema coquuntur ».

673. *Si piceam spectaris.* Ed. Ald. vitiose *specteris.*

674. Bulh. *terris* vitio typogr. aperte legendum *tetris.* Ed.

681, 682. *Hic matutino veniens procul æquore cælum Exigit e pelago, telum trahit ultima cauda.* Grotius ad h. l. « Si *Chelam* leges (pro *cælum*), ad ipsum Scorpionem referetur; si *Telum* ad Arcitenentem; et non inepte erit eadem vox repetita, quod familiare Avieno ». *Exigit* est ἐξάγει, ni malis *Erigit.*

686. *Abditur autem Orion redeunte die.* Vulgo: « abditus autem ».

689. *Quin norunt aliam Superum convexa Sagittam.* Vulgo *alia Superum,* male.

690. *Inscia nervi.* Ed. Ald. *nervis.*

691. *Telum super advolat ales.* Perperam vulgo: « cælum super advolat ales ».

692. *Threicio conterminus axi.* Ed. Ald. « conterminat axi ».

AQUILA.

Armiger hanc etiam Jovis advolat, armiger ignis
Ætherii, sed membra minor. Procul hic tamen alto
Quum redit a pelago, et movet in convexa volatum,
Fine tenebrarum, summæque in margine noctis,
Spumosum late mare subruit; omnia cæli,
Omnia terrarum mox flabra procacia verrunt.

DELPHIS.

Tum curvus caudam subit inter sidera Delphis,
Dux, Neptune, tui quondam super æquor amoris.
Hic nam detrusæ in latebras procul Amphitrites,
Arduus occiduos humeris ubi sustinet axes
Pleiadum genitor, perruperat hic vagus omni
Gurgite dilectam domino maris ultimo ab orbe.
Mollis dorsa tulit. Breve signo corpus in astris,
Et super hirsutum ponto surgit Capricornum.
Hic medios artus teter stupet; altera porro
Quatuor illustrat facibus rubor aureus, atque
Bis gemino discreta situ micat ignipotens lux.
Omnia quæ Soli et rigido interfusa Aquiloni,
Ætheris incurvi moles rotat, inque frequentes
Occasus ortusque trahit moderator Olympi,
Sunt digesta mihi; quæ rursum limite abusque
Sese Hyperionio, pluvialis concava in Austri

694. *Armiger hanc etiam Jovis advolat, armiger ignis Ætherii.* Recepi Grotii emendationem lectionis vulgatæ : « arbiter ignis Ætherii ». Utitur enim sæpe ea figura Avienus, ut eamdem vocem repetat, quod sæpe iniquis exscriptoribus mutandi dedit occasionem.

702. *Hic jam detrusæ* citat Buhl. sed melius vulg. « Hic nam ». Cf. Schol. Germ. ad vs. 295; Hygin. II, 17.

707. *Et super hirsutum ponto surgit Capricornum*, ex emendatione Grotii. Vulgo *auritum ;* sed non adparet, Avienus cur Capricornum *auritum* adpellaverit. Alibi autem eumdem vocat hirsutum.

708. *Altera porro*, h. e. *alteram partem*, ut de Serpente « altera

Demittunt, tetram donec Notus ambiat æthram,
Dicere Romuleo connitor carmine solers.

ORION.

Subtrahit obliquo qua sese circulus orbe
Signifer a Borea, inque australes se gerit umbras:
Sub medii jam mole poli fera pectora Tauri
Suscipit Orion. Neque quisquam nocte serena
Transierit; celso late se cardine pandit,
Auratumque rubens dimittit balteus ensem.

SIRIUS.

Talis et ipse virum gemina ad vestigia custos
Insequitur. Sic flammigero distinguitur astro
Ætheriæ Canis ille plagæ, cui plurimus ardor
Æstuat in mento; multus rubor imbuit ora;
Stridit anhelanti face pestifer, aera motu
Torret, et immodici terras coquit ignibus astri.
Hic varios ardet stellis rutilantibus artus;
Sed non est similis cunctis vigor, undique quippe
Alvus cœanea est; mento gravis effluit ardor,
Qui formidato sub nomine Sirius æthram

porro plurimus ». Conf. not. ad Avieni Perieg. vs. 373.

718-721. *Subtrahit obliquo qua sese circulus orbe Signifer a Borea, inque australes se gerit umbras, Sub medii jam mole poli fera pectora Tauri Suscipit Orion.* Ita hos versus restituit Grotius. Corruptissime vulgo: « Subtrahit obliquo qua sese circulus orbe Signifer, in Borean australes egerit umbras; Ut medii jam mole poli fera pectora Tauri, Suscipit Orion ». In vulgata hac lectione *ut medii* potest ferri, ut sensus sit: « mole poli velut medii ». Cætera tolerari nequeunt.

728, 729. *Stridit anhelanti face pestifer; aera motu Torret, et immodici terras coquit ignibus astri.* Iterum ex emendatione Grotii. Male vulgo legitur et distinguitur: « Stridit anhelanti face pestifer aera motu, Torret et immodicis terras coquit ignibus astri ». Ed. Ald. habet *et in modici.* Conf. Avien. Perieg. vs. 70.

732. *Alvus cœanea est.* Sic legendum. Ed. Ald. « Alveus Oceana est ». Hinc Morellius dedit « Alveus cyanea est ». Recte. Verum Υ græcum antiqui œ diphthongo reddere solebant, ut hic, *cœruleo* colore *alvus.* En.

Urit: huic rutilos si sol adflexerit axes,
Quantus corporibus, quantus labor imminet agris!
Marcebunt sata cuncta diu; namque indiga succi
Si qua jacent, cedunt valido penetrata calori,
Ac decoctorum languebunt germina florum.
Illa autem, interno quæ sunt animata vigore,
Sirius adtollit, blandusque illabitur herbas,
Sirius et dulci nutrit tepefacta sereno.
Hunc hunc flammanti quum primum vibrat ab ortu,
Auribus atque animo capimus procul; altera si qua
Stellarum fulgent rutila, ut quæ plurima longo
Bellua fert lateri, neque multa luce coruscant,
Et designandis tantum sunt addita membris.

LEPUS.

Parvulus in stellis Lepus est quoque; namque ubi magnus
Emicat Orion gemina ad vestigia subter
Urgetur cursu rutili Canis; ille per æthram
Effugit instantem, premit igneo Sirius ore.
Auritum primis emittit gurges ab undis;
Ille minax pavidum superediter, et procul idem
Quum Lepus occiduum sese inclinavit in æquor,
More latebrarum repetens freta, Sirius alto
Defluit ab cælo, mersumque per humida quærit.

ARGO.

Magnus Iasoniam cauda Canis extrahit Argo

738. *Languebunt germina florum.* Ed. Ald. *gemina.* Perperam.

740. *Sirius adtollit.* Male vulgo: « si prius adtollit ». Legendum *Sirius.* Vocis hujus repetitio, quæ versu sequenti est, ut ter supra, errorem præbuit.

743, 744. *Altera si qua Stellarum fulgent rutila, ut quæ plurima longo Bellua fert lateri*, ex emendatione Grotii. Vulgo: « altera si qua Stellarum fulgent, rutilant quæ plurima, longi Bellua fert lateris ». Ed. Ald. vitiose *fulcent.* Dubitat tamen Grotius, an Canis recte Bellua dicatur. Propinat itaque etiam lectionem hanc: « longi Regula fert lateris ».

750. *Premit igneo Sirius ore.* Ita legitur in Msto Germanici Grotiano,

Puppe refulgentem. Neque enim se Thessala cymba
Solenni in faciem monstrat more. Extima puppis
Surgunt Oceano: velut alto a gurgite nautæ
Quum portum tenuere, avidi volitantia raptim
Sipara convertunt; tergumque in curva remulco
Litora certatim subeunt simul. Illa marinas
Jam defuncta vias procul imi litoris algas
Pone subit, terramque tenens secura quiescit.
Sic Argo rutilam tantum inter sidera puppim
Ducit, et occultat rigido tenus altera malo.
Sponte gubernaclum puppis dimittit in undas
Celsior, ac merso descendit in æquora clavo.

CETOS.

Distantem Andromedam prolixi tramite mundi,
Perterret Cetos. Nam Threicii prope flabra
Andromedam Boreæ celso rotat æthere cardo:
Bellua dira Noto vehitur; trahit Auster in Arcton
Ora inimica salo; nam qua se laniger alto
Cælo Aries tollit, qua Piscibus astra duobus

in quo hi versus Avieni inserti sunt. Vulgo: « premit autem Sirius ore ».

757. *Neque enim se Thessala cymba Solenni in faciem monstrat more: extima puppis Surgunt Oceano, velut.* Sic Grotius locum constituit. Vulgo: « neque enim se Thessala cymba Solenni in faciem monstro movet extima puppis. Surgunt Oceano velut alto a gurgite nautæ ». Ed. Ald. *solenne*, non male. Ita Ovidius *in mare* pro *in mari* posuit.

760. *Avidi volitantia raptim Sipara convertunt. Siparum* est id, quod velis adnectitur, græce σίφαρον. Lucanus, Pharsal. V, 429: « imaque pandens Sipara velorum perituras colligit auras ». Stat. Silv. III, 2, 27: « Vos summi adnectite sipara veli ». Cicero de prov. cons. c. 60, pro velo mimico sumpsit, et ita quoque Festus interpretatus est. Cf. Turnebi Adv. XXI, 4.

761, 762. *Tergoque in curva remulco Litora certatim subeunt simul.* Dubitat Grotius, quomodo dixerit Avienus *tergo remulco*, quum *remulco* si substantivum. Ed. Ald. habet « tergumque in curva remulco ». Recte, ut sensus sit: « Litora subeunt certatim tergum navis remulco ». Trahi remulco dicitur, quum navis magna scaphæ remis ducitur, monente Festo.

772. *Trahit Auster in Arcton.* Vulgo *in Arcto.*

Augentur, rutilat subter Nereia Pistrix,
Efflua percurrens non multi fluminis astra.
Illa memor longæ formidinis, illa suorum
Inter signa tenax, horret squalentia monstri
Terga procul, pavidumque super caput inserit undis.

FLUMEN.

Quin et cæruleo Flumen quoque gurgite manans
Astra inter sedesque Deum. Pars æquor id esse
Credidit; Ausonii namque hunc dixere priores
Eridanum, Venetos late qui lapsus in agros
Alpino Adriacos impellit gurgite fluctus.
Hic fusum cælo quondam Phaethonta sub undas
Excepit senior, leve quum sensere jugales
Ætherii rectoris onus, quumque ignifer axis
Tramite sub mundi mortales sprevit habenas.
Disdata tum late texere incendia terras:
Astra vorax ignis, flammæ sola cuncta coquebant;
Donec fata sui miseratus Jupiter orbis
Redderet ætherii Phœbo moderamina cursus.
Illum prolixis duræ Phaethontides ulnis
Planxerunt; rediit supero pax aurea mundo;
Eridanumque senem nutu Jovis omniparentis

775. *Nereia Pistrix*. Sic Cicero et alii Ceton vocant. *Pistrix* enim pro *Pristis* ut diceretur usus obtinuit. Vera scriptura est πρίστης. Ed.

777. *Illa suorum inter signa tenax*, ex emendatione Grotii. *Sui* intelliguntur pater, et mater et sponsus. Vulgo *illa duorum*.

780-782. *Quin est cæruleo Flumen quoque gurgite manans Astra inter sedesque Deum*, etc. Sic præclare versus hos restituit Grotius. Nonnulli putarunt, Flumen sidus esse Oceanum; neque tamen omnes; nam veteres Itali Padum tradidere. Hygin. II, c. 32: « Complures autem Oceanum esse dixerunt ». Conf. Eratosth. Catast. cap. 37, et Schaubach. not. p. 117; Schol. ad Germ. vs. 321. Vulgo: « Quin et cæruleo Flumen quoque gurgite manans Astra inter sedesque Deum, pars æquoris esse Credidit Ausonii; neque hunc dixere priores Eridanum ».

789. *Disdata tum late texere incendia terras*. *Disdata* ex antiqua scriptura pro *Didita*. Vulgo: « Diis data ».

Astra receperunt. Pharium pars altera Nilum
Commemorat, largo segetes quod nutriat amni,
Arentesque locos unda fecundet alumna;
Vel quod de medii prolapsus parte diei
Vastus in æquoreas pelagi sese inferat undas.
Iste pedem lævum rutili subit Orionis,
Fusaque quæ geminos adstringunt vincula Pisces,
Eridani coeunt amfractibus; hic procul ille
Tenditur effusi vi gurgitis; hic quoque cristæ
Cedit apex, summa qua lux Pistrice coruscat
Desuper, et flamma caudarum cingula figit.

PISCIS MAJOR.

Inter demissum procul in vada cærula clavum
Puppis Iasoniæ, depictaque terga carinæ,
Et Pistrim undicolam, Leporis qua tenditur alvus,
Stellarum creber rutilat rubor. Haud tamen istis
Vel lux multa micat, vel fit memorabile nomen.
Nulla etenim forma flammarum Jupiter ignes
Discrevit, nullos simulant hæ corporis artus.
Qualia digesto mundus sacer ordine volvit
Semper in antiquum retrahens iter omnia secum
Sæclorum serie longa, istas denique signant
Intervalla faces; similis quoque lux habet omneis,
Par modus; occasu pariter referuntur et ortu,
Ne spectanda forent ponto quod sola carerent.
Cætera descriptis aptantur singula membris

798. *Unda fecundet alumna.* Nam sequitur *inferat.* Vulgo : *fecundat.*

799. *Vel quod de medii prolapsus parte diei.* Schol. German. l. l. « ideo inter astra collocatus (scil. Eridanus), quod a meridianis partibus cursum dirigat ».

803, 804. *Eridani coeunt amfractibus; hic procul ille Tenditur effusi vi gurgitis; hic quoque cristæ Cedit apex*, ex emendatione Grotii. Vulgo : « Eridani coeunt amfractibus, ot procul ille Tenditur effosi vi gurgitis; huc quoqoe cristæ Cedit apex ».

819. *Ne spectanda forent ponto quod sola carerent.* Vulgo : « Ne exspectanda forent ».

820, 821. *Cætera descriptis aptan-*

Formarum; flagrans Leporem qua Sirius urget,
Languida, nec certo sub nomine cuncta feruntur.
Ultra setosi rursum speciem Capricorni,
Cardinis immersi qua sunt australia flabra,
In Pistrim horrificam conversus viscera piscis
Subvehitur. Notium vocat istum Græcia piscem.
Stellæ aliæ mundo, qua pulcher Aquarius instat,
Et qua cristato consurgit bellua dorso,
Usque sub aerii rutilantia sidera Piscis,
Sunt mediæ flammæ, steriles, ac lucis egenæ.
Nam passim ignoti vice vulgi semet in æthram
Protollunt; dextram sed tantum propter Ephebi,
Pocula quem Divum mensis gestare loquuntur,
Efflua se species liquidarum fundit aquarum
Partes in geminas. Lux illic clara duabus
Est solum facibus; non hæ spatiosa per æthram
Intervalla tenent, neque lumen lumine forte
Collidunt; uni Phrygium nam subter Ephebum
Ardet apex; alii, qua curvam bellua caudam
Terminat insignis, lato vomitur globus igni:
Cunctis nomen Aqua est. Stellæ quoque denique propter
Ora Sagittigeri, qua se vestigia prima
Cornipedis simulant, circumvolvuntur Olympo,
Queis face sub tenui tenebrosus marceat ignis.

ARA.

Ecce venenatæ qua Scorpius agmine caudæ

tur singula membris Formarum; flagrans Leporem qua Sirius urget, Languida, nec certo sub nomine cuncta feruntur. Male hæc vulgo distincta ita legebantur: « Cætera descriptis aptantur singula membris, Formarum flagrans leporem, qua Sirius urget Languida ».

838. *Phrygium Ephebum.* Conf. supra vs. 550. Hunc Ganymeden quidam esse volunt. Ed.

841, 842. *Cunctis nomen Aqua est*, etc. Emendavit Grotius. Vulgo sine sensu: « Cunctis nomen Aqua est, quæ stellæ denique propter Ora Sagittiferi, quo se vestigis prima Cornipedis simulant ».

844. *Queis face sub tenui tenebro-*

Plurimus erigitur, tepidumque supermicat Austrum,
Parvulus hic Aram locus exprimit. Hanc satis arcto
Tempore suspicies mundo rutilante referri.
Nam polus adverso qua tollitur axe Bootes,
Quantum suspenso vada linquit turbida cælo
Oceani, tantum in sibimet contraria tendit.
Arcturum vertex levat Arcticus, imbrifer Austri
Aram cardo premit; brevis olli semita cæli,
Occasusque celer; tamen isto luciparens nox
Fata hominum miserata prius, miserata labores,
Certa procellarum statuit producere signa.
Ne tibi, quum denso conducitur aere cælum,
Inter nimbiferas nubes spectabilis exstet
Ara poli, longa ut glomerent circumque supraque
Feta pruinarum se vellera, qualia tristi
Coguntur vento, terraque excita per æthram
Nubila conceptos effundunt desuper imbres.
Non Aræ, non sit tali sub tempore vertex
Clarior; hoc nam sæpe Notum prænoscere signo
Nox docuit; noctis si quis præcepta sequatur,
Incassum Zephyri volvunt mare; si quis at ista

sus marceat ignis. Queis marceat pro *Queis marcet.* Ita supra : « Quibus usque ferina Prona sit effigie » pro *prona est.* Infra : « similis quibus haud sit imago ».

847. *Hanc satis arcto Tempore suspicies. Hanc* restituit Grotius. Subintelligendum *Aram.* Perperam vulgo *hoc.*

849. *Nam polus, adverso qua tollitur axe Bootes.* Vulgo : « Nam polus adverso qui tollitur axe Bootis ». Potest etiam ex conjectura Grotii ita legi : « Nam poli ab adverso qui tollitur axe Bootes ».

852. *Arcturum vertex levat Arcticus*, ex emendatione Grotii. Vulgo *levat arduus*, i. e. vertex levat sublimis, quæ quidem lectio ferri etiam poterit. Melior tamen nostra.

856. *Certa procellarum statuit producere signa.* Claudicabat versus in vulgato textu : « Certa procellarum statuit prodere signa ».

858. *Inter nimbiferas nubes spectabilis exstet Ara poli longe, ut glomerent circumque supraque Feta pruinarum se vellera.* Ita locum constituit Schraderus ad Avieni Perieg. vs. 249. Vulgo : « exstet Ara poli, longa ut glomerent ».

863-865. *Non Aræ, non sit tali sub tempore vertex Clarior; hoc nam sæpe Notum prænoscere signo Nox*

Respuat, incautas percellent flabra carinas.
Vix, si sera Jovem subeat miseratio rerum,
Pigra salus nautis redeat fluitantibus alto.
Certior ast ollis veniet spes, axe supremo
Si Boreæ stringat rutili coma fulguris auras.
His signis Austri raptabunt flabra fluentum,
Donec de Boreæ rutilum jubar emicet axe.
At si Centaurum medio sub tramite cæli
Videris, ut fluctu tantum discedat Eoo,
Quantum adit occasum, sit tectus desuper autem
Nube humerum, et cælo sint omnia signa priora,
Eurus erit, verret salsi vada gurgitis Eurus.

CENTAURUS.

Contemplator enim geminæ rutilantia formæ
Viscera, quæ signis subtexit membra duobus.
Nam qua parte hominem quadrupes sustollit equino
Ventre superstantem, versatur Scorpius ingens;
At qua cornipedem media vir fundit ab alvo,
Curva venenati se tendunt brachia signi.
Ille autem dextram protendere visus ad Aram
Cælicolum, justæ persolvit munera vitæ,
Agrestemque manu prædam gerit. Hic ubi celso
Pelion adsurgit dorso, nemorosaque late
Inserit aeriis juga nubibus, arbiter æqui
Degerat Alcidæ legum post bella magister.

docuit. Ita Grotius restituit. Male vulgo legitur et distinguitur : « Non Aræ, non sit tali sub tempore vertex Clarior hoc; nam sæpe novum prænoscere signo Nox docuit ».

868. *Vix, si sera Jovem subeat miseratio rerum*. Vulgo : « Vix, scis, sera Jovem ». Lectio aperte corrupta.

879. *Contemplator enim*. Omnes et ipse Buhl. *etiam*, sane perperam. Ed.

884. *Curva venenati se tendunt brachia signi*. Recepi præclaram Grotii conjecturam. Vulgo *sunt tantum*.

890. *Degerat*, i. e. habitarat. Vulgo *Egerat*, nullo sensu. Schol. German. « habitasse Chironem in Pelio monte ». — *Legum*, sc. cælestium, nam Astrologiam Herculem docuit. Ed.

HYDRA.

Desuper ingenti sese agmine porrigit Hydra,
Quæ prolata salo longe latus explicat æthra,
In Cancrum protenta caput, caudamque feroci
Centauro inclinat, transit spatiosa Leonis
Viscera, et ingenti sub Virgine summa quiescit.
Quinetiam spirare putes, sic agmina cælo
Lubrica convolvit, sic spiras pendula torquet,
Sic et flammigero linguam jacit ore trisulcam.
Spirarum medio gestat Cratera coruscum,
Ultima cæruleum sustentant agmina Corvum,
Ales ut intento fodiat vaga viscera rostro.

PROCYON.

Ultimus est Procyon, Geminorum subditus astro,
Ore micans rutilo, trina face viscera lucens.
Ista volutatos cernuntur cuncta per annos;
Hæc vehit Oceanus pater omnia, mersaque rursus
Hauriet Oceanus; trahit ingens machina cæli
Cuncta super. Pingunt rutilam sua sidera noctem.

PLANETÆ.

Quinque itidem stellæ, similis quibus haud sit imago,
Nec quas formarum ductus notet adfixarum,
Per bissena poli volitant rutilantia signa.
Nullus eas aliquo pacto deprendere certet:

907. *Cuncta super. Pingunt.* Vulgo viliose *cuncta, superpingunt. Super* πλεονάζει, ut supra v. 118: « Versa Lycaoniis sed suspeciatur in Ursis Forma super ».

908. *Quinque itidem stellæ,* etc. Ita jam dedit Morellius, nisi quod pro *ductus* cum edd. antiq. legat *doctus.* Prius a Grotio rescriptum. Ed. Ald. *similes*, et vs. seq. *Ne.* — *Quinque.* Quinque tantum planetas nominat, quia Solem et Lunam omittit, quibus cursum magis exactum adsignabant Veteres. Ed.

910. *Per bissena poli volitant rutilantia signa.* Manil. I, 309: « Per bissena volant contra nitentia signa ». Ed.

Tam vaga per totam cunctis via defluit æthram,
Semper et adverso referuntur tramite mundi.
Mundus ab Eoo trahitur reparabilis alto,
Pronus Atlantei procul in vada cærula ponti.
Illæ in subjecti cogunt iter ætheris orbem,
Nitentes in summa poli, motuque feruntur
Adverso Solis radiis: ceu quum vada cymbam
Prona vehunt, si quis prora nitatur ab alta
In puppim proferre pedem, via carpitur olli
Cursibus inceptis contraria. Vis tamen istis
Obvia labentis semper sustollitur æthræ,
Unicaque in Solis adolent incendia flammis.
Longa volutandis tamen ollis tempora currunt,
Pigraque se referunt, sedes sortita priores,
Omnia. Non illas animis audacibus ergo,
Carmine non cæco tentabimus. Hoc satis unum
Musa mihi, satis hoc longi labor egerit ævi,
Si defixarum cursus et signa retexam.

CIRCULI.

Quatuor aerios Zonæ cinxere meatus;

918. *Ceu quum vada cymbam.* Illustrari potest hic locus ex Hygino, II, 42: « Ut si quis in naviculæ rostro sedens inquirat ad puppim transire, et nihilominus ipsa navis iter suum conficiat, ille quidem videbitur contra naviculæ cursum ire, sed tamen eodem perveniet, quo navis ».

921, 922. *Vis tamen istis Obvia labentis semper sustollitur æthræ.* Ita dedit Grotius, monens simul ad h. l. « Per æthram suo more Avienus æthera intelligit. Duo ponit axiomata philosophica. Prius est, quod cælum primum sustineatur, quominus ruat occursu motus secundi. Empedocles dicebat: διὰ τὴν δίνησιν θάττοντος τυγχάνοντα φορᾶς τῆς οἰκείας ῥοπῆς ἔτι σώζεσθαι τοσοῦτον χρόνον τὸν οὐρανόν. Οἰκεία ῥοπὴ est motus peculiaris. Posterius est, quod experientia docetur in primo mobili multas esse stellas, in aliis sphæris singulas. Aristoteles: ἐν μὲν τῇ πρώτῃ φορᾷ τοσοῦτον ἀστέρων πλῆθος, ἐπὶ δὲ τῶν ἄλλων ἓν χωρὶς ἕκαστον ». Vulgo legitur: *labenti æthræ.*

927. *Carmine non cæco tentabimus.* Vulgo *tentavimus.*

930. *Quatuor aerios Zonæ.* Progreditur ad quatuor circulos, nempe Æquinoctialem, Eclipticum, et duos Tropicos. Ed.

Quatuor has cursus et tempora nosse volentem
Scire sat est. Quin signa etiam sunt quatuor istis
Plurima, quæ zonis hærentia convolvuntur.
Ipsæ inconcussa retinentur sede per annos,
Mutuaque implexæ sibimet consortia mordent.
At modus in binis protenditur. Aurea pepli
Sidera nocturni si suspectare libebit,
Nec scindunt medium Phœbeia lumina mensem,
Langueat ut stellis species hebes, omnia cæli
Illustrante Dea, ac flammas superante minores;
Orbe sed haud pleno sinit igni fervere acuto
Sidera; candentis speciem super inspice Lactis
Protendi cælo; color olli nomen ab ortu
Primigeno statuit; sic Zonam Græcia solers
Concelebrat, nostro sic Balteus ore vocatur.
Non isti forma similis, similisve colore
Circulus est alius; modus et mensura duobus
Est compar solis; alios duo parcior arctat
Linea, nec multa trahit istos ambitus æthra.
   Horum alius duri qua solvunt flabra Aquilones,
Et qua præcipitant borealia flamina sese,
Axe Lycaonio jacet obvius. Hic Geminorum
Sunt capita; hic genua Aurigæ defixa quiescunt.
Circulus hic idem retinet pede Persea lævo,

935. *Sibimet consortia mordent.* Sic supra dixit Avienus: « jugum vicinia mordet ». Græce δάκνειν *reprimere* significat. Vulgo *implexa*.

936. *At modus in binis protenditur,* i. e. duo, nempe Æquator et Zodiacus potentiores sunt duobus alteris. Clarius Aratus, vs. 468. Ed.—*Aurea pepli.* Vulgo *area*. Ed.

939. *Langueat ut stellis.* Vulgo: « Languet ut in stellis ».

940. *Ac flammas superante minores.* Edit. Ald. *flammans*, vitiose.

944. *Primigeno statuit; sic Zonam Græcia solers Concelebrat.* Dicit Avienus *Græcia solers*, ut v. 556: « Cælestem memorat quem solers Græcia nodum ». Vulgo *Primigeno statuit se, Zonam... sic Balteus ore notatur.*

950. *Horum alius.* Intellige Tropicum Cancri. Ed. — *Duri qua solvunt flabra Aquilones.* Vulgo: *quum* pro *qua*. Sic quoque in v. sequenti *Et qua* pro *Et quum*.

Atque sinistro humero cubito tenus; hic quoque dextram
Sustinet Andromedæ, manus extima desuper acri
Subrigitur Boreæ, cubito inclinatur in Austrum
Mœrens Andromeda; hic celeris vestigia summa
Perstringuntur Equi, perstringitur Ales ab ipso
Verticis extremo; secat hic humeros Ophiuchi
Circulus, et secum flagrantia dorsa revolvit.
Erigone tepidum sese submittit in Austrum,
Virgineusque pudens Zonæ superimminet artus.
Sed Leo, sed Cancer Borealis tramite cæli
Viscera protendunt, at circulus ima calentis
Pectora perque alvum procul in postrema Leonis
Succedit: secat ast alius per viscera plana,
Et medio subter cava tegmina dividit orbem,
Lumina recludens altrinsecus. Orbita porro
Ista poli partes si discernatur in octo,
Quinque supervolvit se partibus; at tribus alti
Intrat stagna sali; sol istinc flammiger æthram
Jam relegit, pulsusque Deus semel ordine facto
Flectitur æstivo, neque celsum semita in axem
Sideris erigitur, via rursum nota jugales

955, 956. *Hic quoque dextram Sustinet Andromedæ manus extima.* Male vulgo sic distinctum: « hic quoque dextram Sustinet Andromedæ manus extima, desuper, etc. » — *Dextram*, i. e. dexterum brachium, cujus manus ad Boream, et cubitus ad Austrum spectat. Aratus, vs. 485: Δεξιτερὴν ἐπέχει, ubi Cicero: « Andromedæ dextra de parte tenetur ». Ed.

958. *Hic celeris vestigia summa Perstringuntur Equi, perstringitur Ales ab ipso.* Vulgo *præstringuntur* et *præstringitur*.

967. *Secat ast alius.* Ordina: Ast circulus persecat viscera alius signi, i. e. Cancri. Male Buhl. *alius* pro *aliter*. Ed.

969. *Lumina recludens altrinsecus*, i. e. inter duo lumina transit, ita ut alterum intus, alterum extraque sit. Ed.

971. *Quinque supervolvit se partibus.* Hæc Eudoxus ante Aratum, sed inexacte, præsertim Eudoxus qui sub latitudine 37 grad. computabat. Nam tantum sub 41 vel 42 grad. latitud. ista proportio locum habet. Ed.

973. *Pulsusque Deus.* Conf. supra not. ad vs. 654.

Suscipit, inque Notum rutili dedit orbita solis.
Circulus iste quidem Cancro tenus adjacet axe
Semper in occiduo. Procul alter cardine in Austri
Dividit imbriferi corpus medium Capricorni,
Idæique pedes pueri, postremaque caudæ
Cæruleæ Pistris; brevis hic Lepus; hic Canis artus
Conditur extremus; hic Thessala cernitur Argo;
Hic Centaureæ fera molis terga secantur;
Iste venenatæ disjecta volumina caudæ
Amputat; hic arcu protenditur ampla Sagitta.
Ultimus hic Phœbo locus est, ubi lapsus in Austrum
Pellitur, albenti quum canent tempora bruma:
Sideris hic meta procul istuc cælite cursu,
Axe sereniferi descendit Sol Aquilonis.
Partibus iste tribus tantum se circulus effert;
Quinque latet, creperi succedens stagna profundi.
Inter utrumque dehinc quantus jacet ambitus illi
Zonarum cani specie quæ lactis in æthra
Cernitur, ingenti se tramite linea tendens
Dividit ima Noti, discernit et alta Aquilonis.
Hic luci modus et tenebris sub lege magistra
Pensatur; nox æqua diem subit æmula; Phœbus
Lumina substituit paribusque revolvitur horis,
Vel quum summa æstas coquit agri viscera hiantis,
Vel quum floricomo jam tellus vere movetur.

977. *Cancro tenus adjacet Axe. Axe* pro *Axi.* Supra v. 952: « Axe Lycaonio jacet obvius ».

980-492. *Postremaque ... Pistris*, etc. Ita supplevit versum mutilum Grotius: vulgo deest *Pristis*, seu *Pistris;* et legitur *extremos* pro *extremus.*

988. *Sideris hic meta.* Vulgo *metæ.*

989. *Sereniferi descendit sol Aquilonis. Sereniferi*, αἰθρηγενέτου. — Aratus, vs. 507: καθαροῖο Βορέαο. Ed.

991. *Creperi succedens stagna profundi.* Vulgo *succendens.* Conf. not. ad vs. 335. Nostram lectionem adprobavit quoque Schrad. ad Avieni Perieg. 329. — Sed hanc quoque jam dederat Grot. et ed. Ven. Vid. huj. op. hoc tomo supra p. 164. Ed.

993. *Cani quæ specie lactis.* Ita legendum est; sive: « in cani speciem quæ lactis ». Vulgo: « cani speciem quæ lactis ». — Ciceroni

Ast isti celsæ qua tramite panditur æthræ
Indicium est Aries; hunc totum linea quippe
Sustinet; hic Tauri curvantur crura minacis,
Et rutilat stellis hic balteus Orionis.
Spira Anguis levis hic, Craterque; tenacia Corvi
Ora inhiant; hic sunt flexarum denique flammæ
Chelarum; genua hic rigidi vibrant Ophiuchi.
Nec Jovis armigero caret Alite; namque per ipsum
Fulvæ Aquilæ est caput; hic Equus eminet, hicque comanti
Cervice erigitur claræ dator Hippocrenes.
Treis omnes recto contentos tramite cæli,
Distantesque pari spatio sibi transigit axis,
Omnibus et mediis ut circumfunditur idem.
  Desuper obliqua est aliis via. Quartus at iste
Stringitur arctatus Zonarum mole duarum,
Quas ab diversa mundi regione locatas
Cire repercussi momentum diximus astri.
Hunc alius medium medius secat. Haud Dea Pallas,
Vel licet hæc cunctos præcellat acumine Divos,
Compingat parili sic lubrica plaustra meatu,
Implicet ut spatiis sibimet distantibus orbes,
Qualia devexo nectuntur ab ordine cuncta,
Urgenturque viam similem noctesque diesque
Lucis ab exortu procul in vada Calpetana.
Nam Tithoneo quum sunt elata profundo,

quoque Æquator dicitur tantus quantus lacteus orbis, Phæn. v. 536. Ed.

1011. *Tres omnes recto contentos tramite cæli*. Perperam vulgo *recte*.

1017. *Cire repercussi momentum diximus astri*. Græce κινεῖν τὸν καιρὸν τοῦ ἡλίου τρεπομένου. Vulgo: « Scire repercussi, etc. »

1024. *In vada Calpetana*, ex emendatione Grotii, qua tamen fit versus spondaicus. Vulgo *Calpetitana*. Sic infra Progn. vs. 296: « si Phœbus... Calpetano tranquillum gurgite lumen Tingat ». Calpe est promontorium in ora maritima meridionali Hispaniæ, quo hodie celeberrimum castellum *Gibraltar* superstructum est.

1025. *Nam Tithoneo quum sunt elata profundo*. Sic apud Germanicum « Tithonius ortus ». Vid. Grot. ad Germ. p. 21. Vulgo: « Namque

Rursus in occiduos merguntur singula fluctus
Ordine partito. Similis nascentibus ortus:
Scandendi lex una movet. Par denique lapsus
Omnibus, et simili conduntur sidera casu.
Ille autem Oceani tantum descendit in æquor,
Quantum ab cæruleo distat Cancro Capricornus;
Et quam multus item est, ubi gurgite protulit ortum,
Tantus in adversas itidem est quum labitur undas
Signifer. In spatium, quantum deducitur oræ
Ambitus extremæ, puncti vice terra locanda est;
Unde acies oculis quum tenditur, hæc quoque puncti
Sedem habet. Hoc signo procurrit missa per auras
Signiferi in summum, medio de tramite si quis
Dirigat obtutus agiles procul, hosque locorum
Defessos longo spatio tener amputet aer;
Id, quod contenti visus absciuditur, ultro,
Si qui in signiferi patulum circumferat orbem,
Sex olli partes magnæ dabit ambitus oræ.
Ast hæ dimensa spatii sic lege locantur,
Binaque decisis includunt partibus astra.
  Olli Cancer inest, Leo flammifer, Attica Virgo;
Brachia sunt itidem Chelarum, et Scorpius ipse;
Arcitenens; setosa dehinc species Capricorni
Volvitur; auratam protendit Aquarius urnam.
Tum duo sunt Pisces, Aries, Taurus, Geminique.
His se bissenis sol admovet, hisque recurrens
Omnibus absolvit totos reparabilis annos.

Titaneo », invito metro. Ed. Ald. *Tithonico*. Nic. Heins. ad Dir. Cat. vs. 40 corrigendum pronuntiavit: « Namque ea cyaneo quum sunt »; sed bene correctionem refutavit Schr. ad Avieni Perieg. 368, ex Arati Phæn. 534. Pejor adhuc ejusdem Heinsii conjectura in notis ineditis ad Avienum: « Namque Atlanteo ». — Vid. quæ notantur supra hoc tomo, p. 172 et 173. Ed.

1044. *Ast hæ dimensa spatii sic lege locantur.* Ed. Ald. vitiose: « Ast Hedi mensa ». Eadem male vs. seq. *includant*. — Hæc paullo intricata sunt. Clarius et exactius hæc interpretatur Manilius, I, vs. 553, ubi vide notas. Ed.

Quem quum signiferi graditur sol aureus orbem,
Singula frugiparos adtollunt tempora vultus.
Illius Oceano quantum submergitur alto,
Tantum telluris supereminet. Omnibus iste
Noctibus illabens pelago sex inserit astra,
Sex reparat. Tanto nox humida tempore semper
Tenditur, extulerit quantum se circulus undis.
At si scire velis, mora lucem quanta retentet,
Et quanto nox atra sibi trahat otia lapsu,
Quæ procul Oceano consurgunt signa notato,
Horum semper enim comes est Titanius uni.
Horum prima oculis memor incunabula quære;
Luminis ipsa vagi captans venatibus ipsa;
Ipsa notans mundo. Quæ si se nubibus abdent,
Aut si non surgent, ut tellus sæpe tumescit,
Occultata jugo prætentaque rupe latebunt,
Prompta via est, aliis venientum tempora signis
Noscere. Namque ipso deprenderis indice cuncta
Oceano, magnam qui circumplectitur undis
Tellurem, curvet celando ut litora mundo,
Latius atque sinu patuli salis hauriat astra.
Istius indicium præbebunt cornua semper,

1053. *Quem quum signiferi graditur sol aureus orbem*. Perperam vulgo: « Quæ quum ».

1064. *Horum prima oculis memor incunabula quære*. Suo more idem variis vocibus exprimit Avienus et ταυτολογίζει. Male vulgo distinguitur: « Horum prima oculis memor incunabula quære Luminis ipsa, vagi captans venatibus ipsa, Ipsa notans mundo ».

1067. *Aut si non surgent*. Vulgo: « Aut si consurgunt », male.

1071. *Magnam qui circumplectitur undis Tellurem, curvet celando ut litora Mundo*. Ita maluit Grotius. Avien. Perieg. vs. 95: « loca circumplectitur æstu ». Conf. ibid. vs. 1202. Vulgo: « magnum qua circumamplectitur undis Tellurem, curvet celando ut litora mundo ». Tuetur vulgatam lectionem Schraderus, quoniam etiam *circumamplecti* inveniatur, ubi divisis vocibus aliquid interponitur. Virg. Ecl. III, vs. 45: « Et molli circum est ansas amplexus acantho ». Manil. I, 305: « Has interfusus circumque amplexus utramque ». *Mundum* vocat Avienus non cælum, ut sæpe, sed

Vel matutino qua perstrepit aere fluctus,
Acer Atlantei vel qua furit æquoris æstus.
Nam non obscuræ, quum Cancer commovet ortum,
Oceano stellæ circumvolventur utroque
In freta labentes, aut quæ se rursus Eoi
Parte ferunt mundi. Minoæ clara Coronæ
Serta cadent; Austri tergo cadet incola Piscis.
Hunc medium pendere tamen, mediumque sub undas
Cedere per spinam, rutila labente Corona,
Semper suspicies; at tergi plurima versum
Ventre tenus summo supera inter sidera cernes;
Os et colla dehinc et pectora vasta per æquor
Mersantur; premit ab genibus celsos Ophiuchum
Usque humeros Cancer; Cancer premit ortus et Anguem,
Agmine qua vasto fluitat caput, aspera cervix
Qua tumet, et spiris qua turgent pectora primis.
Parte nec Arcturus distabit multus utraque;
Jam minor in superis, jam viscera plurimus alto
Conditur; hunc etenim consortem quatuor astris
Oceanus recipit. Satur hic vix luminis almi
Cedit, et incipiens tandem convexa relinquit.
Tum jam plus mediis nox inclinabitur horis,
Quum labente die Phœbo comes ibit in undas.

cælestia sidera ». — Ideo legendum *celando*, namque Avieno sidera mari conduntur. Ed.

1075. *Vel matutino qua perstrepit aere fluctus*. Male vulgo *aera fluctu*.

1079, 1080. *In freta labentes, aut quæ se rursus Eoi Parte ferunt mundi*. Versus olim legebatur mutilus sic : « In freta labentes, aut quæ rursus Eoi ». Supplevit eum Grotius.

1089, 1090. *Agmine qua vasto fluitat caput, aspera cervix Qua tumet, et spiris qua turgent pectora primis*, ex emendatione Grotii. Vulgo perperam legitur et distinguitur : « Agmine qua vasto fluit ad caput aspera cervix : Qua tumet et spiris, qua turgent pectora, primis ».

1091. *Arcturus distabit multus utraque*. Ed. Ald. vitiose *inultus* pro *multus*.

1094, 1095. *Satur hic vix luminis almi Cedit, et incipiens tandem convexa relinquit*. Vulgo : « satur hic vix luminis Amni Cedit, et inspiciens tandem convexa relinquit ». Notabilis locutio : « incipiens relinquere » pro « incipit relinquere ».

Ista quidem vasti conduntur gurgitis alto:
Contra autem illius concedit sideris ortu
Orion rutilans ardentia cingula late,
Et flagrans humeros, et splendens ense corusco,
Eridanumque trahens alio se litore promit.
Adveniente dehinc villoso colla Leone,
Omnia quæ Cancro sese emergente per æthram
Extulerant, abeunt. Quin et Jovis Ales in undas
Conditur, et totis raptim petit æquora pennis.
Sed Nixus genibus, replicato in se ipse residens
Poplite, jam superi celatur corporis artus.
Non tamen iste genu, non lævam gurgite plantam
Occulitur, non Oceanus vorat omnia signi.
Proserit Hydra caput, claro Lepus exsilit ortu,
Et Procyon, primique pedes Canis ignicomantis.
Erigone salsis quum vultum exegerit undis,
Aeris ut patuli jam conscia permeet æthram,
Astrorum numerosa premit. Nam Virgine Eoo
Consurgente freto, cedit Lyra Cyllenæa,
Cedit Delphinus pelago, ceditque Sagitta,
Primaque pennarum pars canum condit Olorem;
Vix jam cauda salum superat; vix lumine parco
Eminet Eridanus, ponti procul efflua tingit.

1099. *Contra autem illius concedit sideris ortu.* Vulgo *nulli* pro *illius*, male. — *Illius sideris*, scilicet Cancri. Ed.

1107. *Sed Nixus genibus replicato in se ipse residens Poplite.* Sic emendavit Grotius. Vulgo: « Sed Nixus genibus replicato luce residens Poplite ». Jam supra pro *luce manente* idem reposuit *Ipse manens.*

1111. *Proserit Hydra Caput. Proserit* est *propellit, exserit.* Sæpius utitur hoc verbo Avienus in Perieg. ut vs. 342, 580, 702, 995.

1115. *Astrorum numerosa premit*, i. e. *premit*, pellit cælo astra numerosa. Locutio Avieno familiaris. Ed. — *Nam Virgine Eoo Consurgente freto, Cedit Lyra Cyllenæa.* Pessime vulgo legitur et distinguitur: « nam Virgine Eoa consurgente, freto cedit Lyra Cyllenæa ». — *Lyra Cyllenæa* inf. vs. 1227, *Mercurialis Lyra* dicitur. Ed.

1120. *Ponti procul efflua tingit.* Sic Avienus supra v 384: « Efflua se species liquidarum fundit aquarum ».

Celatur Sonipes caput impiger, ardua cervix
Tethyos ima petit salsæ, juba tota madescit.
Hydra superpositum procul in Cratera movetur
Parte alia, et liber vestigia Sirius ardet
Ultima, cæruleo producens æquore puppim.
Illa micat, maloque tenus sese exserit Argo,
Quum jam virgineos æther vehit altior artus.

Nec quum flagratas emittunt marmora Chelas,
Sideris expertes et clara luce carentes,
Non est nota dies, aut est ignobilis ortus.
Namque his indicium proprio fert ore Boötes
Plurimus exoriens, Arcturumque eminus alto
Cardine succendit. Jam celso Thessala puppis
Æthere subvehitur; jam mundo funditur Hydra
Longior, extremæque polum subit indiga caudæ,
Curva Chii cælo quum surgunt brachia signi.
Inspice ceu dextra referatur ab æquore planta,
Inque Genu tantum nixus pede proferat ortum.
Iste Lyræ rutilat conterminus, atque sub undis
Hic tenebris petit occidui vaga cærula ponti,
Et mox Oceano reparatur clarus Eoo:
Cum Chelis igitur pede tantum promitur uno.
Ipse dehinc versus procul in caput, ultima monstri

1122. *Juba tota madescit*, ex emendatione Grotii. Vulgo: « jubar ora madescit », sine sensu.

1123-1125. *Hydra superpositum procul in Cratera movetur parte alia*, etc. Ita hi versus distinguendi sunt. Male vulgo: « Hydra superpositum procul in Cratera movetur: Parte alia et liber vestigia Sirius ardet: Ultima cæruleo ».

1127. *Quum jam virgineos æther vehit altior artus*. Supra vs. 963: « Virgineosque pudens Zona superimminet artus ».

1128. *Nec quum flagrantes emittunt marmora Chelas*. Sic melius Grotius. Vulgo *flagratas*.

1136. *Curva Chii cælo quum surgunt brachia signi*. Vulgo *consurgunt*.

1139, 1140. *Iste Lyræ*... *Hic tenebris*. *Iste* et *Hic* de eodem. Vide supra not. ad vs. 5. — *Hic tenebris petit*. Nixum eadem nocte sæpe exstingui et exoriri dicit Aratus, quia parvum orbem sub horizonte describit. Ed.

1142. *Pede tantum*. Sed Aratus *femore dicit*. Ed.

Terga manet; manet Arcitenens, dum spicula cælo
Exserat, et supera vibret bellator in æthra.
Hoc sidus revehunt Chelæ, crus Scorpius ipse,
Cætera quum medio, lævam, et caput, oraque sursum
Arcus agit. Tribus hic tandem remorantia membra
Partibus erigitur; tria totum denique signa
Absolvunt pelago. Mediæ tum serta Coronæ,
Et quæ Centauro diffunditur extima cauda,
Prima venenati quum repunt brachia monstri,
Surgunt Oceano jam gurgite, et ultima Cycni;
Et caput acris Equi premit æquora. Jam procul ista
Marmoris occidui penitus petiere profundum,
Hausta salo. Caput Andromedæ freta vasta receptant;
Ac formidatam devexi cardine mundi
Fluctigeni speciem monstri superinvehit Auster.
Sed Boreæ de parte trucis velut aggere ab alto
Prospiciens superi subjectus verticis axe,
Intentusque procul specie, vaga brachia Cepheus
Exserit, et sævam pelagi monet adfore pestem.
Illa tamen versa in fluvium postrema profundum
Tingitur ab spina capiti quæ proxima summo est;
Undis succedens Cepheus et verticem et ulnas
Mersatur patulus. Quin et quum Scorpius acer
Nascitur Oceano, quidquid per sidera aquarum

1147. *Sursum Arcus agit.* Vulgo *rursum*, perperam.

1148. *Remorantia membra.* Vulgo *memorantia.*

1151. *Et quæ Centauro.* Correxit Grotius. Vulgo *Ex qua.*

1160. *Superi subjectus verticis axe.* Vulgo *subjecto.* Buhl. in notis citat *subrecta.* Ed.

1161, 1162. *Vaga brachia Cepheus Exserit, et sævam pelagi monet adfore pestem.* Theon ad Arati Phæn. vs. 630: Ποιητικεύεται, καί φησιν ἐκτείνειν τὸν Κηφέα τὴν χεῖρα, ὥσπερ παρακελευόμενος (lege παρακελευόμενον) τῷ (lege τῇ) παιδὶ ἐκκλίνειν τὸ Κῆτος.

1163. *Illa postrema profundum Tingitur.* Fluvium dixit Avienus pro mari, ut et alibi. Vulgo: *postrema profundo, Tingitur.*

1165, 1166. *Undis succedens.* Alii *undique.* Ed.—*Quin et quum Scorpius acer.* Vulgo *tam* pro *quum.*

Ad speciem Eridanus pater exspuit, abditur alta
Tethye, et occidui tegitur Padus æquore ponti.
Scorpius ingentem perterritat Oriona
Proserpens pelago. Vetus, o Latonia virgo,
Fabula, nec nostro struimus mendacia versu
Prima; neque obduri compagem germinis ætas
Prima dedit populis. Cæcus mos mentis acerbæ,
Immodicusque furor sceleris penetraverat œstro
Impia corda viri; tabuerunt dira medullis
Protinus in mediis incendia; plurimus ardor
Pectore flagravit. Tenet improbus ille, procaxque,
Te, Dea, te dura valuit contingere dextra?
Quum sacrata Chii nemora, et frondentia late
Brachia lucorum, quum silvæ colla comasque
Devotæ tibimet manus impia demolita est,
Audax ut facinus donum foret OEnopioni:
Digna sed immodico merces stetit ilicet ausu.
Nam Dea nubiferi perrumpens viscera montis,
Dirum antris animal sævos vomit hostis in artus.
Ergo ut falcatis monstrum petit Oriona
Morsibus, et totas in membra ferocia chelas
Intulit, ille mali pœnas luit. Ista furori
Præmia debentur; sunt hæc contermina læsis
Semper numinibus. Metus hic, metus acer in astro
Permanet, et primo quum Scorpius editur ortu,

1172, 1173. *Nec nostro struimus mendacia versu Prima*. Locus hic est mutilus et corruptus. — *Compagem* repono pro *compegi*, quod omnes dant, unde paullo major fit lux. Ed.

1174. *Cæcus mos mentis acerbæ*. Ed. Ald. vitiose *Cætus*, et in versu sequenti « penetraverit » pro « penetraverat ».

1183. *Audax ut facinus donum foret OEnopioni*. Vulgo male: « Audax haud facinus ».

1187. *Ergo ut falcatis monstrum petit Oriona*. Avienus supra: « Huc falcata Chii repserunt cornua monstri ».

1189. *Intulit ille mali*. Buhl. *Intulit ille male mali*, vitiosissime. Ed.

1190. *Sunt hæc contermina læsis Semper numinibus*. Vulgo perperam: « sunt hæc commercia ».

Orion trepido terræ petit extima cursu.
Nec minus Andromedæ quidquid volitabat in æthra,
Et si quid Pristis reliquum convexa vehebant,
Hoc oriente ruunt. Omnes procul in vada terror
Ingerit, et cunctos pavor unus in æquora cogit.
Cepheus ipse caput distentaque brachia vasto
Induitur ponto; tellurem cingula radunt
Extima, et Oceano mersantur pectora rauco
Sola senis; reliquum polus ast a litore versat
Semper inocciduum. Genitrix quoque Cassiepeia
Sidera præcipitis sequitur labentia natæ,
Deformemque trahit procul in vada cæca ruinam,
Prona caput, solaque, et solio vestigia ab alto
Sustollit miseranda super; quatit ira furorque
Doridos et Panopes post fata novissima matrem;
Ac memor has pœnas dolor exigit. Omnia fluctus
Hæc simul occiduos subeunt. Tamen altera mundus
Sufficit, inque vicem lapsorum multa reportat.
Tempore namque isto reliquæ se serta Coronæ
Expediunt pelago; postremique agminis Hydra
Erigitur caudam; caput et turgentia membra

1194-1196. *Nec minus Andromedæ*. Grotius pro *vehebant* habet *ferebant*. Sensus est: Occidunt residua Andromedæ et Pristis; nam *Pristis* est genitivus. Vulgo: « in æthram... Pistrix ». Ed. Ald. » Nec minus Andromeda est ».

1202. *Semper inocciduum*. Cætera Cephei sunt ἄδυτα· unde *inocciduum* scribo, quod male separat Buhl. Ed. — Vulgo: « Semper in occiduo », male.

1205. *Prona caput, solaque et solio*. Præclare hunc locum restituit Grotius. *Sola* sunt vestigia, unde illud: « Nullius unquam Trita solo ». In *matrem* subintelligendum *Cassiepeiam*. Pessime vulgo lectum et distinctum: « Prona caputque solo, solio vestigia ab alto Sustollit miseranda: superquatit ira furorque, Doridos et Panopes post fata novissima matrum ». — Hic versus etiam post Grotium retractandus. Etenim si *sola* sunt idem ac *vestigia*, quis hæc eodem versu ferat? Vellem quidem: « Prona caput, solioque sedens vestigia ». Ita enim pingitur hoc signum ». Ed.

1209. *Tamen altera mundus Sufficit*, ex Grotii emendatione. *Sufficit* est ἀντικαθίσταται. Virg. Georg. II,

Centauro exsuperant; manus effert dextera prædam
Silvarum; nam prima feræ vestigia in ollis,
Arcum sera manent; Arcu redeunte per æthram
Protolli incipiunt; reliquum Serpentis et artus
Anguitenentis item fert primis fluctibus Arcus.
Amborum capita, et palmas geminas Ophiuchi,
Ac primam rutili spiram Serpentis Eoo
Scorpius Oceano surgens agit. At pede Nixi,
Quem procul aversum semper salis altera mittunt,
Tunc artus medii, tum pectora vasta humerusque,
Dexteraque ulnarum spumosi gurgitis æstu
Procedunt. Pariter caput et manus altera porro,
Tota Sagittiferi quum vibrant astra, feruntur.
Mercurialis item Lyra volvitur; altaque Cepheus
Cardine sustollens vestigia, gurgite nondum
Pectora liber agit, sed pectora mersus in undas,
Plaustra Lycaoniæ pulsat pede desuper Ursæ.
Tempore non alio magni Canis ignea cedunt
Sidera; protentum freta jam procul Oriona
Hauserunt pelago; toto Lepus occidit astro,
Tum quoque et Oceano fugientem Sirius urget.
Sed non Aurigam, quum gurgitis ille profundi

65: « Atque aliam ex alia generando suffice prolem ». Vulgo male: « tamen altera in undis sufficit ».

1215. *Nam prima feræ vestigia in ollis.* Ingeniose emendavit Grotius: *In ollis* (illis), id est, manibus et membris est Fera. Vulgo: « vestigia mollis ».

1216. *Arcum sera manent; Arcu redeunte per æthram*, etc. Sic est legendum et interpungendum. Vulgo: « Arcum sera manent: Arcu redeunte per æthram Protulit, incipiunt reliquum Serpentis et artus Anguitenentis: item fert primis fluctibus Arcus amborum capita et primis geminas Ophiuchi ». In primo versu ed. Ald. habet: « At quum sera manent »; in tertio et ultimo *primos* pro vulgato *primis*, vitiose.

1221. *Scorpius Oceano surgens agit; at pede Nixi. Pede Nixus* est ὁ ἐν γόνασι. Vulgo: « Scorpius Oceano surgens agitat: pede Nixi ».

1222. *Altera mittunt.* Sic omnes et ipse Buhl. sed mihi videtur scribendum *alta remittunt*. Ed.

1223. *Tunc artus medii, tunc pectora.* Vulgo *tum*. Sed rescribendum est *tunc*, quoniam *tunc* præcessit.

1235. *Quum gurgitis ille profundi*

Ima petit pedibus, Capra mox Hœdive sequuntur;
Ista polo rutilant, illum vada livida condunt;
Hæc membris discreta aliis, exstantiaque alte
Lævum humerum et summæ sese adtollentia palmæ
Cernuntur, donec labenti congrada soli,
Sidere devexo freta late cærula turbent.

Namque manum Aurigæ reliquam, celsumque corusci
Verticis, et dorso quæ spina adtollitur alto,
Deprimit hirsuti sidus surgens Capricorni:
Membra Sagittigero cedunt postrema revecto.
Jam non alatus remoratur sidera Perseus
Aeris in spatiis; neque clavum vindicat Argo
Adluvione sali; Perseus pede denique dextro
Atque genu liber, mersatur cætera ponto.
Argo quod curvis puppim superadtrahit oris,
Tingitur, et duro tangit vada cærula dorso.
Ipsa dehinc manet exortum Cilicis Capricorni;
Totaque tum pelago cælo descendit ab alto;
Æquora tum Procyon, gressum sectatus herilem,
Intrat, et Oceano permutat celsa profundo.

Ima petit pedibus, Capra mox, Hœdive sequuntur. Perperam vulgo distinguitur: « Ima petit, pedibus Capra mox ».

1242. *Namque manum Aurigæ reliquam*, etc. Sic recte emendavit Grot. *Manum reliquam* respondet Arateo ἄλλην χεῖρα. Vulgo: « Namque manum Aurigæ, reliquum celsumque corusci Verticis, et dorso qua spina, etc. »

1247. *Neque clavum vindicat Argo Adluvione sali; Perseus pede denique dextro, Atque genu liber mersatur cætera ponto.* Supra: « Pectora liber... vestigia liber ». Vulgo male: « neque clavum vindicat Argo. Adluvione sato Perseus pede denique dextro, Atque genu libero, etc. »

1251. *Duro tangit vada cærula dorso.* Vulgo *tingit*. Indicare videtur Avienus, Argo tingi eam partem, qua puppis adtrahitur. — Mallem hic *Mergitur, et duro tangit.* Ed.

1252. *Manet exortum Cilicis Capricorni.* Ed. Ald. *Cilici*. Est autem Capricornus *Cilix* idem quod *hirsutus*, ut alibi nominatur; nam Græci κιλίκα et κιλίκιον vocant omne hirsutum, unde κιλίκιοι στρατηγοὶ, et κιλίκιοι τράγοι, et *Cilicia vela*.

1253. *Totaque tum pelago descendit.* Vulgo *cum*. Similiter in versu sequenti legendum « Æquora tum Procyon » pro vulgato « Æquora quum Procyon ».

Hæc habet occidui plaga gurgitis; ista sonoro
Supprimit unda salo. Rursum procul erigit æthra
Cycnum, Aquilamque Jovis. Surgunt flammata Sagittæ
Sidera, perque Notum rutila cum numinis Ara
Delphinum patulas promit Capricornus in auras.
Sed matutino quum surgit Aquarius orbe,
Os Equus atque pedes novus exserit. Ecce cadentis
Parte poli trahit occiduum nox atra sub æquor
Centaurum cauda; sed non caput, aut humerorum
Vasta simul recipit: persistit pectore celso
Cornipedis species, et cælum vertice fulcit.
Ora dehinc Serpens et prima volumina tantum
Conditur; ingentis late tamen agmina caudæ
Pone trahit. Subit ista salum; subit æquora rursum,
Integer Oceani, quum se Centaurus in undas
Jecerit, atque novo vibrarint sidere Pisces.
His in summa poli surgentibus, ille per Austrum
Piscis item, planta quem pulcher Aquarius urget,
Redditur; haud toto tamen hic se corpore promit;
Sed manet alterius venientis tempora signi;
Parte latet, partem supera in convexa sonoris
Fluctibus absolvit pelagi; sic brachia mœstæ
Andromedæ, sic crura dehinc humerique nitentes
Paullatim recavo redeunt maris, aurea cælo

1259, 1260. *Perque Notum rutila cum Numinis Ara Delphinum patulas promit*, etc. Vulgo: « rutila tum... Delphinum parvas promit ».

1261. *Sed matutino quum surgit Aquarius orbe*. Vulgo *Et matutino*. Scriptum forsitan olim fuit *Set;* deinde litera prima, ut fieri solet, omissa. Ed. Ald. *consurgit* pro *quum surgit*.

1269. *Subit ista salum, subit æquora rursum*. Ita recte rescripsit Grotius. Vulgo: « subit isla solum, subit æquora rursum Integer Oceaui, quum se Centaurus iu undas Jecerit ».

1271. *Atque novo vibrarint sidere Pisces*. Avienus supra similiter de Equo : « Os Equus atque pedes novus exserit ». Ed. Ald. *Piscem*, perperam.

1272. *Ille per Austrum Piscis item, planta quem pulcher Aquarius urget*. Male vulgn distinclum : « ille per Austrum Piscis ilem planta, quem pulcher, etc. »

1279. *Paullatim recavo redeunt*

Postquam adolent Pisces incendia, denique Pisces
Quum rutilant, mundo dextram hæc adtollitur ulnam,
Lævaque virginei rursum se corporis edunt.
Phrixei et postquam pecoris proruperit ortus,
Australem hic Aries Aram procul admovet undis
Gurgitis occidui. Qua lux redit, excitat idem
Persea proceri sustollere verticis astra,
Et claros fulgere humeros: at cætera nondum
Sunt exempta salo. Quin totum hoc invida veri
Natura ambigua rerum ratione reliquit,
Extimus an reliquos Aries produceret artus
Perseos, an Tauro freta pelleret adsurgente.
Hoc una cælum subit integer; haud super ulla
Viscera, nascentis neque Tauri deserit astra.
Quippe hujus flammis Aurigæ sidus inhæret;
Nec tamen hunc totum sustollit Taurus in æthram.
Aurigam salsis evolvunt fluctibus omnem

maris, aurea cælo Postquam adolent Pisces incendia. Recavo maris, i. e. τῷ κοίλῳ τοῦ ὠκεανοῦ. *Adolere* dixit Avienus suo more pro *urere*. Virg. Ecl. VIII, 65: « verbenasque adole pingues »; et Æn. VII, 71: « Adolet quum altaria tædis ». Perperam vulgo legitur ac distinguitur: « Paullatim recavo redeunt maris aurea cælo. Postquam adolent Pisces incendia, denique Pisces Quum rutilant, mundo dextram hæc adtollet in ulnam ».

1287, 1288. *At cætera nondum Sunt exempta salo.* Vulgo: « ac cætera nondum Sunt exempta solo ».

1290. *Extimus an reliquos.* Hæc vix Astronomis dubia videri possunt: sed Eudoxus, quem sequitur Aratus, in duobus operibus hoc et illud declaraverat. Ed.

1292. *Hoc una cælum*, græcismus ἅμ' αὐτῷ. Aratus, vs. 714: Σὺν τῷ. Ed.

1293. *Viscera.* Intelligit Avienus membra. Servius ad Virg. Æn. III, 574: « avulsaque viscera montis: *Viscera, hoc est, partes* ». *Haud super* est græcismus pro *haud supersunt*. Græci dicerent οὐδένα μέρη πέρι pro περιγίνεται, sive περίεστι, ut ἔνι pro ἔνεστι, πάρα pro πάρεστι, et similia translato accentu. — *Nascentis neque Tauri deserit astra*, ex emendatione Grotii. Ultima respondent Arateis: οὐδ' ὅγε Ταύρου Λείπεται ἀντέλλοντος.

1296. *Aurigam salsis evolvunt fluctibus omnem Surgentes Gemini. Tauro Capra*, etc. Ita legendum et interpungendum. Vulgo: « Surgentes Gemini, Tauro, Capra, plautaque læva Nempe hœdi evadit, quum primum ».

Surgentes Gemini. Tauro Capra, plantaque læva,
Atque Hœdi evadunt. Tum primum rursus ab undis
Cetosa in superum referuntur viscera cælum.
Nam caudæ et cristæ rigor arduus aera celsum
Tunc repetunt; diri quum sidera gurgite monstri
Volvit præcipitis teres inclinatio mundi,
Eminus ingentem condit pars prima Bootem.
Quatuor hic etenim signis surgentibus altum
Vix penetrat pelagus, neque summa totus ab æthra
Labitur Arcturus, manus olli quippe sinistra
Juge manet, celsisque super subducitur Ursis.

At quum jam pedibus repetit fluctus Ophiuchus,
Ut genua Oceanus vasto procul æquore condat,
Signum erit Eoa Geminos procedere parte.
Nec lateri Pistrix cuiquam vicina videtur,
Sed jam tota super sustollitur: exspuit atram
Jam pelagus speciem, nec adhuc membra extima sorbet.
Quid ni nascentis suspectat navita ponto
Agmina prima Padi cælo tum fervere aperto?
Vicinasque faces rutili manet Orionis,

1297. *Plantaque læva*, nempe Aurigæ, quem versu præcedenti nominat. Ed.

1299. *Referuntur viscera*. Hic iterum *viscera* sunt μέρη sive μέλη. Non accurate satis interpretatus est Wernsdorf. ad Avieni Perieg. vs. 781, « *Cetosa viscera* pro Ceto, astro cælesti. » Vid. supra p. 252. Ed.

1311. *Nec lateri Pistrix cuiquam vicina videtur*. Mirum, si quis hæc intelligat. Pingræus pro *lateri* suspicatur *latici*, sed sic versus hic cum sequenti non cohæret. Nam si Cetus non vicinus est horizonti, manifestum nimis est, eum supra totum sustolli. Cæterum Pingræus non infeliciter versus Arati interpretatur: « Non jam prima patet, latitat pars altera Ceti; Totus surrexit. Nunc et fluvii agmina prima In medio veniunt ». Ed.

1313. *Nec adhuc membra extima sorbet*, ex Grotii conjectura. Vulgo: « nec adhuc tamen extima sorbent ».

1314. *Quid ni nascentis suspectat navita ponto*. Buhlius hoc versu pro *suspectat* vult *suspectet*, quod quidem huic interrogationi est aptius. *Nascentis*, sc. Padi, h. e. orientis, nisi malis *scandentis* per literarum transpositionem; ἐξανιοῦσαν enim hoc loco dixit Aratus. In vs. etiam sequenti pro vulgato « manet Orionis » Buhlius dicit legendum « maneat », sed metrum repugnat. Ed.

Curricula ut solers vero mox indice discat
Certa tenebrarum, possitque fideliter astro
Explicare Notis et tuto carbasa ponto?
Credo, ni desit magnorum congrua cura,
Prompta via est ipso cognoscere talia semper
Præceptore Jove, et cælo tibi signa magistro
Omnia ducentur; monet alta Jupiter æthra
Singula nos; facilis veram dedit arbiter artem,
Ne tempestatum primordia cæca laterent.

1320. *Magnorum congrua cura.* Est hellenismus pro « cura congrua rebus magnis ».

1322. *Et cælo tibi signa magistro Omnia ducentur.* Poterit quoque legi *e cælo.* Infra Progn. vs. 249 occurrit: « certa hoc ducentur signa magistro »; et ibid. 169, Lunam dixit monitorem: « Hanc perpende oculis illa monitore dierum Signa tene ». Ed. — Vulgo: « et cælo tibi signa magistri Omnia ducentur ».

RUFI FESTI AVIENI

ARATEA PROGNOSTICA.

NONNE vides, primum quum Phœbe in cornua surgit
Tenuia, et angusto lumen jacit ore per æthram,
Decedente die, pronoque ab tramite solis,
Promat ut ingressi solers tibi tempora mensis?
Namque facem quarti sibimet profitebitur ignis,
Corpora quum primo perfundens lumine nostra,
In subjecta soli tenuem porrexerit umbram.
Ast orbis medii si cedat Cynthia forma,
Octavos ortus, octavaque plaustra docebit.
Denique quum toto Dea jam surrexerit ore,
Integer ut magni resplendeat ambitus orbis,
Effluxisse sibi medii jam tempora mensis,
Monstrabit cælo. Pleni quum rursus egena
Oris eat, tanto procedens lumine formæ,
Inserit aeriis quantum Dea nubibus ignem,
Esse senescentis sibimet dispendia mensis

4. *Promat ut ingressi solers tibi tempora mensis*. Sic maluit Grotius. Ingressi mensis, ἀεξομένοιο μηνός. Infra v. 128: « Ingredientis erit plene tibi nuntia mensis ».

5. *Quarti ignis*, i. e. quarti diei, locutio alias Avieno usurpata. Ed.

6. *Primo perfundens lumine*. Arat. πρώτῃ ἀποσκίδναται αὐγῇ.

8. *Ast orbis medii si cedat Cynthia forma*. Vulgo *formam*. Sæpe in Avieno accusativus positus pro ablativo; inde putat Grotius, scribas eodem signo circumflexum accentum, qui ablativis adjungitur, et literam *m* designasse hoc modo: *formā*.

15. *Inserit aeriis quantum Dea nubibus ignem*. Reponit *ignem* Buhl. ut respondeat τῷ *quantum*.—Posset etiam legi *ignis* minus a vulgata recedens. Ed.

Illa docet, quibus in rutili confinia fratris
Tertia vix mundo superest via. Quum minus autem
Umbrarum excludit, sunt tales quatuor ortus
Marcentis Lunæ, quales sub mense renato
Quatuor exsurgunt languentis luminis umbræ;
Atque his octonas includunt ordine luces.
Interjectorum numerum quoque nosse dierum,
Prompta via est; proprio semper Dea proditur ore,
Scandat quanta polum, quoties temone jugales
Strinxerit, et quanto jam tramite liquerit undas.
At decedentis postrema crepuscula noctis,
Bis sex signa tibi quæ versat signifer orbis
Monstrabunt; cursu nam Phœbus singula mutat
Semper, et alterno succedit in omnia lapsu
Conficiens iter ætherium. Nunc igneus istud
Astrum adolet flammis; alii non aurea Titan
Lumina miscetur, vel quum devexus in undas
Labitur, et rebus formam absumpsere tenebræ;
Vel matutino redit incunabula linquens
Quum pelago, et rebus suffudit luce colores.
Sic diversa diem comitantur sidera semper.
Non ego nunc longo redeuntia sidera motu
In priscas memorem sedes; habet ista priorum
Pagina, et incerta rerum ratione feruntur.
Nam qui Solem hiberna novem putat æthere volvi,
Ut Lunæ spatium redeat, vetus Harpalus, ipsam
Ocius in sedes momentaque prisca reducit.
Illius ad numeros prolixa decennia rursum
Adjecisse Meton Cecropia dicitur arte;

29, 30. *Monstrabunt; cursu nam Phœbus singula mutat Semper, et alterno succedit in omnia lapsu.* Male vulgo interpungitur : « Monstrabunt cursu ; nam Phœbus singula mutat, Semper et alterno succedit in omnia lapsu ».

40. *Incerta rerum ratione.* Conf. Phæn. v. 1289. Ed.

41-43. *Nam qui solem hyberna*

Inseditque animis, tenuit rem Græcia solers,
Protinus, et longos inventum misit in annos.
Sed primæva Meton exordia sumpsit ab anno,
Torreret rutilo quum Phœbus sidere Cancrum,
Cingula quum veheret pelagus procul Orionis,
Et quum cæruleo flagraret Sirius astro.

Hoc ex fonte velut deduxit tempora Lunæ
Navita, quo longum facili rate curreret æquor,
Et quo ruris amans telluri farra parenti
Crederet; ingenti petat hæc indagine semper
Seu qui vela salo, seu qui dat semina terræ.
Nec mora discendi, brevis hic labor, et breve tempus
Poscitur; innumeros habet autem industria fructus.
Utilitas te certa manet, prænoscere motus
Si libet aerios, et tempestatibus ipsis
Edere principium. Te primum sponte procellis
Arcebis rabidis; te rursum principe fluctus
Vitabunt alii, si certis singula signis

novem putat æthere volvi, etc. Ita emendavit hos versus Scaliger, de Emend. Temp. lib. II, p. 74, adprobante Grotio. Vulgo legitur : « Nam quæ solem... monumentaque prisca ».

46, 47. *Tenuit rem Græcia solers Protinus, et longos inventam misit in annos.* Vulgo *inventum.*

48. *Sed primæva Meton exordia sumpsit ab anno.* Hic Avienus non satis intellexit Arat. Dios. vs. 21. Conf. Grotii not. ad Arat. p. 15, et Bulhii not. vol. I, p. 443. *Exordia ab anno* dicuntur Avieno pro *Exordia anni*, ut *fulgor ab auro* pro *fulgor auri*, et similia plura. — De Metone, quem hic nominat Avienus, omnino tacet Aratus, quamquam Salmasius, ad Solin. p. 822, putaverit non Eudoxum (ut omnes putant et nos adserimus supra pag. 595, ad Phæn. 1290), sed Phainum vel Metonem fuisse cujus vestigiis institerit Aratus. Sed hanc opinionem refellit Petavius, in auctario operis, de Doctrina Temporum, VI, 9. Et nos diximus in Præmonit. ad Avienum, illum plures, quam Aratus, scriptores astronomicos consulnisse. Ed.

52. *Hoc ex fonte velut deduxit tempora Lunæ Navita, quo longum*, ex emendatione Grotii. Sensus est : Ex Metoneis Parapegmatis derivantur προγνώσεις. Corrupte vulgo : « Hoc ut fons est, unde et duxit tempora Lunæ ». Ed. Ald. *Hoc ut fontem.*

54. *Et quo.* Sic repono. Omnes *Æquora*, nullo sensu. Ed.

Tempora discernas. Nam mundi cardine verso,
Ut stata, raucisoni redit indignatio ponti.
Sæpe etenim, quamquam tranquillæ noctis amictu
Mitia protenti requiescant terga profundi,
Doctus securam subducit ab æquore classem
Navita, et actæa retinet statione phaselum,
Quum matutinæ præsensit signa procellæ.
Namque alias cælo quum tertia lumina Phœbus
Exserit, ille sali furit implacabilis horror,
Adfore quem pelago comitem sibi dixerat astrum.
Crebro quinta dehinc lux commovet Amphitriten;
Sæpe inopina mali clades ruit. Omnia certis
Indiciis tibi Luna dabit, seu lucis utrimque
Cæsa facem, seu quum teretem concrescit in orbem.
Sol quoque venturas aperit tibi sæpe procellas,
Sidera producens, et quum sale sidera condit.
Nec minus ex aliis aderit cognoscere motus
Æquoris, et magnos cæli callere tumultus,
Quos det certa dies, qui longi tempore mensis,

65. *Ut stata, raucisoni redit indignatio ponti.* H. e. tamquam condicto die redit. Ita stata sacra dicuntur, et status dies cum hoste, Ciceroni el Plauto.

69. *Et actæa retinet statione phaselum.* Est *statio actæa* nihil aliud quam *statio in litore*, ab ἀκτὴ, ἀκταῖος, litus, litorale. Vocabatur Attica etiam propterea *Actæa;* sed hoc loco de Attica non cogitandum. Laudat Grotius ad versum hunc Virgil. Eclog. II, 24: « Amphion Dircæus in Actæo Aracyntho »; additque: « cave Atticam intellexeris; nam Aracynthus nullus in Attica ». In quo tamen fallitur vir doctissimus; erat utique mons hujus nominis in finibus Bœotiæ et Atticæ, sicut quoque alius Aracynthus in Acarnania sive Ætolia, ubi tamen Amphion fuisse nusquam legitur, quum potius tota de eo fabula Bœotiam spectet. Vid. Heyn. ad Virg. l. l.

72. *Ille sali furit implacabilis horror.* Male vulgo: « ille sali fuit implicabilis horror ».

73. *Adfore quem pelago comitem sibi dixerat astrum.* Sensus est: Horror sali, quem astrum sibi comitem dixerat pelago adfore. Recte dixit Avienus horrorem astri comitem, συνακόλουθον. Possit etiam legi « tibi dixerit » pro « sibi dixerat ».

80. *Aderit cognoscere.* Est hellenismus: ἔσται sive πάρεσται γινώσκειν, licebit cognoscere.

Astrorumque vice et mundi ratione trahantur.
Aeris immadidum quiddam tellure creatum
Spiramenta vomunt, vis hoc quum fundit in auras
Venarum, occulte patulo prætexitur agro
Insubjectum oculis, terramque supernatat omnem,
Multaque materia est, quam quum calor ignicomantum
Hausit stellarum, superas subducit in auras,
Et concreta diu compingit nubila mundo.
Si minor hæc madidi substantia cespite ab imo
Subrigitur, tenues nebulæ caligine fusa
Tenduntur cælo. Vis autem siccior olli
Quum fuit, in celeres dissolvitur undique ventos,
Vicinumque sibi flabris dominantibus ultro
Aera propellit. Si major protinus humor
Consurrexit humo, pluvias quoque nubila fundunt,
Et pluviis late calor est pater. Hic super imbres
Exprimit; eductum fervoris at objice mundus
Respuit humorem. Si moles magna utriusque

84. Iuit Avienus disputationem physicam de principiis meteororum secundum philosophos et Arati interpretes Græcos, non secundum Aratum ipsum. *Immadidum* vero dicit, non τὸ ἄνυγρον, sed τὸ ἔνυγρον.

87. *Insubjectum oculis.* Græcissat iterum Avienus. *Insubjectum* est ἀνυπότακτον τοῖς ὀφθαλμοῖς.

88. *Multaque materia est.* Vulgo: « Multaque materies ».

92. *Tenues nebulæ caligine fusa Tenduntur cælo.* Grotius ad h. l. (ex Aristot. Meteorol. I, 9): Nubium et nebularum eadem materia; ἀτμίς, τοῦτ' ἔστι τὸ ὑγρὸν καὶ θερμόν· sed nubium materia copiosior. Nebula est ὁμίχλη. Ὁμίχλη Peripateticis νεφέλη ἄγονος. Si vero humor sit maximus, fit pluvia.

94. *In celeres dissolvitur undique ventos.* Vulgo *dissolvit.* Venti sunt ἐκ τῆς ἀναθυμιάσεως, τοῦτ' ἔστι, τοῦ θερμοῦ καὶ ξηροῦ.

98-100. *Hic super imbres Exprimit; eductum fervoris at objice mundus Respuit humorem.* Sensus est: Calor adtrahit pluviæ materiam; sed cælum adtractam ob fervoris sui obstaculum et frigoris illius deprimit. Aristoteles, Meteorol. I, 9: ἀναγομένου δὲ τοῦ ὑγροῦ ἀεὶ διὰ τὴν τοῦ θερμοῦ δύναμιν, καὶ πάλιν φερομένου κάτω διὰ τὴν ψύξιν πρὸς τὴν γῆν ὑετὸς καλεῖται. Vulgo: « hic super imbres Exprimit, et ducta ferventis ut obice mundi Respuit humorem ».

101-102. *Occurset sibimet velut obvia cominus, agris Compulsu aerio fragor intonat.* Tonitrua et fulmina, ex Veterum sententia, fiunt ex oc-

Occurset sibimet velut obvia cominus, agris
Compulsu aerio fragor intonat, amplaque late
Murmura discurrunt pariter crepitantibus auris.
Hic inflictus item, diversorumque per æthræ
Sæpe superna furor illisos fulguris ignes
Excludit rutilis, totamque volantibus æthram
Præstringit flammis, et cælum sulphure odorat.
Omnibus his genitrix tellus, et cespite ab imo
Ducuntur superi motus; ipsa ignea mundi
Lumina, flammigero Phœbus temone coruscans,
Et quæ noctivagos adtollit Luna jugales,
His peperere malis exordia. Namque deorsum
Movit humum quum forte calor, laxata repente
Spiramenta soli venas procul, altaque pandunt
Viscera telluris; bibit imum terra colorem
Desuper, et madidum tepefactus cespes anhelat.
Aeris hos motus, rabiemque volubilis undæ,
Flabra procellarum, mundani tramitis iras,
Præsentire decet. Cape solers singula mente,
Præceptisque virum sitientia pectora pande.

Cynthia quum primum cælo nova cornua promit,
Cautus utrimque Deam circumspice; namque revectæ
Nequaquam semper similis lux imbuit ortum;
Sed species diversa trahit, varioque notatur

cursu ἀναθυμιάσεων καὶ ἀτμίδος. Lucretius, VI, 95 : « Principio tonitru quatiuntur cærula cæli Propterea, quia concurrunt sublime volantes Ætheriæ nubes contra pugnantibu' ventis ». Perperam vulgo legebatur et distinguebatur : « si molles, magna utriusque Occurset sibimet velut obvia, cominus agris Compulsa aerio fragor intonat ». Jam Morellius correxit *Compulsu* pro vulgato *Compulsa*.

104, 105. *Diversorumque per æthræ Sæpe superna furor*. Vulgo : « diversorumque per æthram Sæpe superna furens ».

106. *Excludit rutilis*. Buhl. distinguit post *excludit*, male.

112. *His peperere malis*. Ed. Ald. vitiose *perpere*. — Eadem v. 115 *telluri*. Ed.

124. *Varioque notatur formarum*. *Vario formarum* pro *variis formis*. Sic versu 126 *major sideris* dictum

Formarum, primi quum surgit luminis igne,
Tertia quum rutilat; quum major sideris æthram
Scandit, et aerias quarta face luminat oras,
Ingredientis erit plene tibi nuntia mensis.
Hæc castigato si tertia fulserit ortu,
Pura sit ut fœdis ab sordibus, adfore dicet
Clara serena diu. Tenui surrexerit autem
Si face, et ignito subpinxerit ora rubore,
Turbida certantes converrent æquora Cauri.
Luminis ista dehinc si crassior, atque retusis
Cornibus ingreditur, si quarti sideris ortu
Percussi tenuem prætendat corporis umbram,
Imbribus aut Zephyris hebetabitur, arguet ultro
Flabra Noti, aut pluvias; nam crassus desuper aer
Cornua cæca premit, Notus uvidus aera cogit.
Tertia si rursum protollens Cynthia currus,
Sit subrecta faces et acumina tenta coruscans,
Ut nec curva quasi declinet cornua, nec tum
Fusa supinatum diducat lumen in auras,
Occiduo Zephyrum prædicet surgere mundo,
Aut Libyæ de parte Notum. Sin quatuor autem
Cynthia curriculis cælum subit, atque coruscos
Cornibus immodice prostantibus exserit ignes,

pro *major sidere*, et infra « Luminis crassior » pro « Lumine crassior ». — Et vid. not. ad Phæn. 1115. Ed.

130. *Pura sit ut fœdis ab sordibus, adfore dicet Clara serena diu. Serena* hoc loco, ut et alibi, substantive sumitur. Male vulgo interpungitur et legitur : « Plura sit, ut fœdis ab sordibus adfore dices, Clara, serena diu ».

136. *Percussi tenuem prætendat corporis.* Vulgo : « Percussi ut tenuem ». Apud Aratum, v. 54 : φόως ἀμιχνὸν ἔχουσα interpretatus est Avienus cum Theone σκιὰν πέμπουσα.

137. *Imbribus aut Zephyris hebetabitur.* Immo Noto. Non recte hic Avienus Aratum expressit. Buhl. — Sed Avienus περιφράζει, et vs. seq. *Notum* diserte nominat. Ed.

140, 141. *Tertia si rursum protollens... Sit subrecta faces*, etc. *Tenta*, ut alibi : tenta volumina compar. Vulgo : « si rursum protollat ».

145. *Aut Libyæ de parte Notum.* Aratus nihil habet de Noto.

146. *Atque coruscos*, etc. ex emen-

Vis prolixa salum ciet, ocius omnia Cauri
Marmora convolvent, fera verrent flabra profundum.
Istius in Boream quod se sustollit acumen,
Si curvum specie velut adnuat, adfore cælo
Sæva procellosi prædicet flabra Aquilonis:
Namque hoc urgeri sese adserit atque gravari.
Indice rursus eo veniet Notus, hanc ubi partem
Pone supinari conspexeris, inque reclinem
Sponte habitum pandi; nam subrigit Auster acumen
Inferiore plaga. Si Lunam tertius ortus
Proferat, atque Deæ convolvat circulus ora
Suffusus rutilo, mox tempestate sonora
Spumosum late pelagus canescere cernes.
Major et hæc rauci versabit gurgitis undas,
Ipsa quoque immodice si vultum Luna rubescat.
  Contemplator item, seu plenum luminis orbem
Quum Dea distendit, seu quum teres ambitus olli
Ceditur, et mediæ velut indiga lucis utrimque
Sustinet obductæ sibimet dispendia formæ.
Cornua prima replens, et cornua fissa dehiscens

datione Grotii. Vulgo corrupte: « atque coruscis... usserit ignes, Vix prolixa, etc. »

153. *Atque gravari.* Ita melius. Vulgo: « hocque gravari ». Post *gravari* interpungi debet. — *Hoc*, scil. Aquilone. Ed.

155. *Inque reclinem Sponte habitum pandi; nam subrigit Auster.* Male vulgo distinguitur: « inque reclinem Sponte habitum; pandi nam subrigit Auster »; nullo sensu.

157. *Si Lunam tertius ortus.* Hæc et sequentia fere ad verbum elegantissime translata. Vid. Arat. Dios. 64. Ed.

158. *Deæ convolvat circulus ora.* Vulgo *oras*, perperam.

161. *Major et hæc*, scil. tempestas.

163. *Contemplator item.* Formula Virgilio familiaris. Georg. I, 187: « Contemplator item, quum se nux plurima silvis »; et Noster, v. 494: « Contemplator item, si longo plurima ponto Agmina festinant volucrum ». Ed. — *Seu plenum luminis orbem Cynthia distendit*, etc. Sic omnes. Verum desideratur in priori membro *Quum*, quod patet ex altero *seu quum teres*. Ingeniose igitur conjecit Grotius « Quum Dea » pro « Cynthia ». Dea est Luna, ut Deus supra Sol. Sic supra vs. 158 dixit Avienus: « atque Deæ convolvat circulus ora ».

167. *C. fissa dehiscens.* Vulgo *fessa*.

Induerit qualem procedens ore colorem,
Hanc perpende oculis, illa monitore dierum
Signa tene, ac totum discerne in tempora mensem.
Non unum deprensa diem tibi signa loquuntur,
Nec vulgo in cunctis adsunt præcepta diebus;
Sed quæ signa novo dederit nox tertia motu
Quartave, sustollat medios dum Cynthia vultus,
Durabunt cælo. Medio quæ edixerit ore,
Ignes in plenos, hinc in dispendia rursus
Altera, provisæ signantur tempora Lunæ.
Illa dehinc, donec germani luminis ignis
Accedat Phœbæ, mensis postrema notabunt.
Hoc quod protento vehit ingens mundus inani,
Aera nomen habet; quod spirat cespite tellus,
Nubila dicuntur; cælum super aula Deorum
Axi compactum convolvitur. Hic sua certis
Sunt loca numinibus. Borealis verticis alta
Regia Saturni. Qua siccior annus anhelat
Æstatis rutilus calida stat Jupiter æthra.
Immodicus terram qua desuper ignis adurit,
Gradivo incolitur. Brumalis pulsus habenas

168. *Induerit qualem.* Vulgo: « Induit, et qualem, etc. » Similia errata frequenter occurrunt.

169. *Hanc perpende oculis, illa monitore dierum. Hanc*, sc. Lunam. Possit etiam melius legi: « Hunc perpende oculis, ipso monitore dierum », ut ad colorem Lunæ referatur. Vulgo « Hinc perpende oculis, ipso, etc. »

173. *Quæ signa novo dederit nox tertia motu Quartave*, etc. Ita interpungendum. Male vulgo: « nox tertia motu, Quartave sustollat. »

180. Hic Avienus rursum facit excursionem. Ut enim ostendat Lunam nubibus esse proximam, singulis planetis suos locos adsignat: sed poetice magis, quam astronomice. Circulo enim Arctico Saturnum, Tropico Cancri Jovem, Æquinoctiali Martem, Tropico Capricorni Venerem, Antarctico circulo Mercurium imponit; quum tamen hi circuli omnibus æque sint communes.

183. *Cælum super aula Deorum Axi compactum convolvitur.* Vulgo: « Axea compactum ».

186. *Rutilus* Buhl. *rutilo.* Ed.

188. *Brumalis pulsus*, i. e. solstiium brumale, ἡ χειμερινὴ τροπή.

Qua Solis redigit, pulchro Venus obnitet astro.
Ast ubi demerso latet ater circulus orbe,
Cessit Mercurio locus imbrifer. Has super amplas
Quinque tenens Zonas certo via fervida Solis
Limite decurrit. Tum Lunam nubila propter,
Exhalantis humi qua spiramenta madescunt,
Ima vehunt cæli. Lux it dum fusa frequenter,
Desuper in nubes rutilantis lampade Lunæ
Pascitur humore, et varias Dea lumine formas
Exprimit incerto; sic crebro denique Phœbe
Nubibus ambiri, quum subsint nubila Lunæ,
Creditur. Hanc quoties includere circulus ergo
Spectatur, proprio succedunt ordine signa:
Ille alias trino convolvit tramite Lunam,
Et geminus plerumque meat; solet unicus idem
Cingere. Si simplex circumversabitur orbis,
Signa procellarum certissima, signa sereni
Præferet; abruptus subito prænuntiat Euros;
Marcescens tenui sensim caligine, et æthra
Digestus patula, docet undis adfore pacem.
Si duo se Lunæ circumfudere, repente
Maxima vis pontum, vis verret maxima terras;

189. *Pulchro Venus obnitet astro.* Vulgo *obtinet.* Aliam lectionem proponit Grotius: « pulchrum Venus obtinet astron ». Sensus eodem redit.

191. *Has super amplas.* Male vulgo *his.* Avienus Soli omnes zonas adscribit.

193. *Limite decurrit. Tum Lunam nubila propter.* Vulgo : « Limite decurrit, quum Lunam nubila propter », male.

195. *Lux it dum fusa frequenter,* ex emendatione Grotii. Vulgo : « luxit dum frustra frequenter ».

197. *Varias Dea lumine formas Exprimit inserto.* Maluit Grotius *inserto* pro vulgato *incerto;* nescio an melius. Ait Avienus, τὴν ἅλων esse οὐ τῶν καθ' ὑπόστασιν, οὐδὲ τῶν μικτῶν, ἀλλὰ τῶν κατ' ἔμφασιν. Nimirum lucem Lunæ in nubes descendentem circulum talem nobis offerre. Græcorum nonnulli ita definiunt: ἅλως ἐστὶν ὑγροῦ τοῦ ἀέρος ὑποκειμένου, καὶ παχέος ὄντος, φαντασία φωτὸς κυκλοειδοῦς περὶ τὴν σελήνην ἢ τὸν ἥλιον συνισταμένου.

202. *Ille alias trino convolvit.* Vulgo : « quum volvit ».

203. *Et geminus plerumque meat.* Vulgo *geminis.*

Majoresque dehinc agitabunt stagna procellæ,
Si trinus rutilum constrinxerit ambitus orbem;
Et magis immodica formidine sæviet Auster,
Zonarum teter fuerit si tractus in æthra,
Denique disrumpant si sese cingula Lunæ,
Ultima tempestas ruet imi gurgitis æstum.
Solis quinetiam, Solis tibi cura videndi
Sit potior, Solem melius prævisa sequuntur,
Astrorumque duci monstrata tenacius hærent:
Sive ille occiduas vergat declivis in undas,
Seu se luciferis reparabilis exserat oris,
Istius ingentes radii, caliginis atrum,
Et nebulosarum tractus piceos tenebrarum
Lumine disjiciunt, quum per chaos umbriferum vis
Flammea pervasit, quum se per noctis amictus
Inserit aeriæ fulgor facis; ille calore
Pigra movet, stimulat rutilis torpentia flammis;
Sol sopita animat, Sol dura obstacula primus
Curru adamanteo reserat pater; efflua Phœbus
Igne inhibet; Phœbus radiis densata relaxat.
At quum flammigeri cedit vis inclyta Solis
Lucis egens, crassæque Deus latet objice nubis,

211, 212. *Majoresque dehinc agitabunt stagna procellæ, Si trinus rutilum constrinxerit ambitus orbem.* Male vulgo distinguitur: « Majoresque dehinc agitabunt stagna procellæ. Si trinus rutilum constrinxerit ambitus orbem ».

216. *Ruet imi gurgitis æstum. Ruet* pro *eruet*, ut et alibi.

220. *Sive ille.* Male in editione Grot. *illæ.*

223, 224. *Tractus piceos tenebrarum Lumine disjiciunt.* Vulgo: « Lumine dispiciunt », perperam.

225, 226. *Quum se per noctis amictus Inserit aeriæ fulgor.* Vulgo: « quum semper noctis amictus, etc. » Pro *aeriæ* Grotius maluit *ætheriæ.*

226-228. *Ille calore Pigra movet; stimulat rutilis torpentia flammis; Sol sopita animat*, ex emendatione Grotii. Vulgo corruple: « ille colore Pigra animat, simulat rutilis torpentia flammis Sol sopita animet ».

229. *Reserat pater.* Vulgo *referat*, male.

232. *Crassæque Deus latet objice nubis. Objicem* dixit Avienus pro obstaculo, ut supra v. 99: « objice mundus ».

Et cælo et pelago magnos ait adfore motus.
Non hic, quum primos educet gurgite vultus,
Ceu picturato diversos ore colores,
Proferat; haud etenim, tali tibi Sole revecto,
Mitia jam cæli fas exspectare serena.
Et si tranquillo convexa cucurrerit astro,
Indideritque facem ponto Deus integer, atra
Nube carens, purusque coma, et splendidus orbe,
Convenit Eoæ faciem præsumere lucis.
Sed non ora cavo similis, medioque recedens
Ore quasi; vel si radios discingitur ultro,
Figat ut australem porrecto sidere partem,
Ac Borean rigidi jaculetur luminis igne,
Et vento et pluviis reparata luce carebit.
 Denique per flammas procul atque incendia Solis
Ipsa Dei cedunt blandi si lumina, solers
Tende oculos, certa hoc ducentur signa magistro.
Et ne sanguineus late rubor induat ora,
Quali pro tractu vaga nubila sæpe rubescunt;
Aut ne labentem piceus color abdat amictu
Lampada, quære diu. Si retro crassior orbe est,
Uvescet pluviis tellus, inflataque celsas
Aggere devicto superabunt flumina ripas.
Ignea si fulgor præcurrit plurimus ora,

238. *Et si tranquillo convexa cucurrerit astro. Convexa currere*, h. e. cælum. Sæpe Avienus convexa vocat cælum. *Currere cælum* alibi quoque dixit, ut Græci τρέχειν τὸ στάδιον. Pro *a..ro* nunc vulgo legitur *Austr..*.

242, 243. *Sed non ora cavo similis, medioque recedens Ore quasi.* Ita voluit Grotius. Vulgo: « Sed non ora cavo similis medioque recedens Orbe, quasi vel». Comparationis notam postposuit Avienus, ut Græcus poeta λύκοι ὥς.

245. *Ac Borean rigidi jaculetur luminis igne.* Vulgo: « Aut Boreæ ».

246. *Reparata luce carebit.* Vulgo: « reparata in luce ».

247. *Per flammas procul atque incendia solis Ipsa Dei cedunt.* Sic interpungendum. Male vulgo post *incendia* comma positum.

252. *Aut ne labentem piceus color abdat.* Vulgo *labenti*.

Flamina crebra salis quatient vada, flamina terras
Converrent omnes, et duri flabra Aquilonis
Silvarumque comas et celsa cacumina flectent.
Vis simul amborum si vultum Solis oberret,
Cuncta Noti quatient, imbres procul arva rigabunt.
  Ecce alias primo nascentis Solis in ortu,
Vel quum præcipites pelago Deus inserit ignes,
Ut coeunt radii nebulose; cætera quippe
Pars Hyperioniæ rutilat facis, hæcque comarum
Vis confusa micans mundo sua lumina præstat.
Sic globus ater item liventia nubila cogit,
Nonnumquam crasso nebularum tectus amictu
In convexa redit, tum cælo rursus aperto

257. *Flamina terras.* Sic repono pro *flumina*, quod habet Buhl. Ed.

259. *Silvarumque comas.* Eleganter crines vel comæ adtribuuntur arboribus. Jam supra Avienus, Phæn. vs. 1181: Quum silvæ colla comasque Devotæ tibimet manus impia demolita est». Statius, Silv. IV, 5: «Nunc cuncta veris frondibus annuis Crinitur arbos»; et in Pervig. Ven. «Et nemus comam resolvit de maritis imbribus». Quemadmodum autem silvæ τριχοφυεῖν dicuntur, sic vice versa *crines silvescere.* Arnobius, lib. III: «Capillos imminuant silvescentium crinium velleribus involutos».

261. *Arva rigabunt* ita corrigendum. Omnes et ipse Buhl. *aqua.* Ed.

263. *Pelago Deus inserit ignes.* Possit quis legere *ingerit*, nam *inserit* magis proprie de lumine per ramos aut similia interlucente. Sic in Reposiani concubitu Martis et Veneris, vs. 136: «ramisque inserta tremiscunt Lumina», ut quidem legit codex Leidensis, probante Burmanno, sed resistente Wernsdorfio, cujus notam vide, huj. op. tom. III, p. 338. Virgil. Æn. III, 152: «multo manifesti lumine, qua se Plena per insertas fundebat Luna fenestras»; ubi Servius: «quasi lumine suo Luna inseruerat, ab inserendo, quod se per rimas insereret». Ipse Noster, supra vs. 225: «quum se per noctis amictus Inserit aeriæ fulgor facis». Sed *ingerere ignes pelago* inusitata locutio, quod *ingerere ignes*, ut *fulgura*, *tela*, et similia absolute et sensu alio dicatur. Sic Virgilius, Æn. IX, 763, et XII, 330: «raptas fugientibus ingerit hastas», ejusque imitatione Valerius Flaccus, VI, 230: «Fulmineumque viris proturbans ingerit ensem». Denique possit et tentari *injicit*, quod motum rapidum exprimere videtur, solis videlicet in occasum ruentis. Ed.

264. *Ut coeunt radii nebulose.* Vulgo *nebuloso.*

265, 266. *Hæcque comarum Vis confsa micans.* Vulgo *hicque.*

267. *Sic globus ater.* Vulgo: «Hic globus ater».

Quum ruit, opposita vultum caligine condit:
Omnibus his signis in terram defluit imber
Plurimus. Interdum tenuis prævertere nubes
Visa Deum. Hæc celeri si præsurrexerit ortu,
Ipseque pone sequens radiorum luce carere
Cernatur, nimbis ingentibus arva madebunt.
At matutini si Phœbum litoris acta
Majorem solito produxerit, atque per æthram
Marcenti similis defluxerit extimus orbis,
Alta dehinc scandens minuat jubar igniferum Sol,
Pura serena aderunt; namque olli gurgitis aer
Crassior in modicum surgens diffuderit orbem;
Et jam se tenero sustollens tramite cæli
Oblitum justi jubar adtrahit. Hic quoque magnis
Quum madefacta dies sub tempestatibus horret,
Pallidus ora cadens, promittit pura serena;
Displosis etenim per apertam nubibus æthram
Ora laboranti similis languentia pallet;
Et disjectarum moles late nebularum
Indicat exsuti faciem clarescere mundi.
Quin nascente die venturos convenit imbres
Noscere, quum proni procul ad confinia cæli
Deferri piceo spectaris nubila tractu:
Et quum declinant radii se partem in utramque,
Lucis in occasu, nox ut ferat algida rores,
Imber erit. Puras si Phœbus condat habenas,

273. *Hæc celeri si præsurrexerit ortu*, ex Grotii emendatione. Vulgo: « hæc celeris si præsurrexerit ortum ».

276, 277. *At mat. si Phœbum litoris acta Majorem solito produxerit. Acta* h. l. est ἀκτὴ, casu nominativo. Male itaque vulgo legitur: « Phœbum in litoris acta ».

281. *Diffuderit*. Buhl. *diffud erat*, et vs. seq. *sustollent*, utrumque male. Ed.

283, 284. *Adtrahit. Hic quoque magnis Quum madefacta dies*, etc. Ita rescripsit et interpunxit Grot. Vulgo: « adtrahit, hic quoque magnis Quum madefacta die sub tempestatibus. horret Pallidus hora cadens promittet pura serena ».

295. *Si Phœbus condat habenas*

Et Calpetano tranquillum gurgite lumen
Tingat, ac in lapsu nubes ignita sequatur,
Noxque diesque dehinc venturi rursus Eoi
Nimborum expertes sine tempestatibus atris
Durabunt. Sed quum radiis marcentibus ardor
Languet, et in tenui tenduntur acumine frustra
Phœbei crines, nimbos aget atra procella.
Talis et obducti cernetur forma diei,
Qualem fraternos subtexens Luna iugales
Lucem hebetat; subit hæc superi sacra summa Solis
Inferior, mediæque interstans lampadis orbe
Arcet flammigeræ radium facis; haud tibi rursum,
Quum matutinos molitur Lucifer ortus,
Ebria sanguineæ subvolvant vellera nubes.
Namque gravis cælo fundetur protinus imber.
  Nec si Sole procul rutila inter stagna morante
Emineant radii, radios quoque crassior umbra
Contegat, ille dies pluviis ventoque carebit.
Quin erit imber item, si Solem circulus ater
Ambiat exortum; major se denique nimbus
Urgebit cælo, major sola perluet imber,
Circumfusa adeo si cingula nescia solvi
Servarent tetræ speciem torpentia molis.
  Sæpe etiam Phœbo nubes percussa rubescit,
Atque imitata Dei formam, procul igne recepto

Legendum est *condat;* nam sequitur *Tingat.* Vulgo *condit.*

299, 300 *Nimborum expertes sine tempestatibus atris Durabunt.* Vulgo: « Nimborum expertes et tempestatibus atris ». — Sic Buhl. in notis. Nescio tamen cur in textu det « Nimborum expertes et tempestatum atrarum ». Ed.

307. *Haud tibi rursum.* Vulgo *aut,* perperam.

311, 312. *Nec si Sole procul rutila inter stagna morante Emineant radii.* Ita supra quoque Avienus Oceanum vocat. Virgil. Æn. I, 125: « Emissamque hiemem sensit Neptunus, et imis Stagna refusa vadis ».

320. *Atque imitata Dei formam.* Sic legendum conjecit Grotius. Vulgo: « Et meditata Dei formam », i. e. amplexa; quæ lectio non est plane rejicienda, quum Græci quo-

Concipit effigiem, simulato luminis orbe.
Id qua parte poli spectaveris, adfore ab ipsa
Parte tene ventos; tamen hæc, tamen omnia semper
Decedente die melius ventura docebunt.
  Convenit hic etiam parvum Præsepe notare;
Id nubi nomen, quæ Cancro obvolvitur alto,
Græcia docta dedit; duo propter denique Asellos
Suspice, quorum alius Septem vicina trioni
Astra adolet, tepidum procul alter spectat in Austrum.
In medio quod nube quasi concrescit adacta,
Id Præsepe vocant. Porro hoc Præsepe repente
Si sese ex oculis procul auferat, ardeat autem
Congruus aerii late rubor ignis Asellis,
Nequaquam tenues agitabunt stagna procellæ.
At si sideribus similis lux duret, et illi
Tetra sit effigies, cadet altis nubibus imber
Lenior, et parco mox tellus rore madebit.
Sed Boreæ si parte trucis velut indiga justæ
Stella facis lento marcescere cernitur igne,
Et procul alterius juba late flagrat Aselli,
Protinus Æthiopum surget convallibus Auster.
At regione Noti si lucens stella senescat,
Ingens Riphæis Aquilo crepitabit ab oris.
  Quin et terrenis cape rebus certa frequenter
Signa procellarum; nam quum traxere tumorem
Æquora prolixum, quum litora curva resultant

que usurpent eodem sensu μελιτᾶν, doctior tamen, quam ut ab Avieno exspectetur.

326, 327. *Id nubi nomen, quæ Cancro obvolvitur alto, Græcia docta dedit.* Male vulgo post *alto* interpungitur; jungenda hæc sunt.

332, 333. *Si sese ex oculis procul auferat, ardeat autem Congruus aerii late rubor ignis Asellis.* Vulgo: «procul auferet» et «aeriis», ita ut ad *Asellis*, non ad *ignis*, referatur.

341. *Protinus Æthiopum surgit convallibus Auster.* Dubitat Grotius, an recte Avienus Austrum ex Æthiopia deducat; nam Æthiopes sunt in plaga orientali et occidentali; non in meridionali.

342, 343. *At regione Noti si lucens stella senescat Ingens Riphæis*

Sponte procul, neque cæruleus colliditur æstus,
Aut quum proceris vertex in montibus ultro
Perstrepit aerium, ventos instare docebunt.
Et quum parva fulix trepido petit arva volatu,
Stagna sinens, longasque iterat clangore querelas,
Indicat insanis freta mox canescere ventis.
Denique quum cælo tenduntur pura serena,
Sævitura polo sunt flamina, primus in ipsa
Mox picturati convertit pectoris artus
Sturnus edax, premat ut tenues vis obvia plumas,
Et ne post tergum pateat penetrabilis Euro.
Latipedemque anatem cernes excedere ponto
Sæpius, et summa nebulam se tendere rupe;
Jamque super latices florum volitare senectam,
Stellarumque comas rumpi procul æthere celso,
Decidere in terras, rutilarum spargere crines
Flammarum, et longos a tergo ducere tractus:
Inde etiam ventos mox adfore præmonet usus.
Quod si diversis se passim partibus ignes
Excutiant, verret pelagus sine fine modoque
Turba procellarum, si duri limite ab Euri,
Si regione Noti, si lenis parte Favoni,
Aut de Bistonio mundi procul axe coruscat.
Si repetunt veterem ranæ per stagna querelam;
Vellera si cælo volitent; si discolor Iris
Demittat gemino se fornice; circulus albam
Si stellam teter velut ambiat; æquora propter

Aquilo crepitabit ab oris, ex emendatione Grotii. Recte Avienus Scythiæ Borean adscribit, idque usitatum. Vulgo: « lucem stella..... Signis Riphæis », sine sensu.

355. *Picturati convertit pectoris artus*. Vulgo *converrit*.

370. *Si repetunt veterem ranæ per stagna querelam*. Imitatur Avienus Virg. Georg. I, 378: « Et veterem in limo ranæ cecinere querelam ». Adludere autem uterque poeta videtur ad fabulam, quæ apud Ovidium, Met. VI, 316, de rusticis a Latona in ranas mutatis narratur. Confer tamen Heyn. ad Virg. l. l.

Si crepitent volucres, si gurgite sæpius alto
Pectora mersentur; si crebro garrula hirundo
Stagna adeat; rutilæ quum sunt primordia lucis,
Si matutinas ululæ dant carmine voces;
Improba si cornix caput altis inserit undis,
Flumine terga rigans, si sævit gutture rauco,
Plurimus abruptis fundetur nubibus imber.

Imber erit, totis quum bucula naribus auras
Concipit, et late pluviis sola cuncta madebunt,
Quum proprias solers sedes formica relinquens,
Ova cavis effert penetralibus, aspera quippe
Tempestas, gelidusque dies, et frigidus æther,
Inserit internis terrarum. Redditur æstus,
Pectora quum curvo purgat gallinula rostro;
Agmine quum denso circumvolitare videtur
Graculus, et tenui quum stridunt gutture corvi;
Quum procera salum repetit clangore frequenti
Ardea; quum parvæ defigunt spicula muscæ;
Et si nocturnis ardentibus undique testis
Concrescant fungi; si flammis emicet ignis
Effluus, aut lucis substantia langueat ultro,
Convenit instantes prænoscere protinus imbres.
Denique quum patulum torrens Vulcanus ahenum
Scintillas flamma circumlabente relinquit;
Si Notus humentes Libyco trahit æthere nubes,
Sive imum ad montem nebularum crassus amictus

376. *Rutilæ quum sunt primordia lucis*. Vulgo *sint*.

386-388. Male hæc in vulgatis sic distinguuntur: *Inserit internis terrarum redditus æstus. Pectora quum curvo purgat gallinula rostro. Agmine quum denso*, etc. Ita vero, ut damus, interpungendum. Monendi vero sunt lectores, Avienum hic multa Aratea, ut et alibi, omisisse.

392, 393. *Et si... concrescant fungi*. Sequitur: « emicet ignis ... luci substantia langueat ». Vulgo *concrescunt*. — Sed utramque formam adfectat Avienus. Vid. v. 370 ad 380. Ed.

397. *Scintillas flamma circumlabente relinquit*. Vulgo *reliquit*.

399. *Sive imum ad montem nebularum crassus amictus Tendatur*,

Tendatur, summo nudentur vertice saxa;
Et qua pontus item freta per distenta quiescit,
Nubila si longo se procumbentia tractu
Diffunduut cælo, Thetidi terrisque supinis
Pax aderit, nusquam mundo ruet effluus imber.
Sed quum tranquillo tenduntur crassa serena
Sub Jove, venturæ prænoscere signa procellæ
Convenit; et rursum quum perfurit aeris horror,
Inspice quam referant terris pelagoque quietem.
Inter prima tamen parvum Præsepe notatur,
Arduus excelso quod Cancer cardine volvit.
Hoc quum concretus tenuari cœperit aer,
Discutit impositæ late sibi molis amictum.
Namque sereniferi patet hoc in flabra Aquilonis
Cominus, et primo purgatur flamine venti
Tempore, tum proprium modulatur noctua carmen,
Tum vespertinum cornix longæva resultat;
Tum corvi crepitant, et ovantes gutture rauco
Agmina crebra vocant, tum nota cubilia læti
Succedunt pariter, tum pennis corpora plaudunt.
Tunc et Strymonias circumvolitare repente
Suspicies per aperta grues, ubi mitior annus

ex emendatione Grotii, quam esse verissimam docent sequentia : « summo nudentur vertice saxa ». Vulgo : « Si nimium ad montem, etc. »

403. *Diffundunt cælo, Thetidi terrisque supina Pax aderit.* Pax supina, græce ὕπτιος, i. e. quieta, ἄπρακτος. Vulgo *et Thetidi* (quæ copula utique delenda est) *terrisque supinis.* Lectio *supinis* potest tolerari, et forsitan Grotianæ præferenda est. — Ideo nihil muto. Ed.

413-415. *Namque sereniferi patet hoc in flabra Aquilonis Cominus, et primo purgatur flamine venti Tempore.* Male vulgo distinguitur : « Namque sereniferi patet hoc in flabra Aquilonis, Quum minus et primo purgatur flamine venti Tempore ».

415. *Tum proprium modulatur noctua carmen.* Vulgo *tum propior.* In MSto Germanici Grot., in quo pauci aliquot Avieni versus leguntur hinc et inde consarcinati, legitur *proprio.* Reponendum est *proprium*, ut ad *carmen* referatur.

417. *Tum corvi crepitant, et ovantes gutture rauco.* Ita melius in Msto. Vulgo *ovantia.* — Non male con-

Sponte procellosum disjecerit aera cælo.
Tunc quoque quum stellis hebes est lux omnibus ultro,
Nubila nec crassos circumduxere meatus,
Ut jubar occulerent flagrantibus obvia flammis;
Nec caligo inhibet rutilantis lampados ignes,
Orbe nec expleto sacra sidera Luna retundit;
Sed jam sponte sua stellarum lumina marcent:
Convenit hibernæ prænoscere signa procellæ.
Nubila si cælo consistere, nubila ferri
Sique superfundi sibimet suspexeris, ultro
Gramina si carpit semesa petacius anser;
Si nocturna tibi cornix canit, hesperus æthræ
Quum redit; innumero si cantu graculus instat;
Si matutino fringuilla resultat ab ore;
Si fugiunt volucres raptim freta turbida Nerei,
Orchilos infestus si floricomis hymenæis
Ima petit terræ; si denique parvus Eritheus
Succedit trepidus scruposæ concava rupis;
Cecropias si pastus apes vicinus ad ipsa
Castra inhibet, florumque simul libamina mœstæ
Proxima decerpunt; si Threiciæ per aperta

jici posset, hic quoque pro *crepitant* scribendum *crocitant*. Nempe in Glossar. Leid. « Corvi crocciunt, *vel* croccant », ubi Burmannus et Wernsd. lege *crocitant*. Plautus de corvo, Aulul. IV, 3, 2, verbum *crocire* usurpavit. Apud Papiam et in Salemonis Glossar. « Corvos craxare vel crocitare ». Ed.

422. *Procellosum disjecerit aera cælo*. Ita MS. Vulgo *cæli*, minus bene.

427. *Orbe nec expleto sacra sidera Luna retundit*, ex Msto. Supra: « aciem quibus aurea Luna retundit ». Vulgo *recondit*.

430-432. *Nubila ferri Sique superfundi sibimet suspexeris, ultro Gramina si carpit semesa petacius anser.* Ordo verborum est: Si nubila ferri, superfundique sibimet suspexeris. Recte MS *si que* pro *si qua* in vulgatis. Non bene etiam in bis distinguitur: « Si qua superfundi sibimet suspexeris ultro: Gramina si carpit ». — *Petacius*, i. e. avidius, vox obsoleta. Ed.

435. *Si matutino fringilla resultat ab ore*. Est locutio Avieno solemnis « resultat ab ore » pro « resultat ore ».

438, 439. *Ima petit terræ; si denique parvus Eritheus Succedit trepidus scruposæ concava rupis*. Male

Sponte grues trepidant, nec sese audacibus æthræ
Committunt pennis, ut longos sæpe volatus
Formavere super; si solvit aranea casses,
Tenuia si toto vehit Auster licia cælo,
Mox tempestates, et nubila tetra cientur.
Quid? majora canam: cinis en, cinis ipse repente
Quum coit, albenti nix terras vestit amictu.
Nix operit terras, rutilis ubi lumina prunis
Summa rubent, errantque brevi caligine crassæ
Interius nebulæ, et denso jam fomes in igni
Marcescit penitus. Pluvios mox arguet Austros,
Induit immodicis quum semet floribus ilex
[Indiga nam succi ligno natura rigenti est]:
Et quum flore novo, quum brachia glande gravantur
Uventis cæli sibi nutrimenta latenter
Sponte parata docet. Quin et lentiscus amara
Indicium est pluviis. Ter fetum concipit arbos;
Terque novos genitrix fructus alit; ipsaque trino
Flore renidescens tria tempora prodit arandi.
Ter prorumpentis scillæ teres erigitur flos,
Sulcandique solum ter monstrat tempus adesse.
Sic et crabronum rauca agmina si volitare
Fine sub autumni conspexeris æthere longo,
Jam vespertinus primo quum commovet ortus
Vergilias pelago, dices instare procellas.

vulgo: «Ima petit; terræ si denique parvus Eritheus Succedit trepidæ scruposæ concava rupis».

443-445. *Nec sese audacibus æthræ Committunt pennis, ut longos sæpe volatus Formavere super.* Vulgo: «nec sese audacius æthræ Committunt, pinnis ut longos sæpe volatus Formavere super».

448. *Quid? majora canam? Cinis en, cinis ipse repente.* Ita dedit Grotius. Vulgo versus legitur mutilus: «Quid? majora canam: cinis cinis ipse repente».

451, 452. *Errantque brevi caligine crassæ Interius nebulæ.* Vulgo *crassa.*

457, 458. *Uventis cæli sibi nutrimenta latenter Sponte parata docet.* Ita legendum mihi videtur. Vulgo: «Uventis cæli sub nutrimenta latenter Sponte operata docet»: quam quidem vulgatam lectionem Gro-

Sique sues lentæ, si lanæ sedula nutrix,
Si capra dumosis errans in saltibus, ultro
In venerem pergat (quippe ollis uvidus aer
Excitat internum per viscera mota furorem),
Et tempestates et nubila protinus atra
Adfore præcipies. Quin et gaudebit arator,
Quique solum justis versabit mensibus anni,
Plebe gruum prima; gaudebit tardus arator
Agmine pigrarum: sic quadam lege Deorum
His comes est imber. Pecudes si denique terram
Lanigeræ fodiant, caput at tendatur in Arcton,
Quum madidus nondum per marmora turbida condit
Pleiadas occasus, quum brumæ in frigora cedit
Frugifer autumnus, ruet æthra concitus imber.
At ne perruptis terrarum dorsa lacunis
Infodiant pecudes; si vasto viscera hiatu
Discutiant terræ, veniet vis æthere toto
Dira procellarum; nix omnes vestiet agros;
Nix herbas lædet teneras, nix uret aristas.
At si contigerit plures ardere cometas,
Invalidas segetes torrebit siccior aer.
Namque prorumpunt naturæ legibus ultro
Spiramenta soli, si justus defuit humor,
Arida per cælum surgentia desuper æthræ
Ignescunt flammis, mundique impulsa calore

tius sic interpretatur: *Sponte* et *ultro* et multa alia Avieno πλεονάζουσι. *Operata docet* est græca phrasis. Ita Virgilius: « sensit medios delapsus in hostes ». — Sed nostra lectio clarior videtur: Sponte docet nutrimenta cæli uventis, sc. pluvias imminentes, parata sibi esse latenter. Ed.

470. *Quippe ollis uvidus aer Excitat internum per viscera mota furorem.* Hæc parenthesis non ab Avieno profecta, sed a Grotio addita est; quare etiam numerus versuum textus Avieni in aliis editionibus non cum Grotiano convenit.

478. *Caput at tendatur in Arcton.* Vulgo *caput aut.*

479, 480. *Quum madidus nondum per marmora turbida condit Pleiadas occasus.* Supplevit versum Grotius; vulgo enim legitur mutilus, omisso *nondum*.

Excutiunt stellas, et crebro crine rubescunt.
Contemplator item, si longo plurima ponto
Agmina festinant volucrum, solidamque frequentes
Succedunt terram, sterilis desæviet æstus,
Ac sitient agri; nam qua circumflua tellus
Adluitur pelago, coquit altam siccior aer
Cespitis arentis ventis, citiusque calorem
Sentit humus succincta salo; fuga protinus ergo
Est avium in terras; pavet hos ut viderit æstus
Agricola, et sicco jam deflct mergite culmos.
Sed si tum modicum producant agmen ab undis,
Nec trepido passim versent convexa volatu,
Lætitia est duris pastoribus; adfore parcos
Præsumunt imbres. Sic in contraria semper
Vota homines agimur, nostrique cupidine fructus
Poscimus alterius dispendia. Denique et ipsa
Solers natura, et rerum genitabilis ordo,
Certa suis studiis adfixit signa futuri.
Namque et ovis cupido si gramina tondeat ore
Insaturata cibi, decerpens lætius agros,
Pastor id indicium pluvialis frigoris edet.
Et si persultans aries lascivius herbas

495, 496. *Solidamque frequentes Succedunt terram.* Solidam vocat Avienus terram continentem, τὴν ἤπειρον.

499, 500. *Citiusque calorem Sentit humus succincta salo*, ex Plutarchi opinione, qui ait, ξηροτέρας τὰς νήσους τῶν ἠπείρων τυγχάνειν· forte ideo, quia insulæ sublimiores esse solent. Unde dixit Avienus: « coquit altam siccior aer ».

502. *Sicco jam deflct mergite culmos.* Sic Avienus Phæn. v. 398: « Tunc succisa Ceres strati cum mergito culmi ».

503, 504. *Sed si tum modicum producant agmen ab undis Nec trepido passim versent Convexa volatu.* Vulgo: « modico producant agmina..... versant ». — Ego minore mutatione vellem *modico producunt agmine* pro *sese producunt*, quod solet Noster. Ed.

505, 506. *Lætitia est duris pastoribus, adfore parcos Præsumunt imbres.* Non cepit hic Avienus Arati mentem. Conf. Diosem. vs. 362 sq.

512. *Decerpens lætius agros.* Sic melius, quia Aratus lusum exprimit. Vulgo: « decerpens latius ».

Adpetat, aut sese sustollant saltibus hœdi;
Vel si juge gregi cupiant hærere, nec usquam
Matribus abscedant, et si sine fine modoque
Pabula delibent, quum tutas vesper adire
Compellat caulas, monstrabunt adfore nimbos.
Bubus arator item trahit atræ signa procellæ,
Lambere si lingua prima hos vestigia forte
Viderit, aut dextrum prosternere corpus in armum;
Vel si prolixis auras mugitibus implent,
Pascua linquentes vix vespere. Dat capra moti
Rursum signa poli, quum spinis ilicis atræ
Multa inhiat. Docet hæc eadem sus horrida cœno,
Gurgitis illuvie si sæpius involvatur.
Martius ipse lupus villarum proxima oberrans,
Adfectansque locos hominum, lectumque laremque
Sponte petens, crasso consurgere nubila cælo
Præmonet. Id parvi commonstrant denique mures,
Quum gestire solo, quum ludere forte videntur.
Protendit tibimet canis id præsentia, multam
Tellurem fodiens. Tamen hæc, tamen omina rerum
Adfore vel primo nimbos mox sole docebunt,
Vel quum curriculis lux ibit cœpta secundis,
Tertius aut verso quum venerit ortus Olympo.
Non spernenda tibi sunt talia, sed memor uni
Adde aliud semper; si tertia denique signa
Proveniant, firmo venturum pectore fare;

516. *Vel si juge gregi cupiant hærere.* Avienus, Phæn. 1306: « manus olli quippe sinistra Juge manet ». Plautus dixit *Jugiter.*

526. *Docet hæc eadem sus horrida cœno, Gurgitis illuvie si sæpius involvatur.* Male vulgo distinctum: « sus horrida, cœno Gurgitis illuvie si sæpius, etc. »

531. *Id parvi commonstrant denique mures.* Vulgo: « id parvi quum stringunt ». Alia est Grotii conjectura: « id parvi quum strident ». Sed scriptum olim fuit *comnnstrant.* Postea literæ, quæ deesse videbantur, injectæ; hinc enata vulgaris lectio.

534. *Tamen hæc, tamen omina*

Et transactorum solers componere mensum
Signa laborabis, si confluxere reperta.
Nequaquam trepidare pudor persuadeat nllus.
Astrorum lapsus, astrorum protinus ortus
Discute, si casus similes ea stella per æthram
Prodidit: exacti jam summa crepuscula mensis,
Et surgentis item primordia, conscius artis
Fare sacræ. Mensum confinia summa duorum
Cæca latent; luces hæc semper semet in octo
Inscia lunaris tendunt facis; ipse fideli
Perquire studio; et si quid tibi forte repertum,
Pluribus indiciis solers fulcire memento.

rerum. Frequens Avieno hujusmodi repetitio. Vid. supra v. 323 et 448. Ed.—*Omina rerum* sunt προγνώσεις πραγμάτων.

541. *Mensum* pro *mensium*, ut infra vs. 548; vel scribe *mensium*, ut sit versus dactylicus. Ed.


542. *Si confluxere reperta.* Vulgo: « si sic fluxere reperta ». Error ex repetitis literis natus.

543. *Pudor persuadeat ullus.* Vulgo *ullos.*

545. *Si casus similes ea stella.* Vulgo *et stella.* Non recte hoc loco Avienus intellexit Aratum. Nam posterior non dicit, ex signorum concordia terminos mensium judicandos; sed, terminos quoque observandos esse. Decepit Avienum vox ambigna φράζεσθαι.

551. *Perquire studio.* Ita iu Msto, recte; nam sequitur *memento.* Græco autem more, quem plerumque sequitur Avienus, produxit brevem in fine vocis ob sequentes consonas. Vulgo: « Perquires studio ».





ASTRONOMICA VETERA

EPIGRAMMATA

ASTRONOMICA VETERA

EPIGRAMMATA*.

I. DE SIGNIS CÆLESTIBUS.

PRIMUS adest Aries obscuro lumine labens,
Inflexique genu projecto corpore Taurus,
Et Gemini clarum jactantes lucibus ignem.
Æstifer est pandens ferventia sidera Cancri,
Hunc subter fulgens cædit vis torva Leonis,
Quem rutilo sequitur conlucens corpore Virgo,
Exin projectæ claro cum lumine Chelæ,
Ipsaque consequitur lucens vis magna Nepai,
Inde Sagittipotens dextra flexum tenet arcum,
Post hunc cornifero Capricornus sidere pergit.

* Hoc et sequentia epigrammata, ex Anthol. Lat. Burmanni sec. excerpta, Arateis Avieni subjici digna visa sunt. Exstant Anth. lib. V, ep. 40 et seqq. Ed.

2. *Inflexique genu. Genus* in margine codicis sui notaverat Heins. Vellem *Inflexoque genu projectus. O* in *us* sæpe mutandum ob veterem abbreviationem. *Corpore* tunc emendandum *corpora*. Avien. Phænom. 424, de Tauro: « flexo jacet illic crure ». Burm. vult *Inflexusque genu*, non male. Ed.

4. *Æstifer*. Silius quoque Ital. I, 194, *Cancrum æstiferum* vocavit, ut bene vindicavit Drakenb. pro *Pestifero*. Stat. Theb. IV, 693: « Æstifer Erigones spumat canis ». Ed.

5. *Cædit vis torva*. Posset legi *cedit:* Heinsius conjecerat *se dat:* Burm. cum Schrad. præfert *sævit:* durum ob sequens *vis*. Ed.

7. *Exin projectæ*. Chelæ *projectæ*, ut supra taurus, i. e. externæ, quam significationem illustrat Heins. ad Virg. X, 587.

8. *Vis magna Nepai*. In codice Leid. *vis maxima Libræ:* sed Nepa scorpius est. Vide notas ad Columell. X, 57, tom. sept. et ultimo hujus operis. Ed.

10. *Vada repergit*. Absurdissima lectio, pro qua in operibus Bedæ

Humidus inde locum conlucet Aquarius urbem,
Exin squammiferi serpentes ludere Pisces.

editum est *lumine pergit:* Heinsins conjecerat *sidere pergit*, cui Burm. adsentit. Ego, si fas esset post tales viros, darem *vertice*. Ed.

11. *Humidus inde locum.* Melius apud Bedam: « Humidus at lato collucet Aquarius orbe ». Heinsius: « inde loci cunlucet Aquarius urna ». Quid si legatur *Humidus hinc longos collucet Aquarius artus*. Sic enim Avienus, Phænom. 448: « Ipse dehinc longos insignis Aquarius artus ». Ultimos duo versus sic Burm. refingit: « Humidus urceolo conlucet Aquarius, orbem Exin flammigerum supremi cludere Pisces ». Ed. — *Exin squammiferi.* Heinsius *flammifero vergentes sidere;* sed *squammifero* non mutandum. Forte *squammifero surgentes sidere*. Ed.

II. MAXIMIANI DE IISDEM.

Nubigenæ juvenis vector, Taurique trucis frons,
Et proles duplex Jovis, et Nepa torrida flammis.
Æstifer inde Leo justa cum Virgine fulgens.
Quam sequitur Libra, et violenta cuspide sævus.
Semifer Arcitenens subit et Capricornus aquosus,
Et cui nomen aquæ faciunt, Piscesque gemelli.

1. *Nubigenæ juvenis.* Phrixus intelligitur. Columell. X, 155: « Mox ubi nubigenæ Phrixi ». German. in Arat. Phæn. vs. 527: « Nobilis hic aries aurato vellere, quondam Qui tulit in Tauros Phrixum », ubi per Tauros intellige Pontum. Ed.

3. *Æstifer*, cod. Pet. *Astrifer;* sed vid. not. præced. epigr. v. 4. Ed.

6. *Semifer Arcitenens.* Legendum *Semivir*, et Chiron qui *arcitenens* est, etiam *semivir* dicitur Ovidio, Fast. V, 380: « prodet sua sidera Chiron Semivir, et flavi corpore mixtus equi ». Apud Statium, Silv. II, 1, 89: « Semifer Æmonium vincebat Pelea Chiron ». Apud Ovid. Ep. IX, 141: « semivir occubuit in letifero Eveno Nessus », ubi Nessus centaurus biformis recte *semivir* dicitur. Merito dubitare licet an *semifer* a *ferus* pro equo, proba latinitate sit, pro *semiferus*, quum adjectiva illa in *fer* desinentia, *letifer*, *mortifer*, *salutifer*, et sim. a verbo *ferre*, non a *ferus*, deriventur. Errat Oudendorpius, qui semiferos dici centauros vult, quia semiviri dicuntur Eunuchi: quum tamen semivir etiam de Minotauro apud Ovid. Art. Am. II, 24: « Semibovemque virum, semivirumque bovem ». Ed.

III. Q. CICERONIS DE XII SIGNIS*.

Flumina verna cient obscuro lumine Pisces;
Curriculumque Aries æquat noctisque diique:
Cornua quem comunt florum prænuntia Tauri;
Aridaque æstatis Gemini primordia pandunt;
Longaque jam minuit præclarus lumina Cancer;
Languificusque Leo proflat ferus ore calores.
Post modicum quatiens Virgo fugat orta vaporem.
Autumni reserat portas, æquatque diurna
Tempora nocturnis dispenso sidere Libra;
Et fetos ramos denudat flamma Nepai.
Pigra Sagittipotens jaculatur frigora terris:
Bruma gelu glacians jubare spirat Capricorni.

* Hos versus se in Lugdunensi libro isutum legisse adserit Burm. Certe constat M. T. Ciceronem, multa conscripsisse carmina quæ interciderunt, sed Q. ejus fratrem in poetica fuisse versatum, ex his tantum versibus adparet, qui hactenus Ausonio false adscripti erant. Ed.

2. *Diique.* Male in exemplari *dieia*. *Dieque* legebat Heinsius, sed Ausonius in Eclogario, de Ratione dierum, vs. 7: « æquatæ tempora noctis atque dii », ubi vide Tollii notas. Ed.

3. *Comunt.* Scaliger vult *condunt*, quia Aries veniente Tauro conditur. Ed.

5. *Præc. lumina Cancer.* N. Heinsius margini ed. Tornæs. Ausonii legendum scripsit *prolatus* vel *prævarus*, et de varis Cancri brachiis intellexit. Ed.

6. *Languificusque.* *Languificos* Heinsius et Pithœus, bene. Ed.

7. *Post modicum quatiens.* *Modicum* quid hic sit, non videt Vinetus, et melius convenire putat *modium* vel *spicum*. Virginem quippe cælestem nonnulli Cererem, frugum Deam, esse existimarunt. Eadem Virgo in summa sinistra manu habet stellam claram, quæ Στάχυς, hoc est, *spica*, cognominatur. *Spicum* neutro genere Veteres quoque dixisse quondam Nonius Marcellus scripsit. Ed.

9. *Dispenso sidere.* Emendandum *dispensam*, ex noto illo Virgilii: « Libra dii somnique pares ubi fecerit horas ». Ed.

10. *Et fetos.* Tullius malit *Effetos*, namque jam decerpti sunt vel deciderunt; certe qui viribus careant ad alenda folia. Ed.

12. *Bruma gelu glacians.* Scaliger legit *spirans*: sed sic versus non mendo vacat. Optime Heinsius: « Bruma gelu glaciante jubar spirat Capricorni ». Denique Janus Hel-

Quam sequitur nebulas rorans liquor altus Aquarî,
Tanta supra circaque vigent ubi flumina! Mundi
At dextra lævaque ciet rota fulgida Solis
Mobile curriculum; et Lunæ simulacra feruntur.
Squamma sub æterno conspectu torta Draconis
Eminet: hunc inter fulgentem sidera septem
Magna quatit stellans: quam servans serus in alta
Conditur Oceani ripa cum luce Bootes.

vetius, referente Burmanno: « Bruma Getas glacians jubar exspirat Capricorni ». Ed.

14. *Tanta supra eircaque vigent.* Pacuvius apud Varronem de Ling. Lat. lib. IV: « Hoc vide circum supraque, quod complexa continet terra ». Heins. emendabat « *circaque.* vigent hunc flumina »; hunc, nempe Aquarium.

17. *Squamma sub æterno.* Scaliger vult *Arctoo*, Heinsius *alterno* vel *ætherio*. Ed.

18. *Hunc inter fulgentem.* Hæc sic refingenda sunt: « Hunc inter fulgentes æthere septem Magna quatit stellas ». Ed.

20. *Conditur Oceani.* Olim male: « Conditor Oceani ripas cum luce Bootes », corrupte. Ed.

IV. GERMANICI DE PLANETIS ET SIGNIS ZODIACI.

Una via est Solis bissenis lucida signis;
Hac rapitur Phœbe, per idem Cythereius ignis
Fertur iter, per idem cristatus vertice Mavors,
Mercuriusque celer, regno cæloque verendus
Jupiter, et tristi Saturnus lumine tardus.
Omnibus his gemini motus, quorum alter ab ipsis
Nascitur, et proprios ostendit sidere nisus,
(Tunc mundum subeunt lento pede) concitus alter

2. In Msto Grotii, unde hoc fragmentum desumptum, his erat *Phœbee* duplici *e* notatum, quæ antiqua est literæ græcæ η apud Latinos scriptura. Habebat idem liber *circumnotat* pro *circumrotat*, et *nam qua anno* pro *namque anno*. Deinde versus, antepenultimum præcedens, ita erat exaratus: « Hoc peragit spatio brevior eitalior orbe ». Item *Contempta* pro *Contenta*, et *Annus* pro *Annuus*, et si quæ similia. Ed.

Invitus rapit, et cæli circumrotat orbem.
Annua Sol medius designat tempora; Phœbe
Menstrua; namque anno Solem remeare videbis,
Moverit unde suos currus per signa volantes.
Hoc peragit spatium breviore citatior orbe
Mensem expleturis Phœbe contenta diebus.
Annuus est Veneri cursus; neque tardior illa
Mercurius, binos Gradivus perficit orbes.

V. DE PLANETIS *.

Sortitos celsi replicant amfractibus orbes,
Vicinum terris circumvolat aurea Luna,
Quam super invehitur Cyllenius, alma superni
Nectareum ridens late splendet Cytherea.
Quadrijugis invectus equis Sol igneus ambit
Quartus et ætherias metas; quem deinde superne
Respicit Omnipotens; sextus Phaethontius ardor
Suscipit excelsum brumali frigore sidus.
Plectricanæ cytharæ septem discriminibus quos
Adsimilans genitor concordi examine junxit.

* Ineditum hoc epigramma ex vet. cod. addiderat Pet. Pithœus exemplari suæ editionis in Biblioth. Paris. et titulum præfixerat Alexandri, aut potius Anaximandri Milesii, ex ejus sphæra, cujus Diogenes Laertius meminit. Conferri meretur hoc epigr. cum alio Græco de septem Planetis in Anthol. Græcæ Mantissa, ep. 2, p. 3, ed. Obsop. quod quia prolixius est, illud tantum adferam ex Hugon. Grotii interpretatione : « Orbis in ætherii texto seplena vagantur Sidera, queis longum pariter convolvitur ævum: Saturni sidus grave, Solis dulce, Dianæ Noctivagum, Veneris fax pronuba, Mars Deus audax, Mercurius volucer, nascendi Jupiter auctor. Divisere homines stellæ quoque, ut omnibus insint. Saturnus, Sol, Luna, Venus, Mars, Jupiter, Arcas. Ætherio nobis namque hæc a semine manant Ortus, vox, lacrymæ, risus, sopor, ira, cupido: Saturnus lacrymæ, Mars ira, Diespiter ortus, Mercurius vox, Luna sopor, Cytherea cupido, Sol risus; nam Sole simul mortalia sæcla, Omnis et immensi lætatur machina mundi ». *Arcas* pro *Mercurio* in his optimis vs. notetur. Ed.

VI. DE TEMPORIBUS ANNI *.

Me legat, annales cupiat qui noscere menses,
Tempora dinumerans ævi, vitæque caducæ;
Omnia tempus agit : cum tempore cuncta trahuntur.
Alternant elementa vices, et tempora mutant.
Accipiunt augmenta dies, noctesque vicissim.
Tempora sunt florum, retinet sua tempora messis.
Sic iterum spisso vestitur gramine campus.
Tempora gaudendi, sunt tempora certa dolendi,
Tempora sunt vitæ, sunt tristia tempora mortis.
Tempus et hora volat : momentis labitur ætas.
Omnia dat, tollit, minuitque volatile tempus;
Ver, æstas, autumnus, hiems, redit annus in annum.

* Carmen hoc et duo sequentia, ex veteri scheda Jacobi Cujacii, produxit Scaliger, Lection. Auson. lib. II, cap. 29. In cod. Leid. titulus erat de Compoto, i. e. computo. Hoc vero carmen Columbanus inseruit suæ ad Sethum Epistolæ II, 61, hoc modo : « Pulchre veridici cecinit sententia vatis, Tempora dinumerans, etc. » Ed.

3. *Tempora sunt florum :* male Scalig. *vicissim Tempora : sed florens.* Ed.

6. Olim *flores* male correxit Scaliger. Ed.

7. *Dolendi.* Sic bene edidit ex cod. Leid. Burmannus, quum Scaliger male dedisset *canendi.* Ed.

11. *Volatile tempus.* Malit Burmannus *volubile tempus*, ut apud Maximian. Eleg. I, v. 103 : « Cuncta trahit secum, vertitque volubile tempus », unde hæc desumpta videntur. Ita apud Ovid. Am. I, 8, 49, et Metam. X, 519, meliores membranæ præferunt « Labitur occulte fallitque volubilis ætas ». Ed.

12. *Ver, æstas, autumnus.* Hic versus paullo immutatus legitur in B. Hieronymo, Comment. in Ezech. unde patet satis antiquos esse hos versus. Ed.

VII. DE XII SIGNIS ADVERSIS IN ZODIACO *.

Exsurgens Chelas Aries demergit in ima,
Scorpion aurati submergunt cornua Tauri,
Dum subit Arcitenens, Geminis surgentibus, æquor.
Dum surgit Cancer, Capricornus mergitur undis.
Portitor urceoli formidat terga Leonis.
Virgo fugat Pisces : redit et victoria victis.

* Hoc exstat in Glossis ad Bedæ librum de Tempor. rat. tom. II, oper. p. 74, ed. Col. Ed.

1. *Exsurgens*. Ed. Colon. *Exoriens*, et vs. 5 *signa Leonis*. Ed.

5. *Portitor urceoli*. Hæc referunt lectionem a Burmanno conjectam ad Ep. I, vs. 11, ubi vide notam. Aquarius sic conspicitur in imaginibus signorum cælestium in Arateorum syntagmate Grotiano et Hygini poetico Astronomico. Ed.

VIII. DE PLANETIS ET EARUM CIRCULIS *.

Bis sex signiferæ numerantur sidera sphæræ,
Per quas planetæ dicuntur currere septem.
Pollucis proles ter denis volvitur annis.
Flumina dispergens duodenas lustrat aristas.
Bellipotens genitor mensem pensare bilibri.
In medio mundi fertur Phaethontia flamma.
Tercentum Soles, bis denos, adde quadrantem :

* Hoc epigr. ex schedis Cujacianis produxit Scalig. sed in vet. eod. Catalectorum Petaviano desiderantur aliquot versus. Ed.

1. *Signiferæ*. Sphæra sic dicitur, quia circulus Zodiacus ab his XII signis passim apud poetas *Signifer* dicitur : vid. Demster. ad Claudian. Ruf. I, 364. Ed.

2. *Planetæ*. *Palantes* Scalig. Ed.

3. *Pollucis proles*. Animadvertendum est Saturnum dictum Pollucis prolem. Quod explicatur a Fulgentio, doctissimo Mythologo, lib. I, cap. 2 : « Pollucis, inquit, filius, sive a *pollendo*, sive a *pollucibilitate*, quam nos humanitatem dicimus. Unde et Plautus in comœdia Epidiei (Mostell. I, 1, 23) ait : *Bibite, pergræcamini pollucibiliter* ». Ed.

4. *Duodenas*. *Duodenis aristis* cod. Petav. et Scalig. in Ausonianis. Ed.

5. *Mensem*. *Mensum* apud Scalig. et *bilibre*. Ed.

Ter senas partes plus his, Cytherea, retorques,
Lustrando totum præclaro lumine mundum.
Terque dies ternos puro de vespere tollens
Sermonis domini completur circulus anni.
Horas octo, dies ternos servato novenos,
Proxima telluri dum curris, candida Phœbe.

11. *Sermonis domini.* Scalig. in margine correxerat *semihominis* Divi, vel Semonis Dii ut in Ausonianis edidit, et per Semonem Mercurium intelligendum ex Fulgentio notavit; quemadmodum Semonem Sancum Sabini coluerunt. De quo numine vid. interpretes ad Ovid. Fast.VI, 214; et Liv.VIII, 20, t. II, p. 475, nost. Ed. Semo autem Mercurius, quia fere in infimis collocatus est; quemadmodum Semones vocabant Deos infimos, majores scilicet hominibus, minores Diis. Ed.

IX. ASTRONOMICA*.

Tu forte in luco lentus vaga carmina gignis,
Argutosque inter latices et musica flabra
Pierio liquidam perfundis nectare mentem:
At nos congeries obnubit turbida rerum,
Ferratæque premunt milleno milite curæ,

* Fulgentio hoc carmen ex conjectura adscriptum dicit Pithœus. Certe vetusta exemplaria Astrologiæ Isidori, nullius auctoris titulum præferunt. Sed in indice editioni Pithœanæ præfixo habetur: Incerti Auctoris de defectu Lunæ, sive Astronomiæ, Fragmentum. Varronis Atacini id esse codici suo adleverat Scriverius. Sed verisimilius putat Burmannus id adtribuendum regi cuidam Flavio Sisebuto, Visigothorum in Hispania regi, de quo testimonia plura colligit. Ed.

1. *Vaga carmina gignis.* Vellet Burmannus *in luco*, vel *lucu sub fago*, ut respiciat hoc ad primam Virgilii Eclogam, *sub tegmine fagi*; sed mera conjectura. Ed.

3. *Pierio liquidam perfundis nectare mentem.* Sic apud Petron. Sat. cap. 5 in fine: « flumine largo Plenus Pierio defundes nectare verba ». Nectar Pierium, ut ros, favus Pierius, mel Cecropium. Apud Saleium Bassum, Paneg. ad Pison. vs. 78: « Quin etiam facilis Romano profluit ore Græcia, Cecropiæque sonat favus æmulus urbi », ut legebat Heinsius contra sententiam Wernsdorfii, quem lege, hujus op. t. III, p. 244. *Pierium laticem* dixit Virg. in Culice, v. 18; sed vid. Var. Lect. nost. Edit. tom. V, p. 20. Ed.

Legicrepi tundunt, latrant fora, classica turbant,
Et trans Oceanum ferimur: porro, usque nivosus
Quum teneat Vasco, nec parcat Cantaber horrens.
En quibus indicas, ut crinem frondea Phœbi
Succingant, hederæve comas augustius umbrent.
En quos flammantem jubeas volitare per æthram.
Quin mage pernices aquilas vis pigra elephantum
Præcurrat, volucremque pigens testudo molossum,
Quam nos rorifluam sectemur carmine Lunam.
Sed tamen, incurvus per pondera terrea nitens,
Dicam cur fesso livescat circulus orbe,
Purpureumque jubar nivei cur tabeat oris.
Non illam, ut populi credunt, nigrantibus antris
Infernas ululans mulier prædira sub umbras
Detrahit altivago e speculo: nec carmine victa

6. *Legicrepi*. Glossariom *legiscrepa*, νομοδίφης. — *Tundunt*. *Obtundunt* correxerat Heinsins. Sic Helium caussidicum *clamantem semper* et *agentibus obstrepentem* describit Martial. I, 95. — *Latrant fora*, ut apud Ovid. in Ibin, 14: « Latrat et in toto verba canina foro ». Ed.

7. *Ferimur: porro, usque nivosus*. Hæc refingenda ex meliore exemplari Dorvilliano: « Et trans Oceanum vehimur, portusque nivosos ». Forte tamen præstaret *saltusque*, ut sæpe apud Veteres *saltus Pyrenæi* dicuntur. Meermannus emendabat *montesque nivosos*. Ed.

9. *Ut crinem frondea Phœbi Succingant*. Non cohærent hæc verba, et *frondea* voce carent, cum qua jungantur. Heinsius emendaverat: « ut crinem fronde Daphnæa Succingant, hæderave ». Prima in *Daphnæa* correpta, ut in Petr. c. 141: « Et baccis redimita Daphne », et paullo post: « Atque urbana Procne ». Ed.

12. *Quin mage pernices*. Male Scal. *præveniens*: inconcinnum enim *præveniens* præcurrat, et elegantius *pernicibus aquilis* opponitur *vis pigra elephantum*. Ed.

13. *Pigens testudo*. Quia præcessit *pigra* Heins. mallet *rigens*, vel forte *repens*. Ed.

14. *Rorifluam sectemur carmine Lunam*. Cur *roriflua* hic dicatur Luna, recte explicat Turnebus, quia nocte ros cadit, qui Lunæ filios poetis fingitur. Hinc in fragm. ex Ovidii Phænomenis, apud Lactantium, lib. II, cap. 5: « Clara pruinosæ jussit dare lumina nocti ». Ed.

17. *Purpureumque jubar*. Hæc de igneo vel aureo colore capiebat Barthius, quo refer illud Tibull. III, 4, 30, de Sole: « Candor erat, qualem præfert Latonia Luna, Et color in niveo corpore purpureus ». Purpureum quoque vultum Lunæ dat Ovidius, Am. I, 8, 12. Ed.

20. *Detrahit altivago e speculo*.

Vel rore Stygias * * * *
Vincibilemque petit clangorem. Quippe per æthram,
Qua citimus limes dispescit turbida puris,
Inviolata meat. Sed vasto corpore Tellus,
Quæ medium tenet ima polum, dum lumina fratris
Detinet umbriferis metis: tum sidere casso
Pallescit teres umbra rotæ, dum transeat axem
Aggerei velox tumuli, speculoque rotanti
Fraternas reparet per cælum libera flammas.
Sed qua mira putas, cur, quum vis maxima Solis
Bis novies major clueat, quam terreus orbis,
Non circumcingat terrestres lumine metas.
Sume ratum rationis opus: namque adspice Phœbum,
Quam sublimis eat convexa per aurea mundi;
Quamque humilem terram collustret curribus altis.
Hic ingens utcumque libet vel desuper ignes

Proprie Luna deduci dicitur: ut saga mulier, hujus op. tom. III, p. 303: « Lunæ descendit imago Carminibus deducta meis », ubi vid. citata. Ovidius tamen, Metam. VII, 207: « Te quoque, Luna, traho ». Statius *avelli* dixit, Theb. VI, 685: « adtonitis quoties avellitur astris Solis opaca soror ». — *E speculo.* Veteres Lunam, quoddam solis speculum, vultumque in ea nigricantem et liventem, magni maris imaginem crediderunt, ut ex Plutarcho exponit Turnebus. Ed.

21. *Vel rore Stygias.* Barthius hanc lectionem mendosam judicat, et reponit *Lethæo*, vel *Hæmonio*, quod ultimum probat Burmannus. Sic ergo versus refingatur et hiatus expleatur: « Hæmonio Stygias saniem despumat in herbas ». Imitatio Lucani, VI, 506, de Luna carmine magico ex cælo deducta: « Et patitur tantos cantu depressa labores, Donec suppositas propior despumet in herbas ». Apuleius, Metamorph. I, pag. 3 Pric. « magico susurramine amnes agiles reverti, ... Solem inhiberi, Lunam despumari ». Ed.

22. *Vincibilemque petit clangorem.* Solebant pagani laborante Luna æra percutere, sic putantes ejus deliquio succurrere; unde *æra* illa *labores* Lunæ minuere dicuntur Ovidio, Met. VII, 208. Quo respicit Tibull. El. I, 9, 22: « Cantus et e curru Lunam deducere tentat, Et faceret, si non æra repulsa sonent ». *Vincibilis clangor* est qui vincere potest et inanes reddere magicas incantationes. Ed.

30. *Sed qua mira putas.* Melius *Sed quia* edidit Scaliger. Ed.

36. *Hic ingens utcumque libet,* i. e. maxime. Ed.

Sparserit, obliquo vel quum radiaverit axe,
In terram radii franguntur. Cætera Solis
Lumina, qua major jaculis radiantibus exit,
Nil obstante globo, tendunt per inania vasta;
Donec pyramidis peragat victa umbra cacumen.
Per quam quum Phœbe validos agit uda jugales,
Infima vicinis nonnunquam decolor umbris
Fratre caret, vacuoque exsanguis deficit ore.
Cur autem sola spolietur lumine Luna,
Nil vero mirum est: quippe illam lucis egentem
Lux aliena fovet: quam quum pars proxima metæ
Invidet, exspectat radios male cærula fratris.
At chorus astrorum reliquus non tangitur umbris:
Et proprium cunctis jubar est, nec Sole rubescunt.
Sed sudum * * * * *
Porro ultra Solem rapitur cum vertice cæli.
Jam cur semestri non semper palleat orbe,
Inflexi præstant obliquo tramite cursus.
Namque vagans errore rato quum devia tortos
Colligit amfractus, metam Sol eminus exit,
Intorquetque peplum noctis, radiatque sororem.

37. *Quum radiaverit axe.* Sequenti versu *radii*, et post *jaculis radiantibus*, et infra 57, *radiat sororem*, valde offendunt. Ed.

41. *Victa umbra.* Præstiterit sane *recta*. Ed.

42. *Phœbe validos agit uda jugales.* Turnebus dedit *gelidos*. Ed.

49. *At chorus astrorum.* Sic in Eleg. in obit. Mæcen. vs. 129: « Quæsivere chori juvenem », nempe stellarum chori; et ita Varro dixit *cœli choreas astricas*. Ed.

55. *Namque vagans errore rato.* Sic bene Turnebus. Alii *ruat*, vel *rotat*. Sic supra v. 33: « sume ratum rationis opus ». Martianus Capella, lib. IX, p. 308: « Quo gemmata poli volvere sidera Suevit lege rata sacra recursio ». *Solis cursus ratos* dixit auctor Octaviæ, vs. 387. Ed.

57. *Intorquetque peplum.* Hoc Martian. Capella *astrificum peplum* dixit, lib. VI, p. 191, edit. Grot. Fulgentius, Mythol. lib. I: « Tum nox stellato mundum circumlita peplo ». In Vomani epigr. Anthol. V, 6: « Nox abit astrifero velamine cincta ». — *Radiatque sororem.* Activo nimirum sensu radiare Lunam Sol dicitur pro illustrare, seu lumine suo perfundere. Sic passive *radiatus* Lucretio, de Natura re-

Hæc eadem ratio est, subitis cur frangitur umbris
Augusti Solis rutilum jubar, indiga lucis
Quando inter terram et Solem rota corporis almæ
Luna meat fratrem rectis objectibus arcens.

rum, V, 464: « Matutina rubent radiati lumina solis ». Ed.

59. *Indiga lucis*, etc. Horum ultimorum versuum sensum hunc facit Barth. in Advers. XXXVI, 20: « Intervenit Luna, corpus indigum lucis, inter terram et solem, faciteque ne solis radii terram tangere possint, sed ea parte obscura ejus species adpareat ». — *Rota corporis indiga lucis*, h. e. Luna inter terram et solem meat, *almæ* (nempe *lucis*) objectibus rectis solem arcens. Sed *corporis almi*, v. 60, correxit Heinsius. Cæterum putavit Barthius huic carmini plura deesse: et ex Præfatione conjici posse censebat, longius fuisse de singulis tractatum: in quo forte a vero non aberravit. Ed.

X. RATIO DIERUM ANNI VERTENTIS *.

Nonaginta dies et quatuor ac medium, Sol
Conficit, a tropico in tropicum dum permeat astrum,
Octipedem in Cancrum Phrixeo ab ariete pergens.
Hoc spatio æstivi pulsusque et meta diei.
Semediemque, duosque dies, deciesque novenos,
A Cancro in Chelas æquatæ tempora noctis
Atque dii, cursu peragit Sol aureus altero,
Autumni æstatisque simul confinia miscens.
Unde autumnales transcurrens ordine menses,
Ad tropicum pergit signum gelidi Capricorni,
Octo dies decies octonis insuper addens,
Quadrantemque dii. Quinto qui protinus anno
Mense Numæ extremo nomen capit embolimæi.
Inde ad Agenorei festinans cornua Tauri,

* Hi versus quidem Ausonio adscribuntur, et in ejus Eclogario exstant. Ed.

3. *Phrixeo ab ariete*. Conf. supra Epigr. II, not. 1, ubi German. vs. 527. Avien. Phænom. vs. 1283, *Phrixeum pecus* dixit. Ed.

6. *Æquatæ tempora noctis*. Conf. notata supra ad Epigr. III, vs. 2 et 9. Ed.

Scandit Lanigeri tropicum Sol aureus astrum,
Nonaginta dies decreto fine coercens.
Hic tibi circus erit semper vertentibus annis,
Tercentum ac senis decies et quinque diebus.

XI. ANNI DIVISIO *.

Bis duo tempora sunt anno, menses duodeni,
Hebdomadæ decies quinque duæque simul.
Tercentum decies senos cum quinque diebus
In se collectos quilibet annus habet.
Horæ sunt centum per septem, mille per octo,
Sex per denarium si numerando probes.

* Editum fuit hoc a solo Pithœo, Epigr. vet. lib. IV, p. 272, et invenit illud Burmannus sec. in veteri codice membranaceo, carmina varia post Ivonis et Metelli opera edita atque inedita continente. Ed.

5. *Horæ*, etc. Per singulos annos sunt 4 tempestates, 12 menses, 52 hebdomadæ, 365 dies, 8760 horæ; quas sic invenies numerando,

$$\begin{array}{rcl} 7 \times 100 &=& 700 \\ 8 \times 1000 &=& 8000 \\ 6 \times 10 &=& 60 \\ \hline \end{array}$$

Horarum summa.... 8760 Ed.

XII. DE QUATUOR TEMPORIBUS ANNI *.

Ver, æstas, autumnus, hiems, sunt quatuor anni
Tempora, quæ currus lustrat, Apollo, tuus.
Ver sua grana serit, fovet æstas semina, feta
Colligit autumnus, feta recondit hiems.

* Epigramma similis fere argumenti VI dedimus. Hoc vero legitur apud Pith. lib. IV, p. 172. Ed.

1. *Ver, æstas, autumnus*, etc. Non dissimile est initium Epigrammatis, in carminibus Manfredi Epigr. V, inter Bedæ opera, tom. I, pag. 520: « Ver, æstas, autumnus, hiems, sunt quatuor anni Tempora, quæ certo numero divisa patescunt, Cuique dedit ternos sua contemplatio menses ». Ed.

XIII. ALIUD DE IISDEM *.

Æstatis Maius Tauro primordia prodit,
Junius æstivo Geminorum cardine surgit,
Julius æstivas Cancro secat alter aristas.
Autumni caput Augustus parat ore Leonis.
Autumnus uvas September Virgine curat.
Libra sub Autumno Octobri dat semina sulco.
Scorpius innectit tempus brumale Novembris,
Arcitenens hiemis Capricorni sidere frigens.
Inducit Februo ver udum * Aquarius arco.
Mars flores vernos nemori sub Piscibus edit.
Aprili vernante novans Aries micat annum.

* Ineditum hoc ex veteri codice Virgilii Mediceo descripserat Heinsius. Edidit Burmann. Anthol. V, 67. Ed.

1. *Primordia pandit.* Supra in Epigr. III, v. 4: « Æstatis Gemini primordia pandunt ». Ed.

9. Mendosus hic versus; forte scribendum: « udus Aquarius urna ». Apud Manil. I, 273: « inflexam defundit Aquarius urnam ». Et Auson. Epist. XXIV, vs. 102: « Effusamque hiemem contristat Aquarius urna ». Ed.

10. *Flores vernos.* In MS *vernis*, male. Correxit Burmannus. Ed.

TABULA

RERUM

QUÆ IN HOC QUINTO VOLUMINE CONTINENTUR.

FINIS QUINTI VOLUMINIS.





